
MAXIMILIANVS·D·G·ABBAS LAMBACENSIS·S·C·M·CONS·

with the
Supra-libris
of Maximilian
abbot of Lambach

ENCHYRIDIVM
PRACTICUM MEDICUM

Seu ad manus libellus; atque appendix Secunda ad libellum de Conservanda Valetudine.

In quo Domestica, & usitatoria auxilia recentiorum. Pro universis morbis curandis exarantur.

SEX PARTICULIS, SEU SECTIONIBUS DISSECTUM.

In Prima pro morbis mulierum auxilia proponuntur.
In Secunda pro morbis capitis.
In Tertia pro morbis pectoris.
In quarta pro morbis abdominis.
In quinta pro febribus, ac earum symptomatibus.
In sexta pro morbis ad Chyrurgiam spectantibus.

A U C T O R E
MICHAELE ANGELO ANDRIOLLO
Philosopho, Medico Veronensi.

D I C A T U M
Excellentissimo, & Clarissimo Viro

PYRRHO MARIÆ
G A B R I E L L I
Senensi Philosopho ac Medico Præstantissimo:

V E N E T I I S, M. DCC.

Apud Hieronymum Albriccium.
S V P E R I O R V M P E R M I S S V.




WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

Excellentiſsime Domine



Va profectò laude digni ſunt; qui vile ocium averſati tentant humo ſurgere, neque patiuntur ingenium craſſo torpere veterno, ſed illud ad ſublimium rerum contemplationem acutis velut ſtimulis agentes per omnia naturæ arcana excurrunt, omnes

rimantur latebras, & modò severà exquirunt trutinà nùm stet hęc, quam incolimus terra ponderibus librata suis, & irrequieti cœlorum orbes motu haud intermisso circumagantur in gyrum, vel potius in quiete constantes sistant perpetuò, tellusque nunquam quiescens rotetur assiduè; sua, inquam, laude digni sunt, qui talia mente volvunt, revolvuntque, ac varios rerum ortus, & interitus observantes, illorum causas, & quibus fiant modis solerter inquirunt, verum multò majori cum hominum utilitate suam impendunt operã in Arte Apollinea Viri sagaci pręstantes ingenio, qui satius ducentes Vniversi contemplatione seposita in parvi Mundi, quem Greci Microcosmon appellant indagine gradum sistere, in quo cum nihil nisi admirabile, & summa dignum cõtemplatione reperiatur iucundius in illius, humani scilicet corporis diligenti observatione mentes eorum hærent defixę, & vel universam membrorum penetrant structuram, vel morborum, quibus humani artus miserrime conflictantur, latentes causas solerti ingenij perspicacitate patefaciunt, unde fit ut nonnulla ad mortalium infirmitates, & ægritudines sublevandas remedia semper queant excogitari. In huiusmodi Præstantium Virorum albo susceptas partes optime explevit Excellentissimus Vir Michael Angelus Andreolius Medicus doctrina singulari, Patria Veronensis, qui cum magna sui nominis celebritate ad non paruum ægrorum leuamen plu-

ra

ra usque adhuc opera medica dederit in lucem aditum sibi ad immortalitatem aperuit, cuius cum nunc quoque prodeat volumen hoc, & de eo dicando esset cogitandum, vix mentis aciem intendenti mihi tu statim occurristi, Gabrieli Doctissime, cui multas ob caussas debere me plurimum agnosco. Debeo humanitati erga me tuæ singulari, debeo officijs, beneficijsque, debeo virtuti. Quem enim inveniam qui in pręstantis animi ornamentis tecum possit comparari? Novi candorem tuum, & beneuolum animum, novi alacritatem, qua promptissimè soles amicis operam tuam impendere, id egomet iam diù sum expertus, experiuntur quotidie omnes. Quæ sit autem Doctrina tua dicunt Eruditorum linguę non Hetruriæ modo sed totius Italię, dum ex eruditissimis elucubrationibus tuis non utilitatem modò, sed & voluptatem hauriunt singularem. De melliflui vero eloquij dulcedine satius est ut taceam quam pauca dicam, uno ore altius deprædicabunt Senarum Academiæ, quarum egregium existis ornamentum, dum ex disertè dicentis pendent ab ore, ac rerum sublimitatem, & sententiarum robur sermonis dulcedini admirantur adiunctum. Verum non mei nunc muneris est de tuis laudibus dicere, nec est quod in te exornando diutius immorer, cum satis, superque pateat omnibus, qua polleas ingenij præstantia, atque in tam excelso, & illustri loco sita sit laus tua, ut lux citius Soli, igni calor quam ea tibi possit denegari. Summis igitur meritis tuis, & observantia in te mea inductus Volumen

hoc,

hoc, quod nunc primum prodit è typis nostris dicavi, & illud offero modò libens, rogoque ut hilari excipias vultu, & ea qua soles humanitate complectare; quod si agere non dedignaberis, ut spero, in dies magis magisque me tibi Devinctum esse profitebor. Vale.

Dominationis Vestræ Excell:

Venetiis 5. Ian. 1700.

Humillimus. & Devinctiss. Servus
Hieronymus Albricius



CANDIDO LECTORI

PRAEFATIO.



On est animus hic, totam Asclepiadum artem exarare. Et ut Græculus olim universam Homeri Illiadem nucis cortice includere. Amplissima namque scientia medica nullis Herculeis terminis clausa, paucis foliis consarcinata complecti non potest. Sed ea præcipua intentio est, ut mihi senescenti, dum naturali cursu memoratricem facultatem in dies labescere observem, enchyridium, seu manualem libellum constituendo, in quo, quæ longa praxi efficacia debellandis morbis auxilia observavi, Laconico calamo exarata torpenti memoriæ excitamenta sint. Aliisque interim medicis senescentibus quibus labor meus acceptus, & gratus sit, eadem ratione utilitèr inservire possit. Pro quibus etiam hoc loco sollicitum me non esse de dosi ad vnguem præscribenda observabis. Ratus longa praxi exercitatis notissimam esse. Neque superfluitatibus vacandum, quibus onerosus liber excrevisset, qui quantum fieri potest in angustum contrahendus erat; ut quilibet expeditè secum gestare valeret.

Neque summis laboribus, longaque temporis patientia præparata spargyrica arte auxilia hoc loco expectanda. Nimis enim prægrandibus istis, ac magnæ caudæ auxiliis, angusta hæc nostra mensa est. In qua domesticorum auxiliorum, ac facilè parabilium apparatu simpliciori, quæ in dies familiaria nobis sunt, & humilia victus rationis auxilia exponuntur. Expectaturi potiùs à nutritiva potentia sanitatis impetrandæ gratiam, quam violentis, & incertis auxiliis, naturam ad dubios motus sollicitando, ægritudinis impetum adaugere, & ægrum ad Acherontis ripam deducere.

Neque ad crapulam usque in apparatu nostræ parcæ mensæ auxilia apposita reperies; sed magna parsimonia, ea tantum quæ utilia, certaque experientia nota sunt, & quæ pro repentina occasione oblata fidelitèr inservire possint hoc loco congerere volui.

Singulorum auxiliorũ dosim, & administrandi peculiares rationes prescribere recusavi, ne ad hæc minutiora me descendisse arguas, contra primum libelli institutum (quod enchyridium est) & jam propositam brevitatem. Cumque perpetua variatio vbique locorum facienda sit, juxta ætates, anni tem-

pora

pora, regiones, sexus, conditionesque multas. Modo in arte tyro non sit, nostris propositis se se rationabiliter accommodare poterit. Ipsique sufficiet memoriæ oculis obiecisse, quæ in singulo morbo eligenda magis familiaria. Cum victus ratione occurrere possent.

Si quædam spargyrica præparatione concinata remedia hoc modo proposita invenias. Incidenter, & præter instituti intentionem lapsa reputabis, accipienda in consortio tamen, ut potè magis nota, usu, atque nostris officinis familiaria, neque admodum difficultèr parabilia. Quæ enim longa, subtili, ac laboriosa arte parari debent, alibi in praxi exarare decrevi.

Raro etiam gravissimorum doctorum auctoritate usum fuisse (Hippocrate excepto) me fortè carpere poteris. Sed eodem quoque momento excusabis, dum in angusto libello notiora tantum, magisque hoc sæculo plausibilia compilare. Atque non longo examini subjicere. sed veluti judicata, brevi processu exarare aggressus fuerim.

In affectuum verò curatione de sanguinis missione. Ex electivè purgantibus, de pillulis, electuariis, aliisque innumeris formulis, quæ ægris injucunda, incommoda, & odiosa esse per longam experientiam edocui, hoc loco verba fundere nolui. De rebus tantum quæ gustui jucundiora. Vel absque multa arte concinari. Vel minimo negocio haberi, aut præparari possunt exaraturus. Quæ etenim magno artificio, magnisque auri impensis, & temporum dispendiis à Quercetano, & à regiis pharmacopeis speciosi apparatus pharmaca concinantur vltrò medicis aulicis reliquimus, quibus sicuti nuda veritas, nec placere, nec juvare potest, ita nostrorum auxiliorum simplicitas risus forsitan materia erit. Atque ex alto veluti aspicientes, quæ facilè parabilia, & in nostris Venetis hypotecis communia, parvaque impensa venalia prostant, omni tempore exposita despicient, licet pro oblatis indicationibus, ac intentionibus sufficere posse cognoscant simplici artificio, plano, naturali, ac facilè parabili.

Pro morbis, debellandis, auxilia me proposuisse observabis, ad alterantia tantumodò animum convertens, & totius providentiam jam præcessisse supponens, per aptas purgationes, & sanguinis missiones aliaque chyrurgica auxilia opportuna. Morborum etiam causas non universas, nimisque multiplices. Sed. fræquentiores delibasse artis studiosis sufficere debebit. Quibus etiam generalis doctrina, & adumbrata monita isthæc ad ingenii lumen illustrandum affulgebit. Intelligenti namque pauca. Superbis interim indoctis, errorum occasio subtrahetur, qui nostra nihili facienti, neque addere, neque demere scientes, in aliorum receptis integre exaratis, spem & notitiam suam omninò reponunt. Quibus hæc occulta esse, sicuti nobis parum refert. Ita ægris magnæ utilitatis hoc futurum esse denunciamus.

In tanta interim veterum, & Neotericorum remediorum abbundantia, & magistralium receptarum Oceano, cum videam professorum spem veluti naufraggium pati, dubiaque sit præceptorum universorum fides. Ut gaudeat his meis unusquisque, se artis magistrum in receptando præseferre posse. Et sperent quod præscriptiones meæ acceptæ sint prudentibus, materias tantum proportionatas indigitans, pondera mensuras, & concinandi formulas, nimis

accu-

accuratè præscribere nolui. Viris in arte peritis hoc onus relinquens, quibus magistralis suæ receptæ gloriam captare, & electionis, ac prudentiæ majora molientis laudem non invidebimus.

Cum interim duo præcipua in morbis tractandis occurrant. Causarum cognitio. Et remediorum administratio. Hæc in angusto libello non universa ostendere, sed peculiaria tantum, quæ nostris culinis familiaria, & facilè parabilia sunt animo destinavi. Ampliora (ut dixi) selectioribus auxiliis intermixta Deo dante in nostra praxi ostensuri.

Nostraque intentio est hoc loco vias faciliores præmostrare, & artes commodas, victus rationis, quibus mediantibus quilibet citò, tutò, & jucundè se se à morborum compedibus solvere possit. Citò quidem quia domi familiaria, vel vbique exposita, ac prompta proponuntur. Tutò, nam quæ nostræ naturæ per experientiam nota, alimenta quotidiana, ac familiaria, eligenda exponuntur. Jucundè tandem quoniam à coquis, & à familiaribus nostris juxta petita, ac imperata præparantur, & concinantur.

Nostra etiam præcipua intentio fuit; hæc nostris mensis usualiora, magisque familiaria, ac simplicia congerere; Ut juniores potissimum nostrorum temporum medici, ea quæ quotidie inter manus habent, assidua observatione examini subijcientes, energiam tantam habere edoceantur. Ut per hæc dum optimè calluerint ægros incrassare, vel attenuare, aliisque elicitis intentionibus alterare. Tunc peregrinis Indorum, ac Americanorum pharmacis ignotis, vel paucis, tantum, ac incertis experimentis approbatis se non indigere cognoscant, ad sanitatem citò, tutò, & jucundè adducendam. Cominiscentes præcipuè, quod vita brevis (*vt insinuat Hippocrates in præfactione 1. aph.*) At universa, quæ in rerum natura sunt, velle experiri, stultum assumptum eorum est, qui cœli stellas numerare universas aggressi sunt. Quamobrem pars magnæ prudentiæ, ac sapientiæ erit, pauca, nota, vulgata, & ad manus facilia experiri, easque cum magna securitate ad opportunitates expeditas, ac paratas habere. Quam in amplissimo indagationum Oceano, sine portu, sola ancora spei fisus velificare. Immensa etenim medicinæ spacia, quæ exterminatas animalium, plantarum, & fossilium familias complectuntur, brevissimo vitæ curriculo emetiri posse, cum unum ex impossibilibus esse mecum reputarem. Vix medicinæ initiatus duo in animo proposui. Quænam essent artis præcipua præcepta indagare quæque remedia efficaciora ad morbos debellandos. Imbecilitatem (ne dicam vesaniam) reputans longo receptarum catalogo facto, atque novis semper tentatis auxiliis, veluti ex vrna Pandoræ, ægrorum sortem elycere. Si etenim Sors tullerit, ut Mors, vel sanitas contingat. Neque à quo sanitas, aut mors venerit animadverte re possunt isti. Hinc est, quod trepidantes. Et veluti de medicina hæretici, ad ægros accedere observantur, quidquid fortuita memoria sugesserit præscribentes, immemores se consimiles ægros hoc præcisè, vel illo auxilio, ad sanitatem perduxisse.

Senex ergo quæ validiora, quæque certiora remedia expertus fuerim, amico, atque caritativo in proximum studio in medium profero. Eaque pauca, & selectiora in variis provinciis experta auxilia. Meoque non solumodò marte ob-

te observata. Sed ab amicis in arte eximiis in usu posita, nunc publici juris facio. Quæ certè non tantum in alienum usum, sed in meæ reminiscentiæ gratiam, hac indigesta mole congessi. Annitens quantum fieri potuit, ut verborum Atticorum serie postergata, compendiosè omnia contraherentur.

Bonum igitur consilium junioribus medicis sit, pauca, fida, familia, & nota auxilia fræquentare, atque in iis insistere, ut demum rationes cur quandoque incassum propinata sint optimè calere possint. Non semel enim mihi occurrit videre medicos, in immensum remediorum pelagus descendentes, absque notorum syderum directione, qui cum ad senium pervenissent, nullam artem esse fatebantur, ideoque desperatorum more sine tentatis auxiliis se mortis faucibus præcipites tradidere. Cum tamen penès ingenuos viros, & in arte peritos, sicuti incerta est morborum essentia, causæ, & modus agendi medicamentorum, ita certis, repetitis, & longis experimentis constat, illud fermè artificium quo nautæ (firma existente nave, neque senio corruente) observato scopulo, & tempestate, temonem inflectentes, vel naviggium ancora firmantes, aut ventis impellentibus velcula à claudentes, tumentis maris aquas excludere post procellas. Eadem arte prudens medicus senex, & paucorum auxiliorum practicus, in morborum agone absque hæsitatione operari observatur. Perperam verò, & veluti in gurgite vasto errantes aguntur, qui ut nomen magni viri aucupentur, totam aromatarii hypotecham suis receptis sus, * deque vertere faciunt, rationem postmodum ignoraturi à quo symptomatum augmentum, vel decrementum processerit. Præterquam quod velle morbos debellare, indiscriminatim quę mens sugesserit obvia præscribendo absque bonorum, certaque experientia sua notorum auxilio, prælium est Andabatarum more, oculis clausis committere.

Quamobrem pro illis, qui adhùc praxis suæ enchyridium, seu ad manus expeditum auxiliorum scelectorum libellum nondum construxere, labor iste meus apprimè inservire poterit, in quo notiora, promptiora, ac faciliora remedia, pro qualibet insurgente repentina occasione, semper invenire poterunt.

Medicis etiam conductis, & ruri degentibus, qui ægros quandoque visitant, procul à pharmacopeis ad multa millia passuum distantes, vel preslanti gravatos paupertate, hæc mea monita adamusim inservire poterunt. Dum in angusto libello adversus omnes morbos, non paucam utilium remediorum materiam invenient, ex rebus domi familiaribus, vel quæ in hortis nostris nasci, aut in pratis excrescere consuevere.

Pro viris nobilibus, longa ægritudine conflictatis, medico, & pharmacopeo uti nolentibus, liber laborque noster alterutriusque vices benè gerere poterit. Modò enim innotescat morbus, & causas à viro perito edocuerint. In hoc postmodum libello invenient auxilia intentionibus, ac indicationibus elycitis correspondentia, quibus strenuè victus ratione servata, æsculentis, & aliis præscriptis, contra morbum pugnare possint, atque constanti patientia vincere valeant.

Inservire quoque poterit libellus noster infælicibus illis mancipiis, qui aditissima multiplicium negotiorum tyrannide compressi, magis auri lucra, quam sani-

sanitatis dispendia reputantes, pallidi, tremuli, sub importabili pondere cum ingentibus, imò giganteis ægritudinibus inscii luctantur. Ne verò se à negotiis avertant, viribus adhuc constantibus, medicum vocare procrastinant. Donec tandem prostrati, serò medicinam sibi parari fateantur. Ut ergo morborum suorum principiis saltem obstare possint, per libellum nostrum ea in usu ponere edocebuntur, quæ pro læsa actione, distinctas dieteticas regulas, cum electis cibis, & potibus proponuntur. Hæc postmodum cum sufficere non posse cognoverint, (si sapiant) ad peritorum consilia postmodum in tempore accedere poterunt.

Tandem cum omnibus hominibus in populatissimis vrbibus vbique vivere suis commodis non detur. Neque omnibus semper proximæ sint seplasiariorum officinæ omnibus instructæ remediis. Sed maxima viventium pars, procul ab his commodis victitet, Fortuna, vel Genio coacta. Ideò qui enchyridium hoc ad manus habuerit, tam in repentinis, quam in diuturnis morbis armamentarium possidebit, quo si non tollere, saltem languores suos admodum imminuere poterit.

Condictiones calidæ, vel frigidæ (de quibus hoc loco sępiùs mentionem fecimus) à me dicuntur, temperamentum, ætas, sexus, regio, consuetudo, victus prætergressus, & si quæ alia sunt, quæ in singulis ægris variationem subeunt. Quorum ratione morbus, an causam foventem, calidam, vel frigidam habeat, perspicaci indagine, ac enumeratione medicus colligere potest.

Præceptorem esse partis culinariæ medicinæ, penès viros probos, & Christianos probo esse non debet. Quibus in pauperes charitas, & in proximum dilectio, religiosa cura semper esse debet.

Hæc interim veluti quædam prælibamina sunto antequam de universis morbis praxim conscriberem aggrediar. Si etenim hęc tenua arridere observaverim, allacriùs ad majora exaranda, juxta concilium veterum, & Neotericorum me accingam.

Ut igitur valeas, longoque tempore benè valeas, hæc conscripta grato animo accipias. Et si his forte, vel ratione uti tibi non occrrat, summum dispositorum bonorum lauda, rectam intentionem meam placitis tuis obsequendi ne vituperes, sed me amare pergas. Valeasque etiam atque etiam rogo.

Noi Refformatori dello Studio di Padoa.

HAvendo veduto per la fede di revisione, & approvatione del P. F. Raimondo Asperti Inquisitore, nel Libro intitolato *Enchyridium Practicum Medicum*, Auttore Michiel Angelo Andriolli Veronese, non esservi cos' alcuna contra la Santa Fede Cattolica, e parimente per attestato del Segretario nostro niente contro Prencipi, & buoni costumi, concediamo licenza, che possi essere stampato, osservando gl'ordini in materia di stampe, e presentando le solite copie nelle publiche Librarie di Venezia, & di Padoa.

Data li Gennaro 1700.

(*Alvise da Mosto Proc. Refform.*

(*Ferigo Marcello Proc. Refform.*


(

Agostino Gadaldini Segretario.

DE

DE MORBIS MULIERUM PARTICULA PRIMA.

Pro menstruæ purgationis suppressione, vel imminutione auxilia.



HUjus fræquentis affectionis fræquentiores causæ solent esse crassities, & glutinosa visciditas, quæ massæ sanguineæ tenuem, fluidam, ac volatilem crasim invertentes, ac subvertentes. Ejusque fluxibilitatem, & fermentationem impedientes. motum progressivum, tum intestinum retardare, tum vitiare valent. Spirituumque universalem generationem inhibentes, particularem spirituum in capite elaborationem obnubilare, ac deteriorem reddere solent. Quare in universis facultatum actionibus vitia contingent. In naturali etenim cachexia. In vitali febris alba. In animali torpor in operationibus advenit.

Quandoque non tantum glutinosa visciditas liquoris albuginei, vel crassamentum cruoris tenax, sunt hujus affectionis proximæ causæ; sed etiam naturalis vasorum, ac viarum expurgandarum angustia, quæ per morbos organicos à tumoribus, obstructionibus uteri, vel partium circumsitarum oriuntur.

Vel ob malam vivendi rationem in sex rebus non naturalibus servatam acquisita est. Dum tractu temporis interni vasorum parietes à materia viscida, mucilaginosa obliniuntur, atque prætereuntibus liquoribus transitus angustiatur, potissimum circa vasa genitalium, & vaginæ uteri, per quæ menstrualis purgatio quodamodo percolata, ac imminuta prodire cogitur.

Sanguis etenim menstruus, plurimo sero, seu liquore albugineo dilutus, postquam sub quadam naturæ nota proportione per mensem sensim in vasis sanguifluis coagmentatus, tum copia, tum acore (diuturnioris causa more) concepto, expultricem irritat, acri solventi vi arteriolarum oscula uteri vaginæ aperit, & sibi viam pandit, ut foras ammandetur.

Auxilia.

SI viscida pituita acida circa primas vias hæreat, vomitorio deturbetur, granis tribus tartari emetici. Vel saltem pulvis Cornacchini exhibeatur, ex stybio diaphoretico & diagridio cum cremore tartari.

Vinum medicatum paretur potissi-

mum pro illis quibus ultra sex menses talis suppressio, atque in hujus vini usu longo tempore obstinatè perseverent. Paratur verò infusione facta radicum brioniæ in taleolas concisarum, & exiccatarum, corticum aurantiorum, atque limatura calybis in nodulo ligata, Tali itaque vino in prima mensa, seu in primo poculo ad vncias sex, manè & vesperi vtantur.

Post præviam aptam purgationem, acidulæ Martiales propinatæ longas ab obstructionibus suppressiones menstruorum tollere consuevere.

In condictionibus pituitosis, viscidis, amara universa proficua sunt, ut absinthiaca auxilia, conserva, vel absintii vinum, vel ejus tinctura provt, mirrhæ, aloes, rhabarbari.

Si de acido melancolico coagulatore, ac obstructionum fomite suspicio sit, ea quæ acida absorbent exhibeantur, oculi cancri, atque testacea &c. prout salia volatilia alibi indigitata, nomine dulcorantium, vel absorbentium.

Si contumacem affectionem, & inveterata impedimenta removere animus sit. Decocta ex lignis consuetis, & salsa in usu ponantur, addito etiam pulvere viperino, aliisque diaphoreticis cordis fermentationem, ac sanguinis agitationem adaugendo, per dietam sudoriferam de qua alibi sermonem fecimus in prima apendice.

Pro nuptis, vel mulieribus jam effætis, ob recentes aliquos in victu errores suppressione menstruorum laborantibus. Summo mane in decocto ciceruum rubrorum, & radicum petroselini guttæ aliquot essentiæ sabinæ, vel olei sabinæ, vel etiam merum decoctum sabinæ exiccatæ, per viginti dies adhibitum sufficere poterit.

In pituitosis habitibus, vinum cinamomo, & radicibus enulæ accommodatum reperies. Prout decoctum lignorum cum copiosis baccis juniperi, foliisque scordii, dictami, & cardui benedicti. Quod manè summatur, stragulisque benè contecta patiens sudorem patientèr expectet, guttulis olei succini admixtis. Pillularum ex aloe longus usus vesperi parum ante cœnam continuatus bis, vel etiam ter in hebdomada contumacissimas menstruorum supressiones, tandem debellare poterit.

Ad uterum calefaciendum, ejusque vasa aperienda, per 20. dies manè propinetur aqua capillorum veneris, & sabinæ, instillatis guttulis olei sabinæ premisso bolo ex therebentinà cum pulvere trochiscorum de myrrha confecto.

Foveatur interim uteri regio filis canabinis in lixivio cinerum, & modicæ calcis excoctis. Illisque post horam circitèr remotis, pubes & circumsita loca inungantur olio liliorum alborum, & formicarum, vel saltem scorpionum.

Ætate jam provectionibus proderit fermentum vetus, castaneæ magnitudine, subactum cum trochiscis de myrrha, saccaro, & dictamo pulverisatis.

Decoctum splenis bovis, dictami, & visci quercini summo mane longo tempore adhibitum in biliosis complexionibus incrassatas obstructiones removere potuisse observavimus, in cæteris victu humectante, & attenuante adhibito.

Vinum solis baccis juniperinis medicatum in menstrui excrementi supressionibus semper cum fructu usurpatur.

Theriaca cum pulvere dictami, & sorbiciuncula decoctionis ejusdem dictami eundo cubitum, hyeme, & in condictionibus frigidis magni erit auxilii. Prout oleum succini ad gutt. vij.

vij. singulo manè, jejuno stomacho sumptum.

Mulieres Hyspanæ viperarum carne utuntur. Neque caro sola cum cibis assumpta prodest; sed juscula quæ parari possent incocta carne viperarum in ventre pulli columbini, cum dictamo scordio passulis, & consimilibus, miræ sunt efficaciæ, *prout Zac. Lusit. lib. 3. praxis hist. expertus est*.

Splen bovis quocumque modo adhibitum efficax est in biliosis condictionibus ob suæ contrarietatis rationem, dum incrassatam, & ligatam bilem colliquat.

Apium, fæniculum, petroselinum, sabina, dictamum, majorana, artemisia, camomellum, bacæ juniperi, myrrha, castoreum, pro his affectibus familiaria sunt auxilia. Prout succinum, crocus, borax naturalis.

Arcanum quorundam est spiritus salis armoniaci, cum oleo sabinæ, vel corticum aurantiorum, in decocto sabinæ, vel aqua florum aurantiorum.

Ab aliis verò summis laudibus deprædicatur tinctura myrrhæ, cum spiritu salis armoniaci ad scrupulum semis. Myrrhata, succinata, martialia cæteris palmam præripere solent, prout acidulæ ferratæ. Vel saltem in potione mensæ consueta limatura martis infundatur in bona quantitate, & obsonia plurimo croco condiantur.

Tinctura aloes, & salis armoniaci in spiritu vini parata, in condictionibus frigidis longo tempore jejuno stomacho usurpata validissima est.

Valent omnia sanguinem edulcorantia, & acida coagula removentia, ut oculi cancri, mater perlarum, corallia, atque crustacea in juvenculis.

Suffitus ex sabina, myrrha, & colocyntide in catedra perforata multas frigida uteri intemperie affectus, liberavit seniores.

Flores sulphuris in ovo sorbili ad grana septem epoti. Vel succus marubii ad uncias duas cum saccaro, vel melle admixtus consimiles plurimas sanavit.

Pro virginibus clorosi laborantibus auxilia.

Virginum fędus iste color ab impedimentis vasorum depurationi succorum intervientium fieri cōsuevit, potissimum abdomine contentorum, atque peculiaritèr circa uterum; dum magna fit spiritus plastici uteri oppressio, à sanguinis crassitie, orta à depravatione, & aciditate ejusdem, uteri vasa angusta obstruente. Accedente spirituum animalium torpore, à materia crassa, frigida, inerti procurato. Fit ergo ut plurimum à pituita viscidiore.

Sepè etiam fit à liquore longo tempore circa uteri vasa vaginalia retardato, vitiato atque acore corrupto, per venas ad massam sanguineam reduce, ipsamque perturbante. Hinc vitiosam febrilem fermentationem concipiens nomine febris albæ insignitur.

Qua febrili fermentatione mediante, & cordis micatione depravata, massa sanguinea impura redditur, minusque vivido colore suffulta virgines decolorantur, atque ambulantis cadaveris speciem reppresentant.

Et quia à regurgitantibus his liquoribus simul cum sanguine ab utero, viscerum fermenta in transitu labefactantur, glandulæ separationi succi albuginei, seri, & lymphæ destinatæ, his liquoribus incrassatis obstruuntur. Inde ad irreparabilem cachexiam hujusmodi virgines rapiuntur sero impuro turgentes.

Prava autem in vivendi ratione ser-

vata regulâ, remotâ hujus affectus causa, consuevit esse. Vita sedentaria, & usus alimentorum frigidorum, & incrassantium.

Auxilia.

UT ab inveteratis oppillationibus istis liberari quæant, domesticum, & longo tempore adhibitum (ad quadraginta, & ultra dies) auxilium erit rhabarbarum, à scrupulo semis ad scrupulum unum, cum passulis premansum jejuno stomacho.

Si interim aliqua signa prodeuntium menstruorum appareant, cantarides decem circitèr, auulsis alis, pedibus, & capite, cum myrrha, & ficubus pinguibus ad duplam cantaridum, & myrrhæ quantitatem contundes, & glandem efformabis. Quam tenuissimo linteo involutam, curabis ut altè ad uteri cervicem immitatur. Cum verò morsum inferre observetur, auferatur. Atque unguentum rosaceum cum pessario illinietur. Si cui cantarides displiceant, brioniam cum myrrha subactam eodem modo concinatam proponimus. Consimilis etenim propè efficaciæ esse reperietur.

Verum quia ut plurimum, est affectus, qui ortum ducit à vasis uterinis nimis exilibus, cum uteri frigida intemperie, & excrementi seminalis diù retenti corruptione. Ideò consilium Hippocraticum accipiat talis virgo, matrimonii silicet jugo se submittat, ut ab immenso calamitatum onere se subtrahat, in toto vitæ tempore compressuro. Ait enim prudentissimus Medicorum omnium senex *in lib. de virginum morbis*. *Ego jubeo virgines cum hæc patiuntur, quam primum viris cohabitare. Si enim conceperint sanæ fiunt.* Docuit etiam alibi quod per concubitum uterus incalescit, & venulæ fusdiore, fiunt. Per abstinentiam verò à coitu uterum in se contrahi, infrigidari, & exivari morbosa ratione; prout *in parte quinta de tuenda valetudine* insinuavimus, & experientia docuit quod in his aliquando prima nocte congiugii utero incalescente mensium fluor excitatus est.

Magnæ pariter efficaciæ esse experti sumus tincturam antimonii ad scrupulum semis cum aqua apopriata singulo manè adhibitam. Vel ipsum antimonium diaphoreticum, generale incrassatorum, & coagulatorum auxilium, & assilum.

Decoctum guajaci, sassafras, & lignorum (incrassata paritèr solventium, & attenuantium) in frigidis potissimum condictionibus utilimum adinvenientur, si cum proportionato sudore administretur. Pulvis cacleticus Querc. celebre his auxilium est.

Viperinum decoctum ad plurimos dies nunquam satis laudatum à *Zach. Lusitano lib. 3. prax. hist.* adfundendos & mobiles redendos liquores in angustis virginum vasculis. Vel saltem theriacâ, cum pulvere, & decoctione dictami adhibeatur.

Vinum medicatum salsa, radicibus ononidis, & lignis attenuantibus, ac fundentibus in usu longo, non leve fulcrum ad sanitatis iter terendum præbebit.

Pro emaciatis alterutra bile redundantibus post peractam solemnem purgationem, balneum paretur ex radicibus alteæ, liliorum enula, brionia, seminibus lini. Quod ingrediantur tepidè bis in die, longè à pastu per triduum. Tantæ etenim fuit efficaciæ in quibusdam, ut tertia, vel quarta balneatione menstrua prosilierint.

Vel quibus balneatio displicet, fotus

tus fiat ex decoctione radicum brioniæ, florum camomelli, radicum, & florum liliorum cum suis potissimum filis croceis, & foliorum sabinæ.

Cæteris iritis, & fæda cachexia urgente ad usum calibis devenies (expiato prius pro viribus corpore) post assumptum verò calibem, post horam, tota hora sequente validè exerceantur, ad sudorem exclusivè. Atq; post horam quintam prandeant. Et hoc per quindecim, & viginti dies, vel amplius repetatur. Sive crocea præparatio martis sit, sive absque ulius acidi imbibitione, alia martis præparatio, immò calibis limatura ipsa super cætera martis præparata ad dracmam semis mihi arrideret, cum vehiculo apto aquarum sabinæ, artemisiæ, & consimilium.

Vinum medicatum sabina, radicibus enulæ dictami albi seminibus dauci neque inutile, neque spernendum auxilium pro delicatis, & à remediis declinantibus erit.

Omnia pariter diuretica, & sudorifera, de quibus alibi sermonem fecimus accomodata hujusmodi affectibus erunt.

Primò semper respectu habito, ut ventriculus ab accidis cruditatibus liberetur, exhibeantur frequentèr, quæ per omnem viam solvere, ac dissolvere possunt acida coagula suo amarore, ut faciunt aloetica, rhabarbarata, sabina, & cephalicorum simplicium plurima.

Tum vitreolum martis, tartarus hemeticus, gilla Theofrasti, crocus metallorum aliaque consimilia vomitoria propinentur si viscosam saburam inventriculo delitescentem extirpare radicitùs intentio sit.

Si autem ultra primas vias, ad glutinosorum liquorum attenuationem, liquationem, fusionem anheles, ad lignorum decoctum concinandum, cum radicibus aperitivis, superaddito spiritu salis armoniaci, stibio diaphoretico, & lapide Cancrorum festinabis. Cui etiam oleum seu essentiam sabinæ ad scrupulum semis; cum syrupo de corticibus citri addere poteris.

Vel decoctum sabinæ, splenis bovis, cum radicibus aristologiæ rotundæ, & brioniæ, pro incrassata bile ad exitum promovenda efficax erit.

Rebus omnibus desperatis, ex myrha, extracto gentianæ, croco, & aloe pillulæ parentur, ad scrupulum, vel ad dracmam semis, matutinis horis summendæ per duos menses, & ultra. Hoc enim patientiæ artificio, plurimas ab his compedibus solutas fuisse, & pristinum habitum roseum, & coloratum recuperasse vidimus.

Pro ut virginibus aliquibus morosis, & ab omnibus medicamentis alienis, genitoribus autem aliqua auxilia implorantibus gratificaturi, inunctionem paravimus ex unguento artanitæ minoris, admixto copioso pulvere trochiscorum alhandal, essentiæ sabinæ ac mercurio currenti. Imperatoque exercitio valido matutino, incrassata pituitosa, ac melancolica obstacula remota fuisse in progressu temporis lætati fuimus.

Ad menstruorum fluores immodicos auxilia.

SEcundum naturæ leges experiuntur fœminæ menstruorum tempore, orgasmum in sanguine quemdam tum à motu (seu influxu) Lunæ tum in progresivo motu, tum in intestina fermentatione agitantur universi liquores, & præter ordinarium modum turgent,

ac

ac rare fiunt. Inde dolor dorsi, circa lumbos pulsatio, artuum tensiva lassitudo, capitis dolor, & hypocondriorum inflatio. Quibus deinde subsequi solet ex arteriarum vaginalium uteri orificiis per anastomosin excretio.

Quandoque verò ingens cumulatur in vasis, & in verso corpore hujus menstrualis excrementi copia, cui etiam mala qualitas, & viarum laxitas à variis humidis excrementis facta copulatur. Inde exorta summa expultricis irritatione ob varium succorum præternaturalium vitium, suæ excretionis modum, & mensuram natura servare nequit, vel nescit. Si potissimum uteri intemperies, vel morbus aliquis laxitatem viarum fovens manutentores sint. Vel massæ sanguineæ serosa colluvies plurima admixta sit. Sive serum melancolicum acidum corosivum, acore suo undique vias sibi patefaciat. sive biliosus, tenuissimus icor, amarore suo quietis impatiens, fores omnes aperiat. Sive vitalis, tum animalis spiritus præternaturali æstu exagitati, nimiamque volatilem acidam naturam adepti, irregulares, ac innordinati, cum sanguinis excrementis, sanguinem ipsum vitæ thesaurum profundere tentent.

Dum enim debito sigillo, vitali spiritu, sanguis menstruus privatur veluti mancipium vagandi libertate orbatum, ad scallas gnomonias ducitur, & ad cloacam proscribitur eliminandum.

Inepta est enim credulitas eorum, qui menstruum sanguinem immotum permanere putant, sensim coacervatum per mensem in venis uteri, conceptionis tempus expectando. Nam ut superiùs monuimus per lunæ motum, tempore consueti effluxus, ad uterum nutat, & fiunt lumborum dolores, & alia, prout monet in epistola sua Valleus ad Arveum, & alii recentiores.

Sed hoc loco sistamus gradum parumper, ad divinam providentiam contemplandam, & admirandam. Invenio etenim quod inter ea quæ olim Galenistarum ingenia torsit, fuit Hippocratis propositio *in lib. de Mulierum Morbis*, dicentis. *Habet enim mulier sanguinem calidiorem, & propterea calidior est quam vir*. Certumque est apud omnes, quod mulier carne constat rariore, molliorique. Et hæc spongiæ ad instar plus sanguinis in se suscipere solet, quam virile corpus, quod densum, ac compactum est. Provida etenim natura, quæ Fœminam, non ad sui tantum corporis augmentum, & nutritionem sed ad aliorum generationem, & augmentum destinaverat, sanguine ultra sui corporis exigentiam reddundare voluit. Cum ergo ob dictas causas plus sanguinis in se congerat, & ob vitam sedentariam, viro minus absumat de sanguine. Evenit ut hujus superfluitas quæ sensim in dies per moram acrior, & calidior fit, tandem effervescens, seditione facta, & separationem affectans, à provida natura ad uteri vasa excretoria ablegatur, & ad exitum proscribatur.

At viro solidiore carne prædito, non adeò sanguine impleri datum est, ut evacuatione indigeat; sed tantum à ventre suscipit, quantum ipsi ad nutritionem sufficiat. Non ergo impetum faciente spiritu calorifico ac innato magis abbundat mulier, quam vir. Sed sanguine, fervido liquore abbundantior est quam vir. Ita ut idem sit ac Hippocrates dixisset: Mulier calidior est quam vir, in consideratione quod sanguine, liquore calido magis abbundat.

Hinc est quod sanguinis paritèr quascum-

ſcumque evacuationes multò leviùs ferunt imbecilles mulieres, quocumque mare, etiam robuſto. Manifeſto argumento in mulieribus hæc Hippocratis caliditas arguitur, quia celerior, ac melior fit ejuſdem ſanguinis, ac in viris reparatio.

Auxilia.

FLuori menſium immodico, eadem aptari poterunt, quæ in aliis ſanguinis immodicis excretionibus exarata ſunt. Laudanum potiſſimum opiatum ad grana tria circitèr veſperi hora ſomni, cum tinctura corallorum, vel magiſterio de corallis.

Caveant interim ab omnibus valdè calefacientibus, attenuantibus alimentis, ſpirituoſis, aromaticis, vino generoſo, ira, exercitio, vigiliis. Quibus urgentibus exhibeantur emulſiones ex quatuor ſeminibus fridis, & papaveracea.

Præterea in condictionibus fervidis, ut ſanguis tenuior, & fluidior paulò incraſſetur, ac inſpiſſetur, auſtera, tum acerba exhibeantur. Videlicet fructuum immaturorum ſucci expreſſi, vel inſpiſſati, onphacium, acacia, meſpilla &c. Aut ſaltem conſerva roſarum antiqua, diacitonitum, conſerva hyacinti, cum pulvere corallorum, vel ſuccino preparato, aut ſeminibus plantaginis. Vitriolum martis cum miccà cydoniorum. Vel tinctura vitrioli, cum ſcoria martis rubificata parata.

In gracilibus in quibus liquores valdè tenues, & acres coacervari conſuevere, lac aſini, vel capræ Hippocratico more, & in copia exhibeatur. Opiata inſuper intermiſcere ſemper utilimum erit apto tempore, videlicet nocturno, & hora ſomni. Teſtacea, & quæ ſanguinis acrimoniam corrigunt, ea preſente omittenda non ſunt.

Si de tenuibus aquoſis, ſeroſis liquoribus in ſanguine reddundantibus clara adſint indicia, ad ſudorifera, & ad ea quæ acres ſeroſos liquores ſenſibilitèr, & inſenſibilitèr eliminant accedere debemus, & potiſſimum ad decocta lignorum.

Quibus cum uteri frigiditate laxitas viarum ingens copulata eſt, ſuffumiggia ex maſtiche thure, ladano veſperi eundo cubitum adhibeantur.

De edulcorantibus ſanguinis acrimoniam, ſive acidam melancolicam, ſive tenuem bilioſam nunquam immemor eris. Ideò pro variis indicationibus, modo acidulis naturalibus, modo lactis ſero, modo ſuccis vegetabilium deſtillatis, plantaginis, portulanæ, urticæ uteris, vel depuratis.

Pulvere ſimpathico petiis lineis ſanguine madidis conſpergens (imò ſolo Vitriolo Romano pulverizzato) & ſub lectulo repoſito, plures felicitèr ſanitati reſtituere poteris.

Mamis etiam linteis aceto, & aqua roſacea frequentèr repetitis, menſes immodicè fluentes ſiſtere vidi.

Sacculi repleti radicibus lapatii conſolidæ urticæ ſeminibus plantaginis, balauſtis, gallis ſucco hipociſtidis, aceto incocti, cum tripla portione aquæ fabrorum uteri laxitati, magno remedio fuere. Non minus ac balnea, & inſeſſus ex iiſdem ſimplicibus parata.

Unguenta interim ſtypticantia caſtanearum, comitiſſæ, infrigidantis Galeni cum copioſa portione ſalis Saturni regioni renum ſemper proficua erunt.

Sal prunellæ in aqua plantaginis, vel florum papaveris, in condictionibus

bus fervidis magni erit usus. In sedandis enim omnibus præter naturam effervescentiis validissimum auxilium est.

Pulvis florum nucum mense Maii decidentium, plurimis auxilio fuit.

Urticæ succus epotus ad uncias quatuor, cum uncia saccari fini. Pulsibus paritèr, & pubi applicitus, præsentaneum intra paucas horas non semel auxilium fuisse vidi.

Hippocratica auxilia ex lib. de Morbis Mulierum, hoc loco apponere non recusamus: *Obsonium sit his leporis caro, tum columbæ assata, vel hædi, quam in aceto intingant. Hepar capræ, vel bovis, assatum, ovi luteum, caseus insulsus. Ex oleribus nullum gustent, neque crudum, neque coctum, & à balneis abstineant. Affixis vero cucurbitulis sub mamis, ipsas elevabis, modò ad dexteram, modo ad sinistram transferens. Si autem spirandi difficultas oriatur, ab applicandis cucurbitulis cessabis. His conducet vinum nigrum meracius, frigidæ lotio, deambulationes.* Hæc ibidem Hip.

Pro incrassandi paritèr indicationibus exortis, & ad robur adstringendo, ac refrigerando visceribus procurandum, portulaca quocumque modo adhibita plantago, rosæ, siccæ, onfacium, ribes, conserva rosarum, corallia, margaritæ, terra lemnia. Succus mille folii cum pulvere corallorum valebit.

Flores nucum majali tempore collecti, pulverizati ad dracmam unam, in vino austero, vel succo granatorum propinati proderunt. Alia insuper austera bilem, tenuesue liquores incrassantia, quæ in appendice prima suo loco exaravimus. Quibus etiam anodyna, tum narcotica subnectere poterimus.

Lotiones frigidæ actu, tum refrigerantibus potentia paratæ coxis, pubi, & partibus ad jacentibus factæ, non inutiles erunt. Prout balnea ex rebus adstringentibus, plantagine, malicorio, gallis, alumine, & consimilibus.

Linimenta lumbis, & pubi, copioso sale saturni parata balneis omnibus efficaciora esse vidi.

Victus ratio incrassans nullo modo omittenda. Far, panicum, oriza, lentes, cydonia, mala punica, mespila, mala adstringentia, pira, & alia, &c. Carnes animalium sylvestrium, & victu sicco depastorum. Ex quibus etiam cerebella, pedes, intestina, hæpar, immo viscera omnia proderunt.

Pro potu utantur decocto masticis, vel ligni lentisci. Vel abscentibus fervidis conditionibus in vino nigro austero lentiscinum lignum infundatur. Tutum vero est in longis hujuscemodi fluoribus vinum pro potu adstringens adhibere, sed paucum, & meracum, in quo infusa sint semina plantaginis, summacchia, flores lambruscæ.

Caro hædi, vel leporis exiccata, pulverizata in decocto adstringenti propinata commendatur passim ab auctoribus, sed multò magis turturis in clybano exiccatæ pulvis, si potissimum in ejus ventre uncia una mastiches, cum uncia semis trochiscorum de carabe imposita fuerit.

Aliaque adhibenda quæ in cura hemorrhoidum proposuimus, & in sanguinis fluoribus.

Habita semper providentia, ut viscerum, & venarum impuritas per repetita cathartica auferatur, atque biliosi, tum serosi liquores eliminentur, qui sanguinem fluidum,

ac

ac mobiliorem justo reddunt. Deinde usurpentur pulveres erinacei, vel corticum ovorum ad cocleare unum, jejuno stomacho per aliquot dies.

Valet etiam coagulum hædi ad dracmam unam in unciis quatuor succi plantaginis depurati solutum. Succum tamen vrticæ omnibus præferendum esse semper duxi. Qui pluribus vicibus, manè, & vesperi propinandus.

Ad profluvia uterina, seu ad uteri fluores albos, providentia.

Liquoris seminalis corruptio causa est fluoris albi uterini, qui glandularum uteri proprius est. Atque si ad justam lancem res perpendatur, fluor albus nil aliud est, quam uteri quædam veluti coriza, facta à continuo humoris nutritii abscessu, atque à fetidissima in glandulis vaginalibus corruptione.

Neque tantum partes glandulares vaginæ uteri afficiuntur in hoc affectu. Sed omnes uteri partes suo defraudatæ nutrimento, hæc putrida liquamina de se abjiciunt. Hinc evenit, quòd corporis habitus & oculi concidunt, genæ labescunt, & membra universa solito graciliora fiunt. Ideòque consimilibus affectibus cachexiam jungi observamus. Dum silicet nutrimento suo defraudata viscera fatiscunt, eorumque vitalia fermenta, quandam patiuntur eclypsim.

Atque in primis stomachum observamus apto fermento carentem, cibos nec concoquere, nec volatilizare posse; sed in pituitosam mucaginem vertere, quæ liquata, & ad intima penetralia admissa, sanguinem, ac universos liquores inficit.

Frequens igitur fluoris uteri albi causa, est succi albuginei vitium, eiusque corruptio in glandulis vaginalibus, & in partibus uterinis, dum ab aliqua causa sive interna sive externa uterus per essentiam, atque Idiopaticè afficitur.

Minùs frequens causa esse consuevit, quando uterus, tum glandulæ, & partes ejus per consensum afficiuntur. Dum silicet liquor nervorum nutritius, simul cum serosa parte sanguinis, prava qualitate peccans, vel acrimonia, vel tenuitate, aut salinis condictionibus vitiatus, ad uteri partes, veluti ad communem cloacam ablegatur (Consentiente potissimum nimia glandularum uteri laxitate.)

Ita ut universi liquores serosi, acres, naturæ hostiles, circa glandulas reperti, ab iisdem non depurati, ad uteri glandulas, ut rejectamenta demandentur. Atque ob rationes prædictas fluor muliebris albus, gonorrhea non virulenta jure meritò appellari poterit.

Nam liquoris albuginei nervorum nutritii, ac serosi excretio est. Et ex glandulis vaginalibus uteri, seu cervicalibus excernitur, dum vitiatur nutrimentum uterinarum partium. Vel dum à fermento aliquo acido austero in utero, & adjacentibus partibus producto massa sanguinis circulari motu ad uterum delata, talem inquinatum liquorem deponere cogitur.

Sive etiam tale acidum à pancreate, liene stomaccho vel ab aliis circumstantibus visceribus ad uterum demittatur, talem albam substantiam à cruore absedere facit, vt coagulum, vel ut acetum quod partes lactis coacervat.

Minus adhùc frequens causa esse consuevit copia ipsius succi albuginei nervorum nutritii (in plethoricis fœminis) dum præ copia, vel tenuitate, suisque particulis acutis, rimas facit, & viam sibi aperit ad exitum. In hoc tantum à proflvvio mensium (seu mulie-

liebre) discrepans, quòd veniens à toto, indiscriminatim, & in majori copia cruorem, cum succo nutritio & aliis liquoribus profundit. Uteri verò fluor ab utero malè affecto, seu ab icorescente, ac depravato succo albugineo, iam sero à cruore separato procedit in multo minori copia.

Concedimus tamen fieri sed rarò posse etiam à toto veniens, & per uterum tale rejectamentum expurgari. Talisque fluor intacto utero, habita totius procuratione sanatur.

Verùm frequentior fit, ob imbecillitatem digestionis, seu intemperiem contractam in partibus uterinis, & sanguinem serosiorem, ac tenuiorem, salinum factum, ob peccata in mala vivendi ratione, vel ob ventriculi, & aliorum viscerum vitia.

Conceptionem itaque non prohibet fluor albus, qui ab uteri cervice venit. Non sic verò qui ab internis uteri partibus procedit.

Auxilia.

CVrari consuevit iisdem fermè remediis, quibus gonorrhea. Nam ad corrigendas frequentiores causas, seu liquores acido-austeros adhibemus sabinam, scordium, semina dauci, cum corallis rubris præparatis, oculis cancri, cretis, rasura eburis, cornu cervino, cranio humano.

Sed potissimùm decoctis lignorum utimur, tum diecta sudorifera magno cum emolumento.

Vina medicata, styptica qualitate imbuta alibi descripta, proficua erunt santalis &c.

Terebentina cum pulvere masticis, & corallorum, ut in gonorrhea adhiberi solet. Est enim laxarum glandularum affectarum auxilium, quod simùl eas repurgat, adstringit, & roborando consolidat.

Præter hæc exhibeantur, & alia, quæ laxas glandulas firment, & mundent, ut stibiata, succinata, bezoardica, balsamica resinosa, & cephalica destinata simplicia. Inter balsamica myrrha, succinum eminent.

Firmantia non infima, succus lisimachiæ est, tum plantaginis cum pulvere corallorum, masticis, Conserva florum betonicæ vel anthos, cum rasura eboris, & putaminibus avellanarum. Sic tincturam rosarum longo tempore adhibita. Vel in forma sicca testæ ovorum calcinatæ ad dracmam semis, cum vitriolo martis, & canphura ana grana iij.

Magnæ efficaciæ erit præsentibus condictionibus fervidis, ac biliosis laudanum opiatum ad grana tria, cum saccaro saturni ad grana quinque devoratum, semel in hebdomada, post cœnam.

Ad viarum laxitatem firmandam, valida erunt aluminosa omnia, saturnina, terrestria, boli, mater perlarum, pulvis eboris succini, lignum lentisci, vsci quercini super cætera.

Calibeata auxilia, & quæ acida cruorem à sero separantia imbibere possunt exhibeãtur. Suffitus ex succino, mastiche, thure, salvia, cum sulphuris portiuncula, & antimonii per infundibulum ad uterum ascendat, pro illis qui uteri intemperie humida, & viarum laxitate laborant.

Uncia una therebentinæ, ovi luteo admixtę in vini albi dulcis vnciis sex calentis dissolvatur. Atque horis quatuor ante prandium per aliquot dies propinetur. Et super cætera auxilia hoc fidum esse fateberis.

Fonticula cruribus quandoque auxilio fuisse observavi, in iis qui succi nutritii

tritii superfluitatibus laborant. In quibus etiam balnea naturalia ferrea sulphurea aluminosa prosunt. In quorum defectu, arte parari poterunt decoctione myrti, rosmarini, summitatum quercus, cum alumine, aqua fabrorum, & sale.

Victus ratio instituatur moderatè siccans. Si verò Hippocratis consilio *in libro de morb. mulierum* obtemperare velimus, *medicamentum exhibeatur, á quo sursum, & deorsum purgetur. Abstineat à pinguibus, acribus, dulcibus, salsis, & ab acribus oleribus. Vtatur carnibus volucrum, vel leporis. Lac bubulum bibat per dies 20. tepens, ad sex Atticarum heminarum mensuram. Incipiatque à duabus, & singulis diebus apponat, donec sex fiant. Inde paulatim ad duas rursus descendat, & post lactis potum cibis reficito.*

Et re vera vires vomitus in hoc affectu, non satis commendari possunt. Nam præter quàm quòd humores acidos crudos, tum biliosos, salinos, & irritantes circa ventriculum, & in visceribus naturalibus cumulari solitos evacuat; etiam ab utero contrario facto motu potentèr revellit.

Quamobrem bona fide testari possum me nunquam integrè sanatas vidisse, nisi illas, quæ vomitorii incommoda patientèr tollerare volvere, & sic aliis auxiliis rectam viam sternere permisere. Nam postmodum per decocta lignorum sudorifera repetita ad plures dies, convaluere. Vel adhibitis viperatis, & potissimum viperino pulvere cum aqua cardui benedicti, aut ejus decocto spacio viginti dierum. Mox lactis usu diuturno instituto.

Mitridatum etiam ad dracmam semis cum scrupulo uno trochiscorum de carabe per totidem dies. Vel masticis pulvis ad dracmam semis ex ovo sorbili, paulò ante cibum manè, & vesperi devoretur.

A cibo vero cydoniis vino excoctis utatur, vel diacidonitone, vel granis tribus masticis integris.

Frequentet in cibis assatis, leporum vel turturum carnes. Leporisque uterus exiccatus, in pulverem reddactus pro summo arcano venditatur.

Potus ordinarius, sit vinum nigrum adstringens, dilutum decocto ligni lentisci, santallorum, & radicis chinæ. In prima vero mensa jus plantagine, sumachiis alteratum efficax erit, potissimum in condictionibus fervidis, & viarum laxitate. Tunc enim relictis purgantibus validioribus, & fermentationem succorum majorem promoventibus: sanguis ad meliorem crasim ducendus est. Videlicet ad meliorem consistentiam, & crassitiem, viscera refrigeranda, adstringendaque vasa erunt.

Tunc ergo gratissimum julep concinari poterit, manè cum succis plantaginis, acetosæ depuratis summendum, sic: Accipias aquæ rosarum libras quatuor, spiritus vitrioli quantum satis est, ut acidula reddatur. In hac infundantur rosæ rubræ exiccatæ ad vncias duas, & post horas 24. colletur tinctura, cui admiscebis libram semis saccari rosacei antiqui.

Alia tandem in usu poni poterunt, quæ alibi pro victu refrigerante, & exiccante protulimus.

Adversus Sterillitatem in mulieribus providentia.

NOn una quidem, sed multiplices sterilitatis causæ numerantur, pro varietate instrumentorum generationi inservientium, tum pro varietate liquorum, & condictionum requisitarum vitio.

Frequentiores tamen redducuntur ad uteri vitia, vel ovarii, vel ad vasa vitiata, & liquoris utriusque. Vt plurimum tamen generalis causa reputatur, quoniam semen virile, seu potius ejus aura, ac contagium, ad ovarium pertingere nequit.

Et ideò uteri prolapsus, ac de sede abscessus. Tum uteri glandulæ cervicales tumefactæ. Tum angustiatum uteri orificium ob tumores varii generis, sed potissimum tumores syrhosi, vel cancerosi, & exulcerationes sunt sterillitatis causæ.

Non minus tamen fit à liquoribus circa uterum contaminatis, sive nimis fluentibus sive suppressis, ac stagnantibus. Tum ab infortuniis ex abortu, partu difficili, vlcere, ictibus, tum à morbis partium vicinarum ad malam diatesim, & nimiam laxitatem, ac intemperiem partes genitales ducentibus.

Solertia tandem hujus oculati sæculi detexit, in universorum animalium ovis subventaneis; quod ovula possunt esse intemperata, obstructa, indurata, seu crassiori membranula involuta, aut aliis rationibus malè organizata, ita ut à seminis virilis contagio affici, atque ad fermentatiuum motum promoveri nequeant, Aut quia exucca, vel inepto liquore repleta sint.

Atque anatomica observatione detexere in adapertis sterillibus, ut plurimum fieri ab obstructione tubarum Fallopianarum, aut ab alio impedimento, quo interveniente seminalis aura ad ovarium pervenire non potest, neque ova fœcundare.

Hujusmodi obstructio fieri consuevit ab acido liquores incrassante, vasaque angustiante. Præterea à compressionibus externis factis à tumoribus, tumefactionibus, vel nimia pinguedine additus ad ouula interdicente.

Minus frequens est uteri, renum vel partium spermaticarum intemperies calida, Vel uteri humiditas, laxitas, seu levitas secundum ejus interiorem partem, à sero ad uterum præcipitato, in quo casu cachexia, ut plurimum cum sterillitate juncta est.

Providentia.

Si itaque ab obæsitate nimia proveniat, dieta tenuis instituatur, vel etiam sudorifera lignorum longo tempore adhibeatur. Necnon aceto, vel sale conditorum usus.

Si à nimio calore, & à macie, attemperantia propinentur.

Si potissimum macies à causis externis proveniat, melior vivendi ratio instituatur, & semen augentia procurentur, in primis vero succolata cum lacte cocta. Radices eringii, satyrionis, conditæ Vel ex iisdem, cum pulpa nucis indicæ, & cinamomo electuarium paretur. Vel diasatyrionis confectio mea in parte quinta de santitate tuenda descripta. Aut diacinamomum regium.

Si naturalis facultatis torpor observetur etiam ad ambrata, & moscata ascendere licebit. Pultes vino malvatico, pasta marciapani cum pistaciis, cinamomo, macis paratæ. Passerculi. Stincorum lumbi in obsoniis accomodari poterunt.

Viperina pro consimilibus emaciatis, tenuibus, ac in venere torpidis commendantur, reconditus etenim stat in viperis balsamus, qui facultatum omnium, tum universi corporis æconomiam renovat, viscerumquæ fermenta languentia, ac veluti effæta suscitat. Sanguini mediocrem consistentiam, & firmitudinem conciliat, ejusque vitalem

fermentationem longo tempore conservat, vel imminutam restaurat.

Ideòque in regno Neapolitano, qui viperis senescentes utuntur, fermè rejuvenescere observantur ac vigorari cernuntur.

Emaciatæ igitur, atque tabidæ mulieres, brodio pullæ in quo viperæ caro decocta sit assumpto cum sterilles antea fuissent, fœcundari observantur. Sic galli, & gallinæ viperis vel serpentibus enutriti, admodum fæcundantur. Quæ etiam animalia postmodum comesta, adversus scabiem, & cutaneos morbos efficacia sunt. Tum ad luem veneris mitigandam, ad fæcunditatem procurandam, ad vitam prorogandam, corporisque nitorem, & oculorum perspicaciam impetrandam plurimum inserviunt.

Pro humidioribus adhùc temperamentis, cum victu exiccante alibi insinuato, thermæ sulphureæ aluminosæ, nitrosæ proderunt. Post balneum vero suffitus fiat benzoino, mastice, thure, succinto, cum baccis juniperi.

Æris mutatio, sæpè sterilles fæcundas reddidit.

Haustus aquę frigidę copiosior plurimis detrimento fuit. Prout crapula, & ebrietas multas sterilles fecit. Nimii labores, saltationes, clamores, tussis, sternutationes frequentes, animi pathemata valida, coitus nimius, ac intempestiuus, hæc omnia, vel singula sterillitatem, vel celerimos, & repentinos abortus, in horas facere possunt.

Si de acidorum prædominio suspicio sit, deque oppillationibus ac incrassationibus, dentur acidum corrigentia, cornu cervinum, oculi cancri, rasura eburis. Sed potissimum, his inservire consuevit secundina muliebris exiccata, vel satyriones conditi.

Si Falopianæ tubæ à materia mucilaginosa, vel tartarea obstructæ, culpentur esse in causa, ut masculei seminis contagium ad ovarium pertingere non possit, incidentia, attenuantia, purgantia, ac deobstruentia propinentur. Inter quæ vinum medicatum salsa, radicibus ononidis, ac aperitivis diureticis, rosmarino, seminibus dauci. Vel saltem radicum ononidis, & eringii ac satyrionis decocto vinum diluatur, in potu mensæ consueto, aut aqua ex iisdem paretur.

Succolatam Indicam benè aromatizatam, manè sumptam cum scrupulo coaguli leporini, plurimis antea sterillibus opem tulisse narratum est.

Suffitus aromatum, in fine lunaris purgationis conceptionum causa in fœminis principibus culpatus fuit à Castro.

Illitio pudendorum, & umbilici, zibeta, mosco, croco oleo spicæ styrace, benzoino ab aliis depredicatur, non minus.

In causa pituitosa, jus galli, vel etiam columbi cum lignis consuetis, & cephalicis simplicibus non omittatur.

A proprietate prodesse creduntur testes apri, vel veris, in umbra exiccati, vel equi castrati testes, aut vervecis similitèr, in vino propinati. Prout vulva leporis cum utero pro omnibus sufficere judicatur.

Porcellorum fœcundissimi testes paritèr exiccati, manè ad cocleare unum per aliquot dies exhibiti, omnium maximè fœcunditatem accersere posse reputantur. Quæ potissimum desinente fluore lunaris purgationis propinanda erunt.

Tunc si opus sit, tutò ad uterum exiccantia, & roborantia accedes. Ad suffitum per trochiscos procuratum, ex macis, benzoino, styrace, castoreo cum terrebentina subactos; addita

dita, etiam myrrha, & succino.

Parcè his bibere expedit, ac moderatè exerceri.

Ex Oribasio per dies quindecim, ante menstruas purgationes, non concumbant, sed statim cessata purgatione coeant mosco, ambra, & oleo formicarum inuncto viri sui balano. Post coitum non protinus à mutuo complexu divellantur; sed placidè aliquandiù absque omni animi & corporis commotione conquiescant, cruribus etiam complicatis si fieri possit dormiant.

Idoneum itaq; ad concipiendum tēpus reputatur quando menstrua proximè defecere, tunc etenim uterus hiat, atque superfluitatibus vacat; ideòque tum validior fit ad diutiùs retinendum, ac fovendum semen. Tum seminis contagium ad ovarium expeditiorem viam adinvenire valet.

Extractum muliebris secundinæ, tunc mirè inservire observavi, per tres dies jejuno ventre assumptum. Vel etiam tincturam satyrionis, aut ejus gelu conditum, cum rasura eboris, in vino albo dulci.

Si venereæ contagionis reliquiæ aliquæ subsint, vix ulla arte fæcunditatem impetrare poteris; sed frustra absque alexipharmacis luis laborabis; ad hæc igitur festinantèr accedes.

Atque ut universum corpus, tum liquores omnes meliorem conditionem adipiscantur, & viri semen veluti balsamicam, & prolificam qualitatem induat viperino pulvere repetitis vicibus foveatur. Mulier vero viperarum brodio per viginti dies vigoretur, post decocta lignorum &c.

Et quoniam summi vigoris index fecunditas esse consuevit (cujus defectu nec pueri nec senes fecundantur), ideò omni arte summus individui vigor procurandus est, tum optima instituta dieta, tum partibus potissimum principibus roboratis, magnis antidotis, theriaca, confessione alkermes, diambra, lacte perlarum. Conservis florum citri, antos rosmarini, betonicæ, atque aromaticis nobilioribus.

In conditionibus tamen fervidioribus ab his abstinendum erit, tum à salsis, acribus, vino generosiori ac dulci. Et horum loco in prima mensa jusculo endivia, boragine, acetosa alterato potius gaudeat, ac dieta temperata.

Jejuno ventriculo corpus exerceatur. Otium enim, & quies Scytarum fœminarum, penès Hippocratem (lib. de aere, aquis, & locis) sterillitatis causa erat. Et ancillas minus pastas, & laborantes fecundas esse observabat. Sic nostras ruricolas, fame, & laboribus exuccas saturis urbanis, & ocio saginatis, fecundiores esse iisdem de causis observamus.

Alibi Hippocrates *de natura muliebri* saluberrimum consilium donat sic: *Ut mulier concipiat, malicorium in vino odorato bulliat, & pessarium efforma, paulò ante horam concubitus adhibendum. Vel alumem tritum lanæ alligatum aponito.*

Hujus occasione lepidum fortuitum apponam cujusdam medici, qui conceptum avertere procurans, & loco vitrioli ab Hippocrate alibi indigitat, alumen apponere ante coitum jubens in muliere infœcundissima, conceptum præter omnem intentionem excitavit.

Ad uteri præfocationes, atque hystericas affectiones auxilia.

OPtima quidem ratione *Io: Elmontius cap. de conceptis* hunc affectum *insaniam quandam uteri archealem* appellat. Observans quod animæ passiones, aliaque vehementia, ac subitò altes-

alterantia externa, uterum veluti dormientem canem excitant, & ad furorem provocant. Ideoque Plato uterum furiosum animal nuncupare non dubitavit.

A semine itaque, tum à variis liquoribus ad uterum demissis, ac præter naturam detentis & corruptis concitatur affectus, qui hystericæ passionis nomine insignitus cum multiplex sit, uteri tamen præfocatio & frequentior, & præcipua est.

Causæ itaque antedictæ internæ sopitæ latent, donec à causa aliqua externa commoveantur, ex. gr. à rebus odoratis naribus admotis, alimentis dulcibus, ira, vel alia animi passione vehementi.

Fœminæ etenim facilè ad affectiones hystericas, & spasmos, ob debilius cerebrum, & nervosum genus ducuntur.

Paracelso igitur doctore fiunt hujusmodi affectus, dum liquores ad uterum demissi, diutiùs stagnantes veluti vinum acescunt à quibus vellicatæ partes uteri sentientes contrahuntur, convelIunturque spasmodicè.

Aciditatis etenim natura est spasmos atque contractiones vellicando incutere.

Spiritus itaque animales intra uteri fibras ab hoste acido vitioso effervescente excitati, tumultuariè insiliunt, atque irregularitèr moti, nervos nervosasque partes hinc indè distendunt. Immò veluti vento incluso (flatus enim ipsi ab Hippocrate appellantur) membra tumefaciunt, collum veluti bolo immisso coarctant, globus unus, vel plures in abdomine, & alibi percipiuntur Diaphragma minus deorsum ferri potest, musculi abdominis convelluntur; ideò summa cum difficultate ad respirandum moventur.

In graviori affectu cordis fibris, ac nervis in consensum tractis, ejus actio impeditur, inde totius corporis refrigeratio, pulsuum abolitio defectu spiritus, & caloris influentis ecclypsi.

Minus frequens affectio est, quæ fit à succo acido salso, vel amaro Massæ sanguineæ, in transitu suo circulari, in utero deposito. A quo spiritus animales per vteri fibras discurrentes dum stimulantur, membranas, & musculorum fibras contrahunt inordinatè commoti, & viscera turbant. Impetuosiùs etiam versus superiora delati a nervum recurrentem, vitæ periculum & suffocationis inducunt.

Auxilia.

Sicuti in accessione his remedium præsentaneum est aceti ciathus epotus. Ita extra accessionem ab acidis omnibus, & ab acetariis se continere debent tum à dulcibus, flatulentis, calefacientibus, ad fermentationem dispositis, necnon à glutinosis, pravi succi. Et uno verbo ab universi assumptis magnarum virium, & spiritus impetuosiùs commovere valentibus.

Sed cibis utantur mollibus, & facilè per aliud secedentibus. Ideò pisces optimæ notæ ipsis carnibus aptiores sunt, & victus mollis.

Hippocrates de morb. mul. inter multiplicia quæ proponit in uteri præfocatione auxilia, sunt graveolentia sub nares, suaveolentia verò subtus suffita, ut castoreum assa fætida. Cornu capræ nigræ, vel cervinum suffitum cæteris præferri debet.

Oleum succini, naribus, pulsibus, tum umbilico illitus, animales spiritus recreat, & ad amicabilem reconciliationem invitat. Penæ perdicum, vel gallinarum combustæ, calceorum veterum

terum fumus, ſulphuris, aſſæ fœtidæ, auxilia venerabilis antiquitatis depredicantur quæ ubique, & cum fructu uſurpantur.

Nunc temporis penès Neotericos celebratur ſpiritus ſalarmoniaci, vel fuliginis, vel urinæ naribus appoſitus. Has enim à paroxiſmo ſtatìm excitare conſuevit.

Quandoque magis profuit ſuffita ungula equi, vel ſuccinum, vel carta combuſta; ſed fumus ex verucis equorum raro fefelit, Prout penès Varignanam capillorum patientis combuſtorum fumus certum auxilium eſt.

Atque hoc loco notandum eſt, quod odores debent eſſe viroſi, non vero fetidi. Plurimum etenim differunt viroſi à fetidis. Viroſi etenim (ut aſſa fetida, caſtreum &c.) ſpiritibus non inſidiantur, imò ad blandum, & ordinatum motum eoſdem invitant, Nam apta ſuæ ſenſationis impreſſione facta in cerebro, circa uterum moleſtas ſenſationes relinquere invitantur. At fetidi propriè ſunt illi, qui à cadaveroſa putredine fiunt. Et iſti tantum abeſt ut proſint, quod dum ab his deteriti ſpiritus refugiunt in fugas irregulares, & noxias anomalias ſemper vertuntur, & affectus exaſperantur.

Acceſſionis ſymptomata omnia in momento ſedari reperies, ſi oxicrati ciathum frigidè haurire valeat patiens. Illicò enim effervefcentias, & commotiones omnes tolli ad hujus repentini acidi præſentiam obſervabis, & veluti attoniti ſpiritus, innordinationes ſuas ſedare conſuevere.

Si vero nobilius, & certius auxilium expetas, & tempus ſuppetat. Accipias vitrioli ſpiritum ad guttas decem, & in unciis tribus aquæ florum aurantiorum admixtum propinabis. Et fermè in momento ab inſulto hyſterico liberabis.

Fuit & audacior, qui acidorum de repentè ex hibitorum vim contemplatus, enema ex oxicrato frigido imponere aggreſſus eſt. Nec ſpe fruſtratus eſt, ſed ſedata omni fermentatione circa uteri vaſa, toties quoties adhibuit, patientes illicò excitavit.

Optimum eſt etiam conſilium Hippocratis, *ſedentem collocare, eructationes, & ſternutationes veratro albo naribus indito procurare. Funiculum etiam lucernarum accendere docet, & ante nares extinguere, ut fuligo nares ingrediatur*.

Mihi vero per tubulum fumus tabaci alieno ore hauſtus in nares ægræ projectus pro repentino auxilio epilepticitum uterinæ præfocationis inſulſus non ſemel fuit.

Extra acceſſionem cogitandum erit de optima ratione victus inſtituenda. Nã omnis aeris exceſſus vitandus. Prout odores omnes olfactus ſenſationem gravitèr afficientes, ſive grati ſint, & benè olentes, ſivè ingrati, & malè olentes. Sic extinctæ lucernæ odores, equè ac moſci, vel florum inſultum acceſſere poſſunt. Animi paſſiones vehementes, & potiſſimum ira, & innopinati terrores affectum hunc in momento concitare obſervantur.

Ab alimentis magnarum virium, ſive intensè dulcibus, ſive auſteris, acidis, ſalſis, atque difficilis fermentationis omninò caveant.

Ante omnia excrementis retentis proſpiciendum erit, & potiſſimum menſtruis ſupreſſis alvo conſtrictæ, ſemini retento, & alii, quæ morbi fomites eſſe conſuevere.

Vinum non exhibeatur, quando potiſſimum ſuccorum plenitudo culpatur, vel ſemem retentum, aut craſſus ſanguis

guis ater in utero & circumſitas partes ſtagnans. Vinum enim particulis ſuis ſpirituoſis, ac mobilibus conſimiles materias commovere atque ad fermentationem impellere poteſt.

Vtilimum eſt, ſemel, vel bis in menſe vomitum proritare, iure copioſo, tum taphani ſucco, & oleo amygdarum. Vel etiam cum tartaro hemetico, vel ſale vitrioli, aut pulvere ſympatico ſeu Gilla Theofraſti in aqua betonicæ ſoluta. Sal ſtamni paſſim decantatur.

Quia verò Hippocrates lib. de genitura obſervat, quod mulieres quæ coeunt magis ſanæ viuunt, quàm non coeuntes. Quoniam in illis, nec ſemen retinetur, nec cotrumpitur. Tum quia pudendorum partes humectatæ ac fluidiores factæ, feliciùs excrementa menſtrua dimittunt. Ideò conſimiles ægras in matrimonium copulandas eſſe monet. Nam ſubjungit ſolutio morbi continget, ſi conceperint.

Pro interno confortativo, tum dulcificante, plurima ſunt quæ pro varia intentione inſervire poſſunt, ut margaritæ præparatæ corallia, & cruſtacea univerſa. Sed pto ſanguine, & liquoribus rectificandis tinctura antimonii magis inſervire poterit.

Pro fermentativis, vel irritantibus particulis demulciendis, & ſpirituum impetu refrænando, tinctura opii, vel nepentes quercetani, vel juſquiami, & radicum mandragoræ in aqua fructuum ebuli, vel ſambuci facta, & cocleatim propinata pluries in dies, maximum ſemper fuit auxilium, in illis potiſſimum, inquibus affectus frequentèr recurrere obſervatur. Pro quibus etiam præcioſiſſimum laudanum hyſtericum parabis, noctu ante ſomnum exhibendum, ex extracto opii, cum croco, verucis equorum, & caſtoreo.

Ex corio etiam humano cingulum fieri procurabis, & has miſellas ab hyſterica invaſione præſervabis.

Si auſteri melancolici liquores culpentur ab amaris, & ab iis quæ ſimul menſtruorum purgationes promoventia calida ſunt tenuium partium, non abſtinebis. Ex his variæ tincturæ commendantur, cinamomi, croci, macis, ſeminum dauci, & omnium fermè aromaticorum. Cortices aurantiorum conditæ. Conſerva florum roſmarini, geniſtæ, & conſimilia ſaccarina, dummodo conſtet quod à dulcibus ſopitus uteri furor non excitetur. Tunc enim potius ſola ad amara te convertes. Ad oleum, vel eſſentiam ſuccini. Ad fel anguis, teſtes equorum, virgam cervi, vel bovis raſpatam. Ad genitalia leporis exiccata. Ad verucas poplitis equorum. Ad grana ebuli, vel juniperi. Ad opium cum caſtoreo theriaca, & trochiſis de myrrha.

Ingruente paroxiſmo ex Hippocratis monitu, *hyſtericis, & difficulter parientibus ſternutatio procuretur* 5. *aph.* 35. Sed potiſſimum elleboro albo, pyretro, & nicotiana æquis portionibus.

Intra uterum alibi conſulit, ut benè olentia indantur, moſchus, ambra, zibeta. Vel cinamomum, cariophillus ſubtus ſuffiantur. Naribus vero acuta, fætida applicentur.

Ita collocetur ægra ut cervicem, & ſcapulas elevatas habeat, inguina, & femora declivia. Sic enim uterus facilius redducetut. Et viſcera non comprimentia diaphragma, faciliorem reſpirationem admittent. Vmbilico tunc poris balſamus apoplecticus vel Peruanus ſummè proderit. Tum galbanum, cum aſſa fætida, oleo ſuccini, & caſtoreo ſubactum, & ſuper alutam extenſum regioni pubis applicitum.

C Ori

Ori indatur tinctura castorei, vel myrrhæ & acidum ponticum in ictu oculi corriges. Sic ex sabina, marubio, dictamo albo utilimam essentiam pro his elycies. Quæ cum myrrha, castoreo, galbano, succino, & mastice omnem paginam implere poterit.

Quibus etiam pro acidorum correctivo in usu quotidiano inserviet vinum absyntio medicatum, carduo benedicto, sabina, marubio, rhabarbaro, corticibus aurantii. Sed potissimum lignorum decoctis, & myrrhatis hujusmodi ægrotantibus oppitulaberis.

Sicum venereis phantasmatibus insurgere paraxismum observaveris, grana quinque salis Saturni, cum ad cansuræ, & modico mitridato propinabis, manè jejuno ventriculo, repetitis vicibus. Renibus etiam, & pubi applicito infrigidante Galeni copioso sale saturni admixto.

Vidi aquam Naphæ ad vncias quatuor circiter cum granis tribus moschi illicò præfocatam restituisse.

Zacutus Lusit. lib. 2. prax. adm. observ. 94. Uteri præfocationem sanavit, ex retento semine, immisso pessario ex cyclamine, cæpis, ac felle tauri, & facta titillatione. An verò quod licere posset hebreo, liceat & Christiano Medico timenti Deum, sopitis sensibus in his procurare ut corruptum, seu fervens semen exeat titillationibus factis, inibi discutiendum relinquo.

Pro furore Uterino auxilia.

BEnè pastarum urbanarum mulierum. ac fœminarum Baccantium affectus esse consuevit; insolitus inter arva audiri, ubi rusticus Pan cantilenas suas in lætis spacuis resonare facit.

Aliquore etenim albugineo nervoso, à spermaticarum partium nutritione residuo insurgere solet. Dum ab eo exuberans seminis copia procedit, quæ ob diuturniorem moram, dum concipit acrimoniam; & feruorem naturæ leges excedentem, in vasis seminalibus turgens, genitalia ad venereos concubitus appetendos impetuosè concitat, in se imaginationem, & postmodum rationem omnem arietando concutere potest.

Semper enim cum orgasmo, & insigni partium genitalium phlogosi concitari solet. Quæ est in causa, ut animales spiritus dum ad muliebria pudenda cum impetu feruntur, plasticus uteri spiritus ad furorem concitetur. Consocii spiritus animales, furibundi, ac in elasticitate sua veluti inflammati, assiduas, atque vehementes in pudendo titillationes efficientes, notas sibi ad cerebrum vias terrentes, tales cerebri poros aperiunt validè, ut indè nullæ fermè aliæ ideæ suppetant, quam de libidine, Venerisque æstrum violentius proximè constituentes, hujus parentes fiunt.

Auxilia.

PArsimonia, frugalitas, assiduus labor, repetita jejuna, esus rerum frigidarum, & humidarum (piscium, & olerum) Aquæ potus. Aer frigidior, cui denudata crura, & pedes exponantur. Animi pathemat amultiplicia. Dura dormitio. Validissima sunt propugnacula adversus hanc tyranicam affectionem, & flagella.

Impudicæ cogitationes omnes procul absint. Risus, facetæ Venereorum prægressorum actuum recordationes omninò interdicantur.

Liquores interim acres, in partibus genitalibus conculcati, libidinis æstrum pro-

proritantes attemperandi sunt, aqueis, terreis frigidis, narcoticis, oleosis. Quapropter emulsiones ex seminibus frigidis in aqua lactucæ, portulacæ cum sale prunellæ, spiritu nitri, vel vitreoli.

Opiata universa, spiritus, ac liquores defervescere facientia, semper his proficua extitere.

Sed super cætera auxilia saccarum saturni ad scrupulum semis in aqua plantaginis summo manè. Inter diù vero canphura dissoluta in aqua, & syrupo ex floribus papaveris cocleatim sumpta. Sal prunellæ in sorbitionibus frequentatum. Serum lactis per multos dies exhibitum.

Valent denique omnia, quæ in melancolia hypocondriaca alibi proposita sunt. Quæ enim calefacientia attenuantia ab auctoribus proponuntur, ad vitiosum liquorem genitalem corrigendum, balsamica catarrhalia, mirrhata, succinata, penès me minus tuta sunt.

Potius vesperi ante lectuli ingressum anodina, emulsiones, papaveraceà, laudanum ipsum opiatum suaderem.

Lumbi interim, & pubes infrigidante Galeni, admixto copioso sale Saturni, & cansura inungantur. Quibus si succum portulacæ, plantaginis cum cansura addideris efficacius ages.

His tandem non conferentibus in matrimonium (si fieri possit) copuletur. Hoc enim non ab Hippocrate tantum, sed ab universis auctoribus legitimum super cætera auxilium, declamatum esse videbis.

Si hoc ob religionem, vel aliam causam inhibeatur, succo frigidissimo portulacæ, cicutæ, addita cansura, & sale Saturni, frequentèr genitalia foveantur, & Cupidinis irrationalis incendia extingues.

Potissimum si uterus ipse his refrigerantibus injectionibus eluatur, videlicet portulacæ succo, sempervivi, maluæ, cum cansura proficies.

Riverius *libro decimoquinto capite quinto*. Consulit, ut si nefas judicetur, quod perita obstetrix per genitalium contrectationem excernere curet seminis ægritudinem foventis copiam. Saltem ægra in balneo collocetur, atque lenibus frictionibus uterus spontè seminale excrementum dimittet, dum admittitur aqua tepens ad penitiores vulvæ partes. Certiùs verò res eveniet si dum ægra est in balneo pessarium immittatur, mox succo cicutæ vulva foveatur, nam præter manifestam refrigerandi vim, hujus affectus specificum esse creditur.

Ad molam uteri Auxilia.

Vitiosus, & depravatus carnis conceptus mola est, qui naturalem conceptum aliquibus notis reppresentat. Pertinax adeò affectus, ut non tantum ad annos, sed toto vitæ tempore frequentèr duret.

Molæ causa penès Hippocratem de mulierum morbis sunt menstrua mulierum recrementa, quæ modici, & morbosi seminis architetonicam vim veluti suffocando, ac indebitè onerando, sunt in causa ut carneus, & informis conceptus fiat.

Rem vero sic se habere magnum indicium est, quia neque in viduis, neque procul à viri congressu degentibus consimilis affectus observatus est.

Recentiores (atque inter cæteros Jo: Elmontius) non recrementa men-

ſtrua, ſed ouulum per viri congreſſum ad uteri cavitatem delapſum culpant, in quo à violentis cauſis externis formatrix ab initio deturbatur, & potiſſimum à valida animi paſſione fętus ſtamina veluti interturbantur, ac confundantur, priuſquam propria quadra vivere poſſit. (ſilicet ante quadrageſimum diem) dum etenim ad matris cor cum ſanguine ſpiritus arterialis, ac vitalis confertim confluit, deſerens fætum, Poſt aliquod tempus dum denuò ad illum reddit, invenit ſyncopizatum, & cui tenello vix vitæ exordium reconecti poteſt (videlicet nutritio) unde mola fit. Vel nullo modo reconecti poteſt, & fit abortus.

Auxilia.

VAlidiſſimis purgantibus quandoque ſucceſſit, ut de ſede ſua dejici potuerit. Inter quæ experientia validiſſimum eſſe comprobatti turpetum, ſeu arcanum corallinum Paracelſi, vel Herculem Bovii cum trochiſcis alhandal, & eſſentia ſabinæ. ℞. arcani corallini Paracelſi, trochis. alhandal; eſſentiæ ſabinæ ana gr. v. miſce, fiat bolus.

Quibus ſtomachi vires non admodum conſtant, clyſteres ex ſabinæ, & colocintidis decocto, copioſo croco metallorum admixto frequententur. Vel ſuppoſitoria acerima Hercule Bovii admixto injiciantur.

Sabinæ fumus per infundibulum ad uterum admittatur. Per os verò interim ſabinæ extractum ad dracmam unam propinetur; Vel tinctura croci, dictami albi, & cretici, & myrrhæ in ſpiritu vini facta.

Penès Hippocratem, difficilimæ curæ eſſe invenias, adeò ut admoneat alumnos ſuos calumnias artis evitando, ab hujuſmodi curatione abſtinere debere.

Si tamen Chriſtiana pietas, impietatem putet ſolo prognoſtico ægros relinquere. Atque auxilia aliqua tentanda eſſe ſuadeat. Facto difficultatis prognoſtico, ad ea quæ validè incraſſata attenuare, uteri vaſa laxare, & ligamenta valida, & inveterata duritie firmata quibus molla alligata eſt diſrumpere, uteri verò expultricem ad validè inſurgendum concitare poſſunt accedere cogitabis.

Quamobrem (ut uno verbo omnia comprehendam) validiſſima illa quæ menſtrua provocare, ſecundinas pellere, & fætum mortuum de utero dejicere poſſunt, ea ſola aptiſſima eſſe reperies. De quibus ſuo loco.

Ad uteri procidemtiam auxilia.

EJus conſtitutionis uterus eſt, ut cum opus fuerit variè dimoveri poſſit, ideò variis ligamentis, veluti habenis gaudet, à quibus hinc indè firmari, & in ſuo naturali, ac debito loco detineri poſſit.

Hac eadem ratione evenit, quod à variis cauſis tum internis, tum externis, ſed potiſſimum à frigida uteri intemperie ejus nutritio vitiatur, excrementa pituitoſa dicta coacervantur, ſeu ſeroſa, quæ ligamenta facilè laxare poſſunt.

Inde cum uterus in humidiore, & laxo conſiſtat loco, atque in ſitu ſatis declivi, ac prono, ad procidendum exterius occaſionibus datis diſponitur.

Sic pedum frigiditas in lotricibus pannorum, hujus affectus cauſa eſſe conſuevit. In pauperculis prava viven-

vendi ratio; & nuditas potissimum circa lumbos, & genitalia. In aliis onerum gestatio, saltus, clamores, ejulatus, ac animi motus violentiores.

Auxilia.

IN primis magna cura habenda est, ne aluus segnior sit, vel laxior. In primo enim casu, ex conatu dejiciendi fæces induratas, uterus descendit. In secundo, fluida ob liquida excrementa alvus, uteri proximi ligamenta laxat.

Et ideò Prosper Martianus *in commento libri primi de morb. mul. Hippocratis*, ad aueruncandas hujusmodi materias fluidas tum contraria facta motione ad retrahendum ad suam sedem uterum, vomitum proponit sic: *Mulieribus quibus procidit uterus Hippocrates vomitum proponit. Et certè experientia cognovi nil esse quod descendentem uterum melius, ad naturalem statum suum redducat, quam nisus ille ad vomendum, etiam si nulla subsequatur evacuatio.*

Victus exiccans potiùs quàm humectans, instituatur. Si verò Hippocratis consilia audias *lib. de natura muliebri: Exhibe aquam lentium mel, & acetum, deinde vomitum his procurabis. In lectulo jaceat à pedibus altiore, Graveolentia pudendo, odorata sub nares suffito. Cibis utatur postmodum frigidis, & abstineat á vino. Frigefactoria etiam pudendo appone. Decumbat supina, pedes sursum retractos habens. Potu quam parcissimo utatur. Acerba vero utero infunde. Estque affectus, qui inveterascens, amplius ad locum suum regredi recusat.*

Alibi Hippocrates ait: Ventrem huic ne solvas, cibis parcissimis, neque acribus, neque salitis utatur. Ubi deambulare voluerit, subligaculum gestet. Uterum aqua abluito, & aceto modico. Oleum verò ne adhibeto, neque aliud pingue. Quam maximè quiescere oportet, & lectulum à pedibus sternere altiorem, & vomitibus uti. Post repositionem crurum unum alteri superponatur alternatim. A potu abstineat, quantum fieri potest.

Ipse quandocumque hujusmodi egras præmanibus habuisse curavi, ut in lectulo capite declivi jacerent, crura sursum retraherent. Anhelitum potius ad se traherent. Neque magnas respirationes facerent. Inde repositionem tentabam (alvo, & vescica prius exoneratis) manuum ope, vel etiam bacillo obtuso, vel candella cerea repellendo ad locum suum.

Si intumescat adeò ut retrocedere non possit, aqua, vel decocto plantaginis, in quo acetum, & sal solutum sit uterum fovebis, & sic detumescet. Deinde ante repositionem decocto adstringente foveatur ex plantagine alumine, galla, balaustis, in vino nigro austero facto. Postea insperso pulvere ex thure, myrrha, mastice, sarcocolla reponatur. Et post repositionem, suffitus fiat ex eadem myrrha, thure, mastice, & sarcocolla. Pubi vero ceratum pro crepatis Ioannis de Vico, vel meum sine oleis ex lacryma abietina sanguine draconis, & masticis pulvere cum tantillo pulveris cariophillorum imposui.

Postmodum per plures dies decocta vulneraria exhibui, alchemilla, plantagine cum seminibus, & radicibus symphiti. Quandoque serositatibus redundantibus usus fui decocto lignorum cum dieta sudorifera.

Solemne specificum semel à præceptore

ptore in recenti uteri prolapſu feliciter obſervavi Corium ſilicet anguillæ ſalitæ ex quo poſt uteri repoſitionem, ſuffitum fieri curavit.

Alii ſtercore vacino, vel aſinino ſuffitum fieri procurant. Optimum conſilium eſt poſtmodum, ex intervallis vomitum ciere. Tum inſeſſus ſtypticos veſperi eundo cubitum frequentare.

Rebus omnibus deſperatis à Gallo chyrurgo didici annulum, vel etiam globulum conficere ex filo craſſo canabino, ad craſſitudinem oſtii vulvæ, excavatum in medio, ceratumque cera, pulvere maſticis, & ceruſæ. Quod intromittendum eſt, ut uterum retropellat, atque in loco ſuo detineat.


Semel in hoſpitali uſus fui felici cum ſuceſſu, poſt repoſitionem balſamo ſtyptico cauſtico meo, deinde ſequentibus tribus diebus, unguento de tutia. Qua etiam arte hemorrhoidum fluores tum tumores, tum dolores contumaciſſimos integrè ſanare potui.

Ab empyrico, duplici exemplo confirmatam vidi ſanationem uteri procidentiæ inveteratæ, Exhibito pulvere ſabinæ ad drac. ij. & croci orientalis ad drac j. duabus vel tribus vicibus eundo cubitum. Fortè à ſomno facta ingenti retractione ad interiora, dum incaleſcit firmatur uterus, inque loco ſuo detinetur.

Zacutus Luſitanus *lib. 2. praxis admir. obſerv. 95.* Avenzoaris exemplo acceſſit ad fœminam, quæ ab anno cum dimidio uteri prolapſum patiebatur, cum ſumma duritie, ob quam difficultèr ad locum ſuum reddire poterat. Multis incaſſum adhibitis, ſupina collocata, & alio ejus pectus amplectente magnus terror incuſſus eſt ei, ponendo circa crura, & fęmora mures, & lacertas ranaſque filo alligatas, à quibus vagantibus dum conatur aufugere, retrahendo pedes & crura, uterus ſe contrahere cæpit, & ad locum ſuum reddiit Inde cerato, & ſubligaculo impoſito integræ ſanitati reſtituta fuit.



MORBIS



DE
MORBIS CAPITIS
PARTICULA SECUNDA.

Ad dolores Capitis auxilia tum genericè pro doloribus .



Niversalis dolorum immediata causa, solutio continui est in fieri, motusque vehementior in parte sensitiva. Dum silicet nerveis fibrilis magna infertur violentia. Naturalitèr etenim ad sensationes promptæ nerveæ fibrillæ tensæ manent. Ideoque dum ab incongruis corpusculis vellicantur, ac spasmodicè irritantur, (eorum porulos ingredi tentantibus) fit prava ac dolorifica sensatio.

Salia itaque acuta, acria, solventia hujusmodi ingressum tentantia, magnorum dolorum sunt causæ potissimum dum vitalibus, ac nutritivis succis permixta angulosa, gladiformia, scindentia fuerint.

Quandoque tamen copiosum alkali sanguini mixtum cruciatum, & dolorum est causa, dum eum effervescere facit, atque ex conceptaculis suis nimis dilatatis egressum tentare procurat.

Semper verò spiritus animales tumultuantes, & invicem discordes, ac collidentes vi sua elastica, dolores augent. Nam assiduò proxima corpora convellere, ac corrugare faciunt.

Dolor itaque punctorius ab acutis salibus. Lancinans ab acido solvente. Gravans ab otusis liquoribus aqueis, atque à pituita insipida. Distendens à spiritu flatulento fiunt.

Pungitivus etenim (veluti ab acutis instrumentis) fit dum humor tenuis, mobilis biliosus (ut inchores) calidus, impetuosè motus, inter villos nerveos se ie intrudere tentans, atque illos divellens.

Pulsativus fit dum aliquid prohibet, ne sanguis naturali tenore ac fluxu per arterias fluat, sed aliquantulum dum cohibetur, retrorsum fluere cogitur, & sanguini continuè affluenti occurere.

Tensivus fit à liquidis incuneatis, quæ inter utramque partem villorum inseruntur. Quandoque fit ab èxiccantibus dum absumptis humidis particulis, villi per longitudinem abbreviantur.

Si verò ad particularia descendentes capitis doloris causas investigare voluerimus penès Hippocratem *lib. de flatibus*, flatas esse capitis dolorum causas inveniemus sic: *Dolores capitis simul cum febre fiunt, dum sanguinis transitus*

tus per venas capitis angustiatur, ob multum flatum, quo replentur.

Penès vero Neotericos non solum in capite, sed in multis aliis partibus (ut in artridite, podagra, pleuritide spuria, & aliis) fieri consuevere dolores, ab acido morboso in stomacho, & primis viis latente. Cujus etiam maximum indicium est, quoniam omnium facilimè exhibitis absorbentibus cedit.

Re vera tamen frequentiores capitis doloris causæ, sanguinis fuligines à fermentationibus in partibus inferioribus elevatæ (seù vaporosus calidus irrefrænabilis spiritus Gas Sylvester ab Elmontio dictus) esse consuevere.

Ita ut universim, vel per Idiopathiam affecto capite, vel per sympathiam suboriatur à toto in febribus, vel à determinata parte, ventriculo, utero, aut alia, &c.

Semper tamen disponens causa solet esse capitis imbecillitas. Hinc capite imbecilliores facilè ab omnibus tum internis, tum externis causis læduntur, odoribus, sole, &c.

Cronicorum capitis dolorum causæ remotiores esse consuevere ventriculus minus aptè concoquens, vel naturalia viscera ineptè, nec juxta exigentiam liquores à suis recrementis depurantia, quamobrem dum circulari motu ad imbecille caput cum sanguinis massa deferuntur impuri, & crassiores ad cerebri angusta vasa incuneantur, motu pecantes. Vel scindenti salina qualitate, aut copia suà vasa extendentes, & sensitivas partes violantes, dolorem incutiunt.

Frequentiores causæ dolorum capitis in sanis esse consuevere errata in victu, & potissimum biliosa excrementa circa os supernum ventriculi mineram habentia, ac inibi fermentescentia, quæ etiam in variis partibus dolorum causæ cum tensione, & spirituum necessaria irritatione esse solent.

Auxilia.

Ante omnia si quæ causæ externæ doloris adsint, removendæ sunt, ut ignis, calor solis, vigiliæ, violenti motus, nimia venus, crapula, acuti odores, &c.

Hippocrates *in libello de humidorum usu*, modicum torporem per refrigerantia procuratum doloris medicinam esse reputat. *Quam etiam doctrinam repetit in 5. aph. 25.* Cujus rei rationem reddere possumus quod hujusmodi stupor dum liquores ferventes, ac impetuosiùs motos, salibus acuminatis armatos (qui sagittarum ad instar in porositatibus partium sentientium penetrabant) frigidis humidis particulis introductis ligat, & onerat, non solum à motu retardat, sed attemperat, & spicula invaginat. Narcotica vero non sic operantur; sed dolorem sedant quatenus spirituum seditiones, & humorum effervescentias sistunt. Quibus deindè quiescentibus, dolores fieri nequeunt.

Hinc est quod quies in magnis doloribus ingens auxilium est. Et propterea *Galenus in libro de inæqua: intemperie ait: Si in nostra potestate esset, optimum esset efficere in inflammationibus, ut arteria quiesceret, vel tardius pulsaret, ob motum enim arteriarum in inflammationibus dolor vehementior fit. Omne verò inflammatum integram quietem desiderat, secus invicem partes atteruntur, fluxio major fit, & dolor augetur.*

In capitis doloribus, præsentibus condictionibus calidis ab aere fugiant fervido, luminoso. Nam dolentes natura-

turalitèr lumen effugere oculos videmus.

Somnus sit prolixior. Vinum utpotè vaporosum, & ad caput ducens interdicatur. Atque potius granatorum vinum dilutum insinuabimus.

Lactuca vesperè in cœna. A cœna vero emulsiones ex seminibus papaveris, tum papaveracea.

Caveant à rebus acribus allio, cæpis, sinapi, tum ab odoribus acutis, & à rebus vaporosis, capiti infensis, nucibus, nociolis, lacte, & ab aliis facili negocio effervescentibus mellitis, & dulcibus. Sic à flatulentis leguminibus, & alijs. Imò si de materia vaporosa suspicio sit, ad vapores discutientia descendere licet, ad coriandri confectiones, ad corticem aurantiorum conditam, ad semina citri.

Vesperi eundo cubitum, magnam utilitatem percipient in pedum lotione, & in frictionibus asperis, nec lentis, extremis partibus factis. Manè verò in pectinationibus frequentibus, & protractis. Atque in lenibus ambulationibus sub sereno cœlo factis.

Consilio Hippocratis *in lib. de af. in doloribus capitis victus sit sorbitio, & potus aqua. Monet tamen in lib. 2. de morbis popul. quod si ex crapula caput doleat, vini meraci heminam propinemus.*

Si ex intempestivo jejuno, offa panis in vino intincta & commesta in momento dolo rem solvere consuevit.

Si à causa frigida oriatur, ambra, moscus magnæ erit efficaciæ, vel crocus cum canphura.

Marcotica dolores universim sedant, partem stupefaciendo, eique sensum auferendo. Vel somno conciliato, dum ad cerebrum animales spiritus retrahuntur, sensus adimuntur. Hanc igitur narcosim quandocumque opus fuerit procurare poteris per radices mandragoræ, semina hyosciami, vel papaveris albi. Per succos cicutæ, lactucę. Per opium, & opiatas confectiones, ut philonium Rom. laudanum Querc. Sed potissimum per oleum expressum ex seminibus papaveris albi quod Venetiis passim venundatur.

Vrgente itaque quocumque dolore, ac vigiliis infestantibus, ut partium vellicatarum fibræ contractæ relaxentur, & quies subsequatur, ad opiata, vel saltem ad anodina confugiendum. Opiata enim præter quam quòd liquorum aciditatem, & acrimoniam infringunt; furiosos, & stimulatos præ dolore spiritus animales placant.

Præterea sudorem, & per diaphoresim expulsionem, somno procurato mirè moliuntur. Et sanguinis motum moderantur.

Præsentibus ergo vigiliis, & materia acri tenui, cum virium robore, nullo modo opiata intermittantur. Atque si de cita sanatione sollicitus sis, vini spiritum in quo laudanum opiatum dissolutum sit adhibebis.

Cælsus in condictionibus ferventibus gelidæ potum copiosum, & somnum imperat: Quod si aqua florum papaveris vel lactucæ cum scrupulo Philonii rom. hora una à cæna procuretur, feliciùs succedet. Portulaca paritèr tum applicita, tum comesta valdè efficax est.

Fervor etiam, & sanguinis acrimonia, à particulis impetuosiùs commotis excitata, optimè per aquosa attemperari poterit. Quo enim aqua copiosior fuerit, universalitèr acrimonia minùs sensibilis fit. Atque succi acres, salini, acuti, qui in motu sunt, dum à particulis aqueis, ramusculosis irretiuntur, suis spiculis nervosas fibras, & membranas vellicare nequeunt. Inde spirituum impetus minor fit, dolor, atque

inflamatio. Emulſiones itaque ex ſeminibus frigidis, in aquoſis ſpiritibus lactucæ, portulacæ & conſimilibus factæ, magni erunt emolumenti.

Eedem emulſiones pro epythemate fronti, & capiti applicandæ erunt ex: gr. ex ſeminibus papaveris albi in aqua papaveris erratici, ſempervivi majoris ſolani (vel aptius in eorum ſucco) addita canphura. Atque ſingulis horis duplicatis linteis repetendæ erunt.

Anodina, ſeu paregorica antiquorum, quæ cauſa, & morbo manentibus dolorem mitigant, erunt ea quæ blando moderato, ac amicabili naturę ſeu nervoſis partibus tepore, ſuoque naturali humido proportionato, intemperatos, & præternaturalitèr ſe habentes liquores, necnon affectas partes intemperatas ſuo fotu ad moderamen, & ad temperiem deducunt, Cutem verò (laxatis fibrillis nerveis contexentibus) laxant, ut indè pori ampliores aperiantur, & irritantibus excrementis exitus permittatur. Si potiſſimum quæ mobiliora, magiſque activa erant, ſui mixtione attemperata, minus acria fiant.

In quorum catalogo venire poſſunt radices altheæ lilliorum. Folia malvæ, ſolani, lactucæ. Flores camomeli, liliorum. Farina ſeminum lini, fœnugræci. Lac vaccinum. Ovi vitellus. Oleum commune, amygdalarum dulcium. Mucillagines variæ ſed potiſſimum pſilii, & ſeminum cydoniorum. Et hæc potiſſimum de externis dolorem demulcientibus anodynis dicta ſunto. Inter quæ principem locum habere experientia teſtatur ſuccum à cancris expreſſum. Dolores enim omnes cum inflammatione (imò à combuſtionibus ipſis factas) ad miraculum ſedat. Sic vini ſpiritus cum cum copioſa canphura ubique profuit.

Qui verò ad alia dolorum mitigantia anhelat, ad oleum ex ſeminibus papaveris expreſſum feſtinet, vel ex ſeminibus juſquiami paratum. Vel incaſſum adhibito oleo roſaceo, violaceo anetino, camomellino, accedat ad oleum ranarum, ſambuci, nucum, auellanarum, amygdalarum perſicorum, vel armeniacorum, uel ex vitellis ovorum elycitum. Quibus crocus, canphura, & opium pro opportunitate admiſcere licebit.

Fotus itaque ſupra locum dolentem, ex decocto in lacte parato florum camomelli, radicum alteæ, foliorum malvæ, florum ſambuci, cum oleo expreſſo ex ſeminibus papaveris, hioſciami lumbricis paritèr incoctis ſemper profuiſſe obſervavi. Quæ etiam cataplaſmatis forma quandoque applicui. Quandoque balneo olei olivarum dolores ſive viſcerum internos, ſive artuum tollere aggreſſus ſum. In quo caſu Omentum arietinum, vitullinum vel vervecis adhuc calens, parti cuicumque dolenti applicitum magni fuit uſus apud veteres.

Atque neotericorum experimentis comprobatum eſt, quod animalia viva aperta ex. gr. catulus cujuſcumque beſtiæ, vel pullus diſſectus, & loco dolenti impoſitus, omnem ethymioſim tollit, dum hoc grato animalibus ſpiritibus ſacrificio, archei furor placari obſervatur.

Cataplaſma paritèr veterum uſitatum, non inutile parabitur, ex mica panis contriti, vel farina hordei, lacte, vitellis ovorum, cum, vel ſine oleis.

Atque ſemper cavendum erit, ne ſupra locum affectum iaceant, tum ab univerſis quæ ſpiritus, & humores exagitant abſtinere debent, ſic ab omnibus corporis, tum animi motibus vehementibus caveant.

Ab

Ab acidis pàritèr, & ab iis quæ internas seditiones commovere, vel fovere possunt abstineant. In calidioribus tamen condictionibus prosunt acida temperata, tum acidulæ naturales fontium, quæ chyli, & sanguinis depuratoria instrumenta elvendo ad meliorem crasim deducant, tum scorias salinas, tartareas sulphureas præterlabendo celeritèr, secum rapiant. Vel hoc liquore dilutæ, ac mitigatæ, excretionibus facilè postmodum destinantur.

E contra in frigidioribus condictionibus, ad decoctum guajaci sassafras, visci quercini &c. accedendum erit (potissimum si de lue celtica aliqua suspicio subsit) & ad luis alexipharmaca.

In causa etiam pituitosa theæ potus matutinus magni erit auxilii, tum nares oleo succini, balsamo apoplectico admixto inungere, tum tempora, & verticem.

Cautè verò potissimum in mulieribus aromatica usurpanda. Nam ex Hippocrate 5. *aphor.* 28. suspecta reputari debent.

In cronicis capitis doloribus, mastich, pyretrum staphisagria cum cera flava comixta, optimum masticatorium constituent.

Si capitis dolor à copioso, crasso sero, ac lympha, in glandulis, tum angustis cerebri vasculis ac meningum impeditis fiat. Vesper ante ingressum lecti ex gagate suffitus fiat. Tum exteriùs sinciput, & occiput oleo succini, lauendulæ destillato, vel essentia rosmarini inungatur. Quibus innumeris vicibus me, & amicos, à sævissimis capitis doloribus, & destillationibus, etiam felici cum successu semper liberavi.

Vertiginis causa, & auxilia.

UNiversalis atque immediata vertiginis causa spirituum animalium depravatus motus esse consuevit. Seu innæqualis turbulentus, atque innordinatus motus, tum humorum, tum spirituum in cerebro contentorum.

Tenebricosa verò vertigo (quæ etiam deterior est) à tetro (veneno quandoque simili) vapore crasso oriri solet, spiritus animales depravè movente, ac veluti extinguente, eadem propè ratione, qua in epylepsia.

Semper itaque vertigo exoritur, dum animales spiritus perturbantur à corpusculis etherogeneis infestis in sanguine, vel in sero nutritio occultatis, & collidentibus.

Spirius enim animales ab improportionatis particulis ità sollicitantur ad mutationem pacifici loci sui, ut ab eis refugere, atque inæqualitèr in gyrum moveri cogantur. Dum etenim secundum rectam lineam nervorum fibrillas permeare prohibentur, in se invicem resilientes turmatim circumgirantur, motuque circulari moveri coguntur. Eodem fermè modo quo in fluviorum verticibus observamus, quod dum fluctus progredi impediantur in gyrum resilientes, volvi compelluntur.

Externæ causæ violentèr impellentes, esse consuevere calor solis, legumina, vel flatuosa, ac magnæ fermentationis esculenta, vina generosa, ictus in capite, motus innordinati, lolium, venena soporifera, & alia animalibus spiritibus adversantia.

Frequentur fit à turbata stomachi concoctione, atque à flatulentis fermentescentibus circà eum excrementis.

Vel ab ex halationibus melancolicis

ab hypocondriis vel à toto elevatis, liquores in capite, & ſpiritus incolas turbantibus atque exagitantibus.

Conſueta, & amicabilis ſocia ebrietatis vertigo eſt, dum nimia ſanguinis, & liquorum omnium effervescentia facta, ſubtiliores acidæ vini partes ad cerebrum cum circulantibus liquoribus delatæ, in pugnam pronæ, cum animalibus ſpiritus tumultuarium ineunt prælium. nam eos turmatim, & in magna copia aggredientes, ne liberè progredi poſſint impediunt. Pari ratione quo ventus, dum per alium ventum progredi impeditur, ab aere, qui inter duos ventos intercluditur, turbo excitatur atque circumgi. obſervantur contenta corpora.

A cauſa denique exagitante, calida, fermentativa, provenire conſuevit, dum ſanguini, atque ejus ſpiritibus impetuoſior, & præternaturalis motus inducitur. Indè copioſior ſanguis ad caput aſcendere cogitur, à quo copioſiores ſpiritus generantur, dum hi commodè per nervos diſtribui nequeunt, ad impedimenta allidentes, in circulum reflectuntur. Ira vinum, calor ſolis, &c. impetuosè agitantia ſunt.

Auxilia.

Externæ cauſæ omnes removendæ, ictus, conceſſiones, aer auſtrinus, nebuloſus, aſpectus objectorum ex alto, circum rotantium vel proprii corporis in gyrum agitatio. Vectio in curru, vel navi; deindè curatio in acceſſione, præſervatio extra acceſſionem molienda eſt.

Vinum interdicatur, lactaria, & vaporoſa omnia arceantur. Vel vinum ſit medicatum ſalvia, abſinthio, atque notis confortantibus cephalicis.

Salvia in cibis, tum alia quavis ratione concedatur, ſic & roſmarinum, & betonica, ex floribus quorum ſimplicium utilis conſerva parari poterit, cum aqua hyrundinum, vel cinamomi exhibenda.

Æger in obſcuro loco reponendus, & quies imperanda. Exhibeantur poſtmodum quæ humorum, ac ſpirituum agitationem compeſcant, ut aquæ roſarum cum canphura odor, vel aquæ roſarum cum aceto conſperſio. Odorata autem calida omninò fugienda.

Somnus omni ingenio (ite vigiliæ procùl) opiatis ipſis concilietur, & papaveraceis.

Quia verò affectus eſt, qui ab infirmo ſtomacho provenire ſolet; ideò caveant ægri à fame, tum à ſaturitate.

Frequentèr itaque à materia acri à concoctionibus reſidua, fibras vellicante, dum fit hic affectus, curandum eſt, ut blanda ſorbitione propinata talis materia diluatur, ut ſic minus moleſtet. Expedit igitur ſummo mane ſummere juſculum ſimplex; vel alteratum malva endivia, & conſimilibus inſtituto inſervientibus; Vel fruſtulum panis in vino nigro aromatico intinctum.

Potus verò in menſa ſit vinum amare narum, vel ſaltem oligophorum Galeni.

Balſamum apoplecticum, tum oleum ſuccini temporibus, ſincipi, & occipiti inungantur.

Suffitus ex ſuccino, veſperi eundo cubitum non omittatur.

Manè verò caput aſperis panis fricetur. aliquando etiam lixivio irrigetur ex cephalicis ſimplicibus combuſtis parato; nunc temporis potiſſimùm pro illis, qui vanitatis trophæa mortuorum capillitia capite deraſo geſtant.

Si de excrementorum congerie, ſ ù de reliquiis prægreſſarum coctionum indi-

indicia manifeſtentur circa ſtomachum, & primas vias, vomitoria cæteris præferenda eſſe duco, ſyrupum hemeticum minſicht, vel tartarum.

Si frequens ſit aceſſio, cum præſentia biliosarum condictionum, in aqua florum papaveris, cùm ana ſyrupi de papavere diſſolvantur grana circitèr quinque laudani Nepentes, & totidem canphuræ, atque cocleatim ad unciam ſemis in ſingulas horas ab ægro aſſumantur ea die.

Si à repentina iræ commotione excitetur aqua ſulphureæ bilis particulæ accervatim ad ſacram Palladis arcem impellantur. frigidæ hauſtulo, aliquo acido admixtò illicò tolletur.

Phrænitidis cauſa, & auxilia.

QUoniàm phrænitis membranarum cerebri inflammatio eſt à materia tenui biliosa, cum acuta febre, & principum actionum læſione, antiquitas in eam opinionem venit, duce potiſſimum Hippocrete in libro primo de morbis quod bilis commota, ubi ad venas, & ſanguinem ingreſſum habuerit, hunc à ſua temperie dimovet, & ſeroſum facit, atque calefacit. Cum eo verò etiam reliquum corpus calefacit, & deſipit homo.

Recentiores hujus affectus cauſam referunt eſſe (non admodum ab Hippocrate diſcordantes) ſcorias ſulphureas, acres, ſalinas, acutas, à rebus ſex non naturalibus genitas, vel concitatas ab internis cauſis, & à febri, ſeu ſanguinis efferveſcentia, ad cerebri meninges, imò ad cerebri porulos tranſmiſſas, & ad glandulas.

Nos immediatam magis cauſam phrænitidis eſſe putamus ſpirituum elaſticitatem, atque accenſionem præternaturalem. Dum ſilicet ſpiritus animales à recrementis ſanguinis ſalino-ſulphureis, ad membranas, & cerebri corticem præcipitatis irritati, ſingulis fermè momentis ſtimulantur, ideòque veloces in varias ideas prorumpentes, modo in unam, modo in aliam muſculorum, ac membrorum partes tumultuantes ruunt.

Quamobrem obſervare poſſumus in hoc affectu, quod ſpirituum temperies ad calidiorem permutatio non ſolum fit. Verùm etiam ſecundum eorum ſubſtantiam notabilis alteratio. Dùm tenuiſſima ſanguinis pars ſpiritibus congenea corrupta, vel ſaltem præternaturalitèr alterata, inflammationis cauſa immediata conſtituitur.

Fit & phrenitis quandoque ab inflammato ſepto tranſverſo (quæ per difficilem reſpirationem à ſupradicta contradiſtingui ſolet) dum præ hac inflammatione, materia ſpirituum animalium in corde, naturali eventillatione deſtituta fervidior, atque impurior fit (dum fuligines ex proxima inflammatione excitatæ ipſi admiſcentur) quamobrem ejus puritate, ac nitore ablato, ad impuros, turbatos, & præternaturales ſpiritus animales gignendos cerebro offertur, & ſic phrenitis per inferiorum partium conſenſum ſuboritur, in qua accidunt ſuffuſioni oculorum ſimilima.

Auxilia.

CApillorum quam citiſſimè abraſio fiat, atque Galeni oxhirodinum multa canphura admixta admoveatur, quod ſi etiam nive refrigeratum, & ſepiùs immutetur cum jam calorem conceperit, multò feliciùs ages, ſic enim archei furor certiùs compeſcetur.

Aliis unguentum populeon aceto roſaceo

saceo admixtum magis arridet, vel oleum rosaceum onfacinum saturni sale prægnans.

Riverio magis placuit lac muliebre, quæ puellam peperit, cum succo lactucæ, & oleo rosaceo, loco oxhirodini adhibere.

Ad humoris in caput fluentis fervorem, & impetum ab initio refrænandum, fasciis aqua rosacea aceto saccaro saturni admixto madidis collum circumdetur. Tum lineis petiis assiduò testes foveantur oxicorato nive refrigerato.

In vincula interim veluti immobilis detineatur, ut minor liquorum, & spirituum fiat commotio. Et aer arte frigidior procuretur.

Laventur pedes in decoctione capitum papaveris, nocturnis horis. Fronti & temporibus nobis felicitèr successit applicatio emulsionis seminum papaveris, vel oleum ex jisdem seminibus eliicitum.

Sempervivum majus contusum cum lacte muliebri mixtum sincipiti admotum, phrenitidem mirè compescit, & somnum conciliat. Verùm statim ac dormire cæperit detrahatur, ne in coma præcipitetur. Semper etenim in affectibus cerebri (natura sua frigidi) refrigerantia magna circumspectione, adhibenda sunt.

Victus interim tenuissimus, & acutorum morborum proprius adhibendus est. Fercula aqua rosacea, vel aceto rosaceo admisceantur. Sal prunellæ loco salis marini in obsoniis ponatur. Cucurbita, portulaca erit materia ferculorum.

Quoniam ab initio somno conciliato plerique sanantur, dum hujus beneficio effrænes liquores moderantur, & concoquuntur, æstuans cerebri calor mitescit, animales spiritus paccati regenerantur, inde vires lapsæ recreantur, ac redintegrantur, vt concoctiones, & naturalis facultatis operationes omnes optimæ fiant. Propterea undique noxiorum expulsio promovetur, urina provocatur, diaphoresis amplior fit, & sic inflamatio omnis dissolvitur ac ressolvitur.

Adeò ut Zacutus Lusitanus cap. 1. phrenetidem conclamatam philonio se felicitèr sanasse glorietur. Nos papaveraceis variis modis usurpatis, tum laudano opiato vesperi hora somni adhibito incipientes phrenitides omnes, certo experimento sanatas vidimus.

Et quoniam arte curandum est, ut spiritus quiescant, uel saltem blandè moveantur; Et qui veluti furore perciti, ac effrænes vagantur, iterum sub facultatis rectricis phræno paccati veniant. Ideò aquea, & acidula, à quibus seri quantitas augeatur proficua erunt. Bilis enim mobilior, magisque activa fit, quando sincera exaltatur, neque à lymphæ, vel seri diluentis vinculis detinetur.

Valet ergo succus citri, aqua florum papaveris dilutus, vel succus granatorum cum aqua, & syrupo de papavere, aut ex seminibus papaveris paratæ emulsiones. Ad opiata etenim veluti ad sacram ancoram confugiendum esse duco; nam impetrata quiete spiritus pacantur, lympha & serum acutis salibus prægnans, facto sudore in somno eliminatur. Massaque sanguinea particulis acidis salino-sulphureis præternaturalitèr effervescens, ad blandam, & naturalem fermentationem deducitur.

Consultum est etiam, ut qui majorem amicitiam cum ægro gerunt, hi adstent, suisque dictis quantum fieri possit assentiantur, ut bilis commotio per excandescentias minor pro viribus fiat.

Qui

Qui à laudani exhibitione verentur in clysteribus ejus usum non reformident, potentèr enim, & tutò somnum conciliare poterunt in his qui sepè universa per os oblata respuunt.

Qui ad oblata se benè gerunt, cassia cum seri copiosa superbibitione alleviabuntur, alterno potissimum die.

Ex papaveraceis emulsiones nunquam intermittendæ; neque in declinatione ipsa, ob rationes jam adductas.

Sal perlarum maximum in hoc affectu præsidium decantatum est. Ipse in universis alcalicis, absorbentibus acidorum inflamationum auctorum sanationis gloriam confiderem.

Illud verò holocaustum archei quod perperam ab initio morbi pullis, vel catulis dissectis ab aliquibus fit, à magis judiciosis, & prudentioribus medicis in morbi statu, vel ad declinationem nutante fieri consuevit. Ideòque Riverium audias exagerantem: Malè ab aliquibus in principio phrenitidis admoventur omenta, vel pulli aperti. Quoniam calorem augendo fluxionem ad cerebrum promovent. Tutius ergo adhibentur, quando discutiendi, ac ressolvendi indicationes exurgunt.

Quia tandem in hoc affectu sepè urina supprimitur, dum eam ægri emittere negligunt inde vexicæ inflamatio, & mors imminet. Sepè idcircò ad mejendum invitentur, tùm pubes oleo scorpionum inungatur, & locus comprimatur.

Pro lætargo, & affectibus soporosis capitis, comate, apoplexia, & aliis.

Cognati sunt affectus, & aliquibus tantum accidentibus inter se discriminantur. Sic penès Zacutum Lusitanum observamus quod ex mente Rasis sepè apoplexia fit, dum copiosus, calidus sanguis in cerebri tubulis continetur, qui præ nimia turgescentia, ac repletione, cerebri porulos coarctat ut nullus sit spirituum animalium ad sensoria, & motus instrumenta liber aditus. Fitque affectus similis inflammationi.

Ingeniosissimus Barbatus, ejus fuit opinionis, quod tumentibus valdè venis, & arteriis in cerebro, particulares meatus, seu vascula spirituum comprimantur, inde de repentè spiritibus occludatur transitus. Hinc est quod post mortes vas aliquod capitis sepè disrumpatur, & sic compressionis auctor manifestatur.

Frigida autem apoplexia in senibus fit, dum opletis plexuum arteriis à crassitie, & cruditate utriusque alimenti, selectior seri portio à plexibus producta, nequit ingredi vascula tenuissima, & fit mors. Vel naturæ magno facto conatu, per ascendentis sanguinis motum, crassities illa in aliqua vascula propellitur, aliis interim restituto spirituum animalium transitu, & sic paralysis fit.

Ideò verò in apoplexia moriuntur *(ex Gal. 5. de locis aff.)* quoniam cor adeò respiratione indiget, ut ea ablata mors illicò consequatur. In magna igitur apoplexia, nervorum actione læsa, respiratio perit, & cordis temperamentum exolvitur, ejusque actiones.

Paracelsus observavit, quod assiduò portulaca, vel lactuca depastis, si quis sanguinem detraxerit, his sanguis non profluet. Sic synovia (& est liquor albugineus nutritius nervorum) in cerebri angustis vasculis congulata apoplexiam facit, in parte verò paraliisim.

Hinc

Hinc est quod Barbatus de artritide observet; quod multi artritide mitigata, apoplectici objere. Et Hippocr. notat 6. aph.51. *Quod febris liquorum dissolutione, apoplexiæ solutionem molitur.*

Respiratio, symptoma præcipuum est, quod in apoplexia observabile est. Per respirationem etenim difficilem, apoplexia fortis constituitur, Ideò Hippoc. 2. *aph.* 42. syderationem fortem solvere unum ex impossibilibus ausis esse judicavit.

Per hanc itaque difficilem respirationem, distinguitur à caro, & affectibus soporosis. Per carentiam febris, à læthargo. Atque mirum est, quod venis jugularibus (dictis etiam apoplecticis) apprehensis homines illicò attoniti sine sensibus corruant, non seces ac illi qui laceo suffocantur.

Malpigius observat in illis, qui apoplexia objere, frequentior polypos in meningibus continere. Quibus omnibus colligitur ab interposito impedimento, in viis spirituum hunc affectum fieri.

Quod frequenter à frigidis, crassis particulis, cum sanguine ad vascula cerebri insinuatis contingere solet, dum ab eis spiritus onerantur, ac implicantur, vel cerebri glandulas infarciendo spirituum generatio impeditur.

Vel ob congestos liquores dum cerebri glandulæ, & vascula adeò comprimuntur ut intra ipsas fluere non possit liquor albugineus ad spirituum generationem requisitus. Qui ut plurimum in his ægris sua crassitie peccat, quare spiritus crassiores inertes producuntur, qui facultate animali soporata, in viscido glutine liquoris albuginei hærentes, officii sui fermè obliviscuntur.

Generationem, & causas soporiferorum affectuum, & apoplexiæ qui internoscere optat, narcoticorum medicamentorum vim, sanguinem, & spiritus quodamodo ligantem observet. Tum ab ebrietate, & crapula partum soporem. Tum veneratos arsenicales vapores à carbonibus, & mineralibus elevatos sulphureos vitriolatos, liquores coagulantes aciditate sua, quamobrem viæ spirituum angustiantur, quo minus ad sensuum organa ferantur.

Ideoque experimur, quod soporifera sulphur habent fuliginosum, fetidum, ut papaver, opium, hyosciamum, mandragora; & alia quæ etiam facile flammam concipiunt. Ab his igitur sanguinis circulatio interturbatur, depravatur, vel imminuitur (& hinc varii affectus somnolenti prodeunt) cessante vndulatione, & motu animalium spirituum in nervos, & illorum irradicatione in universa membra.

Sic dum crassi liquores arterias obstruunt, spiritus in minori copia generantur, nec sufficientes ad cerebrum inflandum, ac inflatum detinendum, quare sensus, & motus perit. Hac enim ratione concidentibus in se cerebri porulis, ac nervis, ægri ne quidem vellicati sentiunt, dum ad cerebrum motus impressus transferri nequit.

Auxilia.

NE ad Endimionis somnos rapiatur æger, à lunaribus radiis, & nocturnis humidis frigidis nebulosis arcendus est, potissimùm in causa pituitosa. Atque cubiculi aer ad calidum, & siccum vergat; Si verò talis natura non sit, arte paretur aromaticis suffumiggiis, succino potissimùm, thure & aliis in parte prima adductis. Carbonum nuper accensorum fumus hunc affectum concitare valet, ideò penitùs arceatur, sicut & viridium lignorum fumus;

mus; Sed ſplendidus purus, junipero, & odoratis lignis paretur, non procul ab ægro.

Oblato ægro pletorico, facie rubicunda, & conſimilibus craſſi, & copioſi ſanguinis ſignis ſtipato, abſque ulla cunctatione ad copioſi ſanguinis detractionem accedes. In hac enim unica fortè ſalutis ſpes eſt. Cætera etenim calefacientia, fundentia, liquantia plena periculi ſunt.

Frictiones aſperæ extremis partibus factæ cum ſale, & aceto inculpabiles ſunt. Prout ſinapiſmi.

Imminuta per venam ſectam plenitudine, cucurbitulæ ſcapulis. Vena ſecta in fronte, vel ſub lingua. Hirudines venis ſedalibus irreprenſibiles ſunt, Tum vexicantia non tantum partibus longinquis, ſed ſcapulis ipſis, imò occipiti applicita.

Clyſteria acria ex colocyntide, centaurio minori, potiſſimum ſi circa primas vias de materia craſſa ſtabulante ſuſpicio ſit. In quo caſu infuſum crocum metallorum ad dracmam ſemis in ciato vini, vel ſtybium iacintinum cum prædicto colocyntidis decocto, vel carminativo admiſceatur.

In ſenibus, & aliis in quibus incraſſatos à frigiditate liquores, affectus cauſas eſſe reputamus, caſtoreum tam in uſu interno, quam externo uſurpari poterit cum emolumento.

In affectibus ſoporiferis omni arte ſatagebant veteres ſomnum arcere, odoribus ſulphureis, clamoribus porcorum. Ferro ipſo ignito ſyncipiti applicito, vel ſartagine candente propè occiput, liquorum ſtagnantium motum accelerare procurantes, natiuum calorem, & ſpiritus excitare.

Si vero à crapula fiat affectus, vel repletionis indicia in ventriculo, & primis viis manifeſtentur, vomitorium exhibeatur, Hoc etenim auxilium cæteris omnibus iure merito anteponendum eſt, potiſſimum ſi in pauca doſi, & in his qui deglutire nequeunt propinetur dum cætera ſolventia per aluum, de magna in viſceribus naturalibus facta commotione tùm præ dulcedine ſua, ac ferventi condictione fermentationes excitando, in his affectibus valdè ſuſpecta eſſe debent.

Ignita ferramenta, ac laminæ aceto conſperſæ ſub nares collocentur, Eximium fit enim coagulatorum ſolvens, ac attenuans incraſſatorum auxilium.

Tempora, frons, & cervix balſamo apoplectico, oleo ſuccini admixto illiniantur, potiſſimum in progreſſu, & in condictionibus frigidis.

Acetum acerimum copioſo caſtoreo admixtum in olla ferveat, inde vapor ejus naribus excipiatur. Vel ſpiritus fuliginis, vel ſalis amoniaci in phiala anguſti oris naribus admoveatur.

Iudicioſiſſimus Riverius adjudicavit, quod cæteris purgantibus invalidis, ad ea quæ ex antimonio parantur accedendum ſit, vel ad ſal vitreoli vomitiuum. Vel ad tincturam nicotianæ in aqua vitæ extractam ad dracmas duas cum melle exhibitam. Quæ quidem incraſſaſatas materias quaſcumque potentèr educit.

Pueros potiſſimum comate, & aliis ſoporoſis affectibus periclitantes, Gilla Teofraſti, ſeu ſale vitrioli felicitèr ſe perſanaſſe gloriatur.

Sternutatoria in ſtatu, & declinante morbo inſervire poterunt, ex nicotianæ pulvere, majoranæ, liliorum convallium, admixta ſextante circitèr hellebori albi pulvere, ambra griſea, & moſco.

Vinum in declinatione tantum concedatur *ex Tralliano lib.1.cap.20.* Vbi ſilicet aliqua apparuerint ſigna coctionis.

nis. Atque vinosum esse debet. Aquosum enim diluit humores, & lymphæ copiam auget, caput serositatibus replet, nec valdè coctionem iuvat, aut excrementorum expulsionem molitur, ut vinosum.

In principio verò, potus sit aqua mulsa cum hysopo, vel decoctum cephalicum. Vel aqua hordei cum cinamomi portiuncula. Tunc enim vinum ineptum adjudicabis, ob vim suam narcoticam & soporiferam occultam.

Ipse tutissimum puto pro potu ordinario, decoctum theæ, vel saltem ligni sassagras, cum herbis aromaticis, rosmarino, junipero, hysopo, majorana.

Universa vivendi ratio, ad tenuem, attenuantem inclinet. Vinum medicatum acoro, salvia rosmarino, angelica, majorana. Cibi condiantur aceto mulso, & cinamomo, potissimum in catarrhali causa.

Vbi calefaciendi, ac ressolvendi indicationes obortæ fuerint (potissimum initio declinationis) tunc rosolinum ex floribus salviæ, lavendulæ, sassafras, & aromatibus, tum copiosa ambra infusa paratum, magni erit emolumenti.

Quinta essentia rosmarini, tam in usu interno, quam externo proderit spiritus vini cum canphura, & quinta essentia rosmarini, aut aqua reginę Hungariæ naribus indatur, tempora verò, & vertex cum occipite admixto oleo succini perungantur. Nux moscata cum granis masticis masticetur à Spina balsamo apopletico, & oleo succini illiniatur.

Cacuphæ à monialibus paratæ ex granis juniperi, succino, floribus lavendulæ, benzoino, styrace, mosco, & ambra assiduò in capite gestentur.

Ambra, moscus in horum frequenti usu fit vbique, tum acria, aromatica. Oleum cinamomi. Sal absintii in mensa. Spiritus vini cum macis. Sal viperarum volatilis quotidiè ad grana aliquot assumatur.

Masticatoria, pyretrum, mastich, nicotiana non intermittantur. Conserva betonicæ, rotulæ ex speciebus diambra; sed potissimum magnæ antidoti hora somni vesperi adhibeantur. Elixir vitæ maius Quercetani vel proprietatis Paracelsi summò manè summatur. Aut tabellæ ex oleo nucis moscatæ, anisorum, saccaro in aqua cinamomi soluto. Oleo de castoreo universa spina inungatur.

Pro summo discutiente, in declinatione decoctis lignorum etiam cum sudore uteris, tum viperatis auxiliis viperino pulvere, sale volatili, decocto viperarum & aliis.

Ut mingant commonefaciendi, & locus fovendus oleo scorpionum, tum comprimendus, fræquentèr enim harum partium nervi affecti sunt.

Suffumiggia ex galbano, assa fętida profunt, sunt enim valida incrassatorum solventia, tum fumus aceti cum castoreo in clauso cubiculo spiritum tartari inter dissolventia non infimum judicabis.

Stillicidium capiti ex cephalicis, ad ressolvendas reliquias, vel ex aquis naturalibus comendabile. Prout decoctum antiparaliticum Quercetani in usu matutino. In mensa vero cerebrum leporis, & leporis carnes, aliaque exiccantia catarrhos alibi tradita &c.

Notat tandem Franc. Silvius, quod aromatica, tum acida spirituosa, legitima antidota sunt, & correctiva liquorum narcosim inducentium.

Pro vigiliis morbosis auxilia.

FRequentior vigiliarum causa exaltatæ bilis acrimonia est, dum ab ea animales spiritus stimulati, ac mobiliores facti, facultatis frænum subire recu-

recusant. Ob introductam etiam nimiam cerebri caliditatem, vel siccitatem, nimia spirituum expansio fit, & præternaturalis vigilia, potissimum ab acutis succis irritata animali facultate, à qua laxantur habenæ spiritibus, qui ad organa sensuum, & motuum liberè festinant.

Fit quandoque à concitato motu circulari sanguinis in meningibus, & tubulis cerebri arietantis. Dum enim à sanguine, & spiritu fervido cerebri vascula, & poruli ampliantur, liberior patet spiritibus via, & espeditior motus. Ita ut uno verbo, ea omnia vigilare faciunt, quæ meatus cerebri, & ductus nervorum inconspicuos, arteriarumque carotidum propagines stimulant, aperiunt, porosque cerebri dilatant, viamque spiritibus pandunt.

Non negamus tamen quod quandoque succus dulcis, ut est sanguis ipse, dum copiosior ad cerebrum, ac impetuosior movetur, copiosiores ex eo consurgere possunt spiritus, à quibus nervi sensorii, quodamodo violentèr extensi, sensationibus invigilare coguntur, sed hæc causa infræquens est. Prout frequentissima est illa; quæ à salinis acrioribus venit, dum ab his intensior fit sanguinis efferscentia, inde copiosiores, & magis mobiles spiritus elevantur, qui moræ impatientes, undique ad scensoria in magna copia exiliunt, & fit vigilia.

Auxilia.

AD agrypnias, & pervigilium. Pro leviori affectu ptisana cum lacte, conserva violarum, vel ninpheæ à cœna. Lac uberius, epotum, & lactaria in ferculis, aut serum depuratum cum succo lactucæ.

Lactuca in ferculis sine aceto. Emulsiones seminum papaveris, & amygdalarum. Vel ex cremore amygdalarum, & seminum papaveris fercula. Oleum paritèr ex seminibus papaveris expressum vel amygdalarum in cœna cum obsoniis propinatum.

Panis martius paratus ex libra una amygdalarum, & unciis duabus seminum papaveris num unciis quatuor saccari albi, blanda vigiliarum auxilia erunt, prout de vigiliis in parte quarta docuimus.

Zacutus Lusitanus *libro* 1. *hist.* 61. Quandocumque adversus contumaces vigilias pugnare aggrediuntur panicum quorundam terrorem removere illos docet qui papaveracea, & opiata reformidant. Observat etenim aliquos seminibus papaveris ad saturitate, inplacentis uti innoxiè. A quibus postmodum medici edocti fuere in copia notabili cremorem seminis papaveris in febribus ardentibus exhibere ad sitim arcendam, & somnum conciliandum. De opio postmodum ibidem diserens ait: *Non debemus adeò vereri opii usum; nam Garzias ab Horto in lib. de hist. aromat. multos vidit, opium ad dracmas duas, imò ad unciam semis, absque ulla læsione vorasse.* Quod confirmatur ab Huernio, qui penès Turcas, Mauros, & Indos ingentem ejus copiam vorare vidit, ut in actu venereo validiores fierent.

Ipse metum exhibendi opium posui, dum Bixantii Imanos dictos, & juris peritos plurimos, copiosam opii quantitatem (ophion ab eis dicitur) vorare vidissem, ut hilariores, & obæsiores fierent.

Quadam die, ut timidiusculum juniorem medicum, & ad granum semis ejus præscribentem, ab hoc panico terrore removerem, dum à tussi molesta afficerer, eo presente, laudanum

opiatum ad grana septem assumpsi, qui cum me in profundum somnum lapsurum prognosticaret, vidit me tota die, sine tussi alacriorem ac hilarem visitationes meas peregisse.

Qui à pervicacibus vigiliis conflictantur cogendi sunt, ut aliquid assumant. Nam vacuo ventre difficultèr somnus captari potest. At diluto sanguine à dulci liquore chylifero, cordis micatio, & sanguinis fermentatio felicior procedit, temperatioresque minusque furibundi spiritus exurgunt.

Propè nocturni somni tempora papaveracea, vel opiata aliqua exhibeantur, emulsiones potissimum, atque in uberiori copia.

Bilis æstuans, sanguinis fermentationem accelerans aqueis compescatur, & humidis.

Spiritus innordinatè moti, ac exagitati, impetrata quiete per philonium romanum ad scrup. j. sedabuntur, vel granis quatuor laudani nepentes cum syrupo de papavere hora somni. Nam opiata dum sanguinis blandam fermentationem procurant, spirituum animalium paccatorum generationē moliuntur, eorum dissipationem impediunt, languores sedant, humectationem inducunt, & refrigerium. Inde coctionum signa manifestantur.

Absentibus itaque inflamatoriis conditionibus, & rosolino non abhorerem, facto sum laudano dissoluto, & canphura, eoque propinato ad coclea re unum, vel alterum. Spiritus enim vini eximiam in se narcosim habet, ob tenuitatem nullibi hærere, neque obstructiones fovere poterit, sed lenes sudores somno facto procurabit.

Lotiones pedum, decocto capitum papaveris, Tum frontalia cataplasmata ex seminibus papaveris albi contusis cum lacte muliebri, fronti, ac temporibus applicitá, nec inepta neque inutilia auxilia erunt ad somnum impetrandum.

Hoc semper ante oculos habendum erit, ut intemperies sicca, si aliqua subsit tollatur humectantibus, tum internis capitis lotionibus, mero lacte, vel jure capitis castrati alterato malva, altea, admixto oleo ex seminibus papaveris expresso. Interius lacticinia omnia, orisa cum lacte.

Stillicidii modo, capiti lotiones fiant, vel embrocæ à cœna per horam, ex decoctione capitum papaveris albi, corticibus mandragoræ, & lactucæ foliis. Postmodum linimentum fiat arteriis soporariis temporum, unguento populeone admixta portiuncula opii Vel unguento narcotico Scroderi. Oleum ranarum temporibus illitum tutum auxilium, & soporiferum est. Prout & oleum seminum papaveris albi, quod etiam febrium æstus demulcet.

Ab aceto, & acetosis omnibus caveat æger, hæ enim siccitate introducta, vigilias fovent.

Ad somnos interturbatos, & ad Incubum auxilia.

NOn de incubi, & succubi prodigiosa copula, qua inferi mortalibus, nefario actu Venereo junguntur, & de quibus admiranda, & vix credenda Delrius, Codroncus, & alii protullere. Sed de morboso affectu, in quo prava immaginatio, ex impedita respiratione oboritur. Quæ multiplici de causa, meo judicio contingere consuevit.

Quandoque enim ob nocturnam crapulam fit; dum onerato ventriculo, chyli particulæ crudæ, acidæ, figentes, ad sanguinis penetralia admissæ, per aliquod tempus vitalium spirituum

ad cerebrum irradicationem, ac motum ſuprimunt; Quorum perenni influxu ceſſante, vel ſaltem imminuto, aut depravato; animalium ſpirituum in nervos influxus quoque ceſſat, atque ad tempus prohibetur.

Hi itaque dum ad nervos phrenicos, & recurentes non feruntur, diaphragma, & reſpirationi inſervientes muſculi à ſolito motu ceſſant, reſpiratio difficultatur, & ſuffocationis fantaſia ſuboritur. Cor ipſum, quoniam de muſculorum jure participat, ceſſante in neruulo ſuo, vel ſaltem imminuto animalium ſpirituum influxu vibrationes ſuas imminutè, vel depravatè celebrat.

Hinc eſt quod expergefacti magnos cordis ſaltus, & irregulares motus ægri perſentiunt. Et hoc anxam deditit ſagaciſſimo naturæ indagatori Paracelſo credendi quod hic affectus ſuboriatur, dum cordis aqua per ſitum ſupinum in pericardii partem inferiorem delabitur, ita ut supernè cor nudum relinquatur. Tunc enim cum undique innatare non poſſit, partium circumſtantium compreſſiones ſentit, & prægrandis ſaxi compreſſio ſe manifeſtatur.

Sufficiat itaque quod talis ſupinus decubitus paratos magis facit ægros ad incubum, ad difficiliorem reſpirationem, & ceſſationem ab opere ſuo in ſepto tranſverſo, & in maſculis thoracis; nam etiam in latere jacentibus advenire frequentèr obſervatur.

Quantum verò ſtertant, & quàm difficilem, & interuptam reſpirationem faciant in dorſo dormientes omnibus notum eſt. Quamobrem ſpecioſam tanti viri cauſam non deſponſantes, alias amplectimur, licèt aliquibus Iſionis nebulas nos amplexari videbitur.

Nam quandoque vapores ab infernis partibus ad ſupernam Palladis arcem elevatos culpamus. Seu (cum ſanioribus qui fumorum caminos in humanis corporibus non inveniunt) particulas narcoticas, ſpiritus figentes animales (per arterias carotidas) eoſque acida complicatione onerantes, ac ligantes. Quamobrem iſti detenti, vel in minori quantitate ad reſpirationis organa demiſſi hunc affectum concitant.

Tandem ab interrupta, ac impedita naturali ſanguinis circulatione in ſobriis provenire poteſt, qua impedita, ac depravata, ſpirituum paritèr influxus impeditur, aut depravatur (ut in maxima venarũ inteceptione ab Hippocrate appellata ſatis liquet) ſpiritibus deinde ad muſculos reſpirationi inſervientes non influentibus, reſpirationis munus interturbatur veluti ſi à magno incumbente gigante ſuffocarentur, atque Antei cum Hercule luctam experirentur.

Auxilia.

SErvos, & adſtantes habeant, qui nec decubitum ſupinum admittant, neque acceſſionem diù tollerent, ſed ad primos motus expergefaciant, & concuſſionibus liberent.

Si à languido ſtomacho provenire credatur omnia ſtomachum refocillantia proderunt, Conſerva abſynthii jejuno ventre, vel gingiberis radix condita. Sal abſinthii pro ſale in condiendis cibis. Sal ſacerdotale; ſal vitrioli ad grana tria.

Si cruditates circa ſtomachum, & primas vias latentes; vel pituita viſcida acida corruptione parta culpetur, Vomitu, ac vomitoriis eliminetur.

In univerſum ſanguinis æquabilis fermentatio ſervanda erit. Ideòque ſemper

per tuta modica cœna. Pauci etenim sunt, & isti admodùm robusti, qui ventre turgente, ac saturi, noctem quietam, nec interruptam transigere possint. Ut in parte quinta de plenitudine ostendimus.

Conserva rosmarini, vel absinthii, & amaricantia auxilia ut amygdalæ amaræ potissimùm à cœna auxiliantur his.

Magna cautione indigestiones omnes vitandæ, ideò crassa alimenta, difficilis digestionis penitùs arcenda. Hæc enim in benè valentibus ipsis, in causa sunt ut nobis dormientibus, cum aliis pugnare videatur; prout *Hipp. libello insomniis* observavit.

Si crassæ pituitosæ, melancolicæ eva-evaporationes culpentur, confectio alchermes, & consimilia cordialia cum haustulo vini Hispanici exhibeantur. Vel theriaca ipsa in modico vini spiritu soluta, pro senioribus, & condictionibus frigidioribus. Venterque illiniatur oleo nucistæ admixto mosco, & ambra. Vel pro fœminis castoreo. Aut oleo succini, cum balsamo apoplectico.

Crocum in cibis, universalitèr his auxilio esse expertus sum.

Apoplexiæ causæ, & Auxilia.

TErribilis hujus affectus causæ, plurime sunt remote, licèt proxima, & immediata unica numeretur, videlicèt spirituum animalium expansio impedita ad propria organa, & instrumenta.

Humorales causæ frequentiores equè pituitosa, ac sanguinea est, cæteræ ad ad sanguinem extravasatum, & stagnantem alienis impuritatibus commixtum. Ut ex inde meatuum obstructionem, & spirituum dissipationem inferre valeat.

Non negamus tamen, quod etiam quandoque fiat à copioso, fervido sanguine ad cerebri angusta vasa festinante, dum præ nimia ipsorum turgentia, & repletione pori, & spirituum viæ coarctantur, unde eis interclusus sit ad sensoria motus.

Tumentibus namque venis, & arteriis cerebri, particula in cerebro spirituum vascula comprimuntur, spirituumque stransitus occluditur.

Sed potissimum vascula tenuissima, & angustissima glandularum cerebri infarciri solent, exindè sanguinis liberè permeare non potest; sed novo subinde affluente, glandularum vascula disrumpuntur, & in ventriculos, & spacia innania sanguis effunditur. Ideòque in horum cadaveribus sepè fit larga sanguinis à naribus effusio.

Frequentèr remisso motu, & coercita interna sanguinis fermentatione, à causis naturalibus, vel non naturalibus, crassiores, ac proni ad concrescendum umores in propriis meatibus fixantur, vel stagnat, inde sussequentis sanguinis motus interturbatur, spirituumque viæ compressæ intercluduntur.

Fit quandoque impuri sanguinis culpa à quo flos, & spiritus animales tenuissimi separari non possunt, viscido glutine inviscati, vel narcoticis spiritibus, aut figentibus onerati, & potissimum à sulphure narcotico ligati. Vel à veneno anodyno. Aut ab acido coagulante spiritus figente, sanguinis motum, ac fermentationem inhibente.

Quia verò liquor albugineus nervorum nutritius pronus admodum est ad concrescendum, non infræquens causa fit hujus affectus, quacumque concrescendi causa oblata, frigiditatis, succi acidi, & similium.

Fit & exhaustis spiritibus animalibus

bus neque ut opus est restauratis. Vel ab obstructione nervorum, ab affluente exotico liquore facta, unde denegato spirituum animalium influxu membra omnia flacida fieri observantur, & non secus ac vela à vento non inflata concidendo.

Facultates demùm, quoniam circularitèr procedunt, sibi invicem opem ferentes in hoc affectu concatenatæ causæ esse solent. Nam affecto cerebro à causis naturalibus, vel non naturalibus, animales spiritus in minori copia, vel improportionati ad instrumenta naturalis facultatis demittuntur, qui excrementorum undique expulsionibus pigri præsides, ab optimorum liquorum comercio, eadem non segregant. Inde in corde pessimam fermentationem nacti, & tardigradi, impuri, à corde ad cerebrum demissi, animalium spirituum penuriam assiduò adaugent, ut sic circulo facto morbus tandem, & mors ipsa obrepat, quandoque repentina.

Auxilia.

Ubicumque plenitudinis signa innotescant, & plenisuccus patiens offeratur, de sanguinis minoratione etiam repetita cogitandum illicò erit, *juxta Hippocratem* 4. *acut.*

Si autem cacochymiæ potissimum crassorum excrementorum circa primas vias indicia manifestentur, absque cunctatione ad antimonialia auxilia descendendum erit, & vomitus, aluique dejecto granis tribus, vel quattuor tartari emetici, croci metallorum, granis septem in vino albo infusis, & consimilibus.

In aere tepente collocetur æger. Frigidus aer, nebulosus præcaveatur. Immò odoramentis, ac cephalicis vires cerebri sopitæ excitandæ, castoreo, galbano suffitis. Vel his in olla cum aceto acerimo ebullientibus, & subtus nares affumantibus.

Felicitèr mihi successit adhibere vitriolum album, gilam Theofrasti, in his qui stomachi repletione tenentur, nam in ictu oculi vomitu excitato sublevantur. Quantas verò vitriolum pro stomacho, & capite vires habeat nemo practicorum ignorat.

Acria clysmata, toto paroxismo durante intermittenda non sunt. Sed præ cæteris arridet infusio dracmæ unius croci metallorum in vino albo solo injecto.

Post tentata evacantia, ad spiritus animales sopitos excitandos animus convertendus est, potissimum per salia volatilia viperarum Cornu cervi, per os exhibita. Tum etiam spiritu cornu cervini, vel fuliginis, vel salis armoniaci naribus applicitis. Sed potissimum spiritus salis armoniaci succi natus, vel castorei tinctura impraegnatus cæteris præferri debet.

Oleum succini undique profundi debet, & inunctionibus, & exhibitis admisceri Sal paritèr volatile succini, miras vires habet.

Purgantia acria, & scamoneata illicò nunquam felicitèr successisse observavi.

Prout innumeris vidi fata accellerata fuisse ab exhibitione attenuantium, ac resoluentium, absque facta prævia aliqua insigni evacuatione.

Post hanc verò salia volatilia cranii humani, succini, viperina ad grana quinque magnam opem tullisse vidimus.

Tunc tinctura castorei, cum aqua Magnanimitatis, imò spiritus omnes aromaticorum cephalicorum admodum prosunt. Sed præ cæteris aqua cerasorum

rum super vitriolum sepiùs cohobata, nunquam satis in hoc affectu commendari potest.

Spiritus vini theriacalis, & viperata auxilia, in ætate senili, viribus exhaustis, efficax auxilium est.

Illinire nares, tempora, nucam, spinalem medulam in progressu commendamus balsamo apoplectico, & castoreatis.

In principio namque acessionis potentissimo acido balsamo caustico meo inuncto nucæ, & spinæ intra horam, ægrum excitasse, duabus vicibus observavi.

Si autem affectio à spiritu quodam vitriolico narcosim inducente fieri credatur tunc singulis quibusque auxiliis castoreum admisceatur, à quo acidorum omnium vincula diffringantur.

Cauteria actualia in nuca validissima sunt, & inunctiones aromaticæ spirituosæ spinæ dorsi factæ castorei oleo, succini, & destillatis oleis cephalicis.

Zacutus Lusitanus febrem accendere suadet, monitu *Galeni in lib. 1. proret. sec. 2. sic*: *In omnibus nervosi generis affectibus pituitosis, febris superveniens adjumento est. Quamobrem castorei tincturam frequentare, & castoreata, inter cætera aromatica exhibita ad hoc opus maximè inservire posse certum est*.

Pro affectibus somnolentis Comate, caro &c. auxilia.

Tùm pro vigiliis morbosis.

LÆtargus sola febri ab apoplexia statim à principio contradistinctus, eadem fermè auxilia exposcit; ideò de brevitate sollicitis prætermittere decrevi.

Cæteri soporiferi affectus, vigilia, & sopore morboso intermixti fieri consuevere à confusione, ac præternaturali agitatione, ac expansione spirituum animalium, dum à tumultuantibus causis ex. gr. liquoribus acribus, inæqualibus, & irritantibus concutiuntur; ideòque à quiete sua deturbantur.

Spiritusque animales, qui mites, clari lucidi, in statu naturali consueverunt esse, in his affectibus acres fiunt, effærati, & veluti effluvia indomita ab aqua forti emissa. Quamobrem irritationis tempore efferati, elastici nimis expanduntur, nervosque tensos servant. Ideoque in convulsiones proni sunt affectus isti.

Fiuntque ut plurimum à sanguine acido corrupto, vel à salso acri in cerebri parte corticali, facta interpolata vasorum, & pororum invasione, ac apertione.

Absque verò hac spirituum animalium exagitatione inæquali, hi affectus non fiunt. Neque absentibus salibus volatilibus acribus, bilem in sanguine, & serum nutritium nervorum in cerebro acrius reddentibus.

Ideò universa quæ sanguinem nimis fundunt attenuant, nimisque inflammant, exagitant, & spirituum copias dissipant, meatus, cerebrique poros dilatant, vias ingressui, & egressui sibi pate faciunt, ad hos affectus disponunt.

Sic acria valdè, & potissimum venena quædam cerebro, ac ejus spiritibus insidias struentia hos concitant affectus.

Atque spirituum animalium inopia in his affectibus est in causa, ut nervuli, vascula cerebri, & cerebrum ipsum omninò inflatum, & elevatum detineri non possit, sed in se concidens

somnum accersat. At denuò ab acribus salibus vellicati spiritus, vias sibi aperiunt, & in vigilias erumpunt.

Motus etiam sanguinis à corde provenientis impetuosior, vel tardigradus plurimum conferre potest. Prout etiam copiosior, vel minus copiosus ejusdem influxus.

Vigiliarum naturam alibi in parte quarta examinavimus. Auxilia paritèr inibi recensuimus apta, quare ne bis coctam crambem ad nauseam apponamus de aliis brevitèr agere aggredimur capitis affectibus.

Nam coma paritèr, & caros per Idiopathiam, ac per essentiam cerebri morbos factos, nobis nunquam solos videre contigit; sed tantum comatosos, & caroticos affectus per sympathiam, & consensum, ideoque sunt veluti symptomata aliorum morborum, ex. gr. internarum inflammationum, malignarum febrium, & consimilium, quæ ad ablationem eorundem tolluntur. Quare sui legitimam curationem non habentes, ad alias nos transire permittans, & sui mitigationem tantum sparsim à nobis haurire posse gaudebitis.

Pro paralysi auxilia.

FRequens est transitus ab apoplexia ad paralysim, dum restituto in vasculis, & cerebri glandulis consueto transitu, & motu, fit lædentium liquorum metastatis ad peculiares nervos, in quibus obstructione, ac impedimento majori, vel minori facto, animalium spirituum influxus prohibetur.

Succus verò nervorum albugineus, ac nutritius eorum acidior factus, & incrassatus hujus calamitatis causa ordinaria est.

Nimis enim ad concrescendum liquor pronus est, nactus potissimum aciditatis, vel frigiditatis causas; ut in sero sanguinis videmus.

Verisimile est etiam fieri posse à spiritibus animalibus incrassatis, & ad motum, & sensum ineptis redditis, in liquoribus veluti immersis, ac ligatis, coadjuvante mea tuum angustia obstructione, vel compressione, inde spiritus ad permeandum impotentes aliqua potissimum narcosi affecti, vel copiis minores, neque alacres, neque vegeti se ad naturalia munia explicare valentes. Sed à solita irradiatione in nervosum genus impediti desistunt.

Dum verò animales spiritus non satis, ut opus esset irradiant, neque nervosas partes inflant, suoque vigore actuant, tunc flacescunt, atque in se concidunt, viæque spritibus, & nutritiis liquoribus magis angustiantur, inde cum paralysi pars illa atrophiam pati observatur, vel saltem depravatam nutritionem, atque cachexiam experiri compellitur.

Non infræquens est illa paralysis, quæ à liquoribus extravasatis, nervis incumbentibus, atque eos comprimentibus supervenire solet. Sic enim animales spiritus liberè irradiare nequeunt, ut in magnis contusionibus, & inde lapsis ab alto frequentèr observamus.

Ordinariæ tamen causæ solent esse tartareæ in sanguinæ acidæ salinæ scoriæ in nervorum tubulos effusæ, sed potissimum nervosus alimentalis succus naturalitèr eos pereptans præternaturalis factus, & incrassatus, nervosarum partium nutritioni ineptus, & tardigradus.

Obstructionum etiam in nervosis partibus factorum causa potest esse inundatio vitiosi sanguinis, per diluens serum lymphæ incrassatæ admixtum,

quantitate, qualitate, motu, vel jis omnibus etiam peccans.

Auxilia.

VIctus non tenuis, sed attenuans procuretur. Cibusque ex volatilibus, & venatilibus. Potus aqua mulsa, aliæque mellitæ potiones exhibeantur, vino acidorum patrono interdicto.

Alimenta itaque diureticis, attenuantibus admisceantur, petroselino, fæniculo. Aviculæ montanæ, columbæ sylvestres, turtures. Cerebrum leporis aromatibus conditum, assatum.

Oximel. Mulsa salviata, anthosata. Aqua cinamomi in frequenti usu sit potissimum frigidis condictionibus præsentibus.

Vinum medicatum salvia, sassafras, guajaco, visco quercino.

Alimenta excrementitia vitanda. Nucleos pineos frequentèr æsitatos comendat Matthiolus. Tum aromatica moventia urinas, atque sudores. Aluus interim lubrica servanda, & animus à curis universis omninò solvendus. Sitis patientèr tolleranda.

Ad exercitia (progrediente affectu, & præsente discussionis tempore) quantum fieri potest promoveantur. Vel loco exercitii, gestationes, concussiones, frictiones etiam asperæ fiant.

Conservæ capitales sub ingressum lecti assumantur, betonicæ, florum tunicæ peoniæ, &c. sed theriaca cæteris præferenda Rotulæ ex cinamomo, & speciebus diambra.

Intentiones præcipuè in hoc affectu erunt ut sanguis, & alii succi ad fermentationem celeriorem cogantur, sic enim spiritus animales ad rarefactionem, & mobilitatem magis disponentur, magisque activi fient, unde expultrici validiùs inservire poterunt, ut excrementa acetosa, crassefacta, narcotica subigere, ac penetrare possint, promptèque ad exitum dirigere; & sic se se ab eorum vinculis extricare valebunt.

Liquorum ergo torpor, & spirituum excutiendus, serumque nutritium nervorum, vapidum, & effætum vias claudens, & vascula infarciens corrigendum, ac educendum per omnes vias; sed potissimum ampla diaphoresi procurata, ac sudore per consueta decocta lignorum, pulvere viperino, ac viperatis procurato.

Sal cornu cervi volatile in mensa cum cibis usurpetur. Aliaque salia volatilia ad grana quinque circitèr sumantur potissimum viperinum, & succini.

Vitriolica, & potissimum à capite mortuo extracta salia reverberata, in laxo, & humido ventriculo magnarum sunt virium. Prout aqua betonicæ supra hunc salem sepiùs cohobata.

Diuretica, tartareas scorias circa viscera naturalia stabulantes educendo valdè prosunt. Sal urinæ spiritus salis armoniaci, sal succini oculi cancri, sal anonidis.

In quibus sensus deficit, declinante morbo asperæ frictiones fiant, ut sic spiritus, & calor advocentur, & ressolutæ parti calor adducatur & succus alimentalis deferatur sinciput, & spina balsamo apoplectico, oleo succini admixto inungatur.

Succinatorum usus in condictionibus pituitosis comendatissimus est, & suffitus succini in parte paralytica.

Balsami Peruani vires comendabiles, tum in usu interno ad guttas quinque, tum in externa regione ventriculi fovenda inservient.

Galli venter repleatur appropriatis, dein-

deinde assetur (Vulpecula verò multò magis commendatur) decidens namque pinguedo valdè efficax est in his affectibus.

Suffitus spiritus vini parti. Vel sudor accenso vini spiritu procuratus, hos affectus plurimum levat.

In paralysi confirmata, super cætera hydrargiri inunctionem efficacissimam esse comperii; & vomitus tinctura Nicotianæ ac oximelite frequenter repetitos.


Vina medicata lignis. Tabellæ ex speciebus diambra, & aromaticis. Conservæ capitales juxta varias intentiones variæ concinari poterunt. Aliaque apoplexiæ, & capitis affectibus à nobis exaratis communia auxilia à judicioso scelectore hauriri hoc loco poterunt.

Ius pullorum viperina carne nutritorum. Vel longè antecellit jus pulli cujus venter repletus fuerit viperarum carne, & simplicibus antiparalyticis.

Tùm viperinus pulvis ad scrupulum, vel viperina caro in obsoniis cum pullorum carne concinata per mensem, & ultrà adhibeatur. Vel saltem sudoriferum decoctum, cum sale volatili viperino.

Sal volatile cornu cervi solvatur in quinta essentia Matthioli, aut vini spiritu rectificatissimo, addita succini tinctura, & ambræ.

Hirundinum pulli æsitati prodesse creduntur. Ex eorum cinere parata decocta ex lignis, cum betonica, & cephalicis miram efficaciam acquirunt in solvendis coagulis, & incrassatis liquoribus.



Pro conuulsione, ac spasmodica contractione auxilia.

DVm pars aliqua moveri, ac sentire apta, à re quapiam molesta impensiùs infestatur, fibrillarum suarum sensitivarum innordinatam, ac vehementiorem vibrationem facit. Ad quam accurrunt cum majori impetu spiritus, majorque vel minor fit spasmodica tensio, pro majori vel minori impetu eorum elastico. Quo cessante, vel saltem minorato radioso eorum influxu, cessat, vel proportionalitèr imminuitur illarum fibri illarum motivarum tensio, & motiuus nixus languescit.

Dum itaque materia præternaturalis, ac exotica per ductus nerveos, una cum succo eorum nutritio ad musculos descendit, spiritibus irritatione molesta fit infensa, & eosdem elasticos, ac irregulares reddit. Et pro majori, vel minori quiescendi interposita mora, & cessatione ab hoc irritamento, paroxismi tempora longiora, vel breviora dimetiuntur.

Si hæc ab insito musculorum archeo provenire contendas, non repugnabimus. Nam causas occasionales, irritamenta in sentientibus fibrillis esse fateberis. Quæ dum crispantur, contrahuntur, atque musculi abbreviantur, parsque intumescit cum dolore, ac duritie.

Has nervosas partes vellicantia, & crispaturas inferentia, sunt liquores quicumque corrodentes, acres, salini, biliosi, vel acidi, pontici cum sanguine, & lympha, mediante circulatione sanguinis nervoso generi communicati. Sed præ cæteris frequentissimum est serum nervorum nutritium, ad acescendum valdè paratum, & ad utramque

biliosam corruptionem dispositum.

Itaque dum absumuntur humores blandi dulces (temperatum serum, & flos sanguinis cum lympha) liquores acres nervis hostiles fiunt. Vel dum pessima infectione, ac mixtione imbuuntur, ut fit per improportionata cathartica per venena acria, per morsus venenatorum, per iram vehementem & alia, crasim sanguinis pervertentia hi affectus fiunt.

Auxilia conuulsionibus, tum multis aliis capitis affectibus communia.

AEr lucidus, serenus ad calidum inclinans (potissimum in affectibus frigidis capitis) si non naturalis, arte saltem parandus erit. Vel se ad marinum aerem conferant. Navigatio verò vomitibus excitatis plurimum prodesse poterit. Natatio insuper, & lotio in aqua marina.

Vini potus in declinatione solumodò; atque corpore iam probè expiato concedi poterunt, quando nulla suspicio est, ne alii supersint crudi succi, qui attenuati ad nervos deducantur. Vini enim tenuitas, & caliditas illos magis ad fluendum disponit. Et hæc potissima causa est cur vini usus in nervorum affectibus, & artuum circà initia & augmentum magis lædere quam prodesse observetur. Sua etenim naturali aciditate tenui, succos fundere, deinde quiescentes, vel minus agitatos in loco frigidiori eosdem coagulare valet.

Fluxione igitur sedata, vinum bonam operam præstare poterit, aptas ventriculi coctiones procurando. Ferventibus spiritibus materiam aptam suppeditando, à quibus excrementorum reliquiæ concoquantur, commoveantur, ac discutiantur. Si potissimum tenue fuerit, pauciferum, subdulce, caput minus tentabit. Crassa enim, aromatica, acida caput lædunt & ventriculum gravant.

Aqua Reginæ Hungariæ, tam in usu interno, quam externo in nervorum affectibus commendatur.

Potus herbæ theæ solæ, vel cum simplicibus cephalicis commendabilis est. Potus verò vini spiritus cautè admittendus, ab eo enim sicut plurimum boni (ratione tenuitatis suæ, & teporis nervis amicabilis) ita plurimum mali ob excellentem vim narcoticam, & soporiferam, qua non solum animales spiritus figire, sed mortificare solet.

In declinante affectu, moderata exercitia proderunt, ut spiritus, & calor in nervosis excitetur partibus, ad excrementorũ, reliquias pellendas proportionatus. Ab omni tamen vehementi motu cavendum, & à delassandis nervosis partibus; Secus absumptis spiritibus, tum dulcioribus particulis, sub excrementorum pondere artus succumbere, & nervosæ partes concidere cogentur.

Animi pathemata vitanda, utpotè quæ irregularem, ac innordinatum spiritibus motum conciliant, & in sanis ipsis tremula membra esse cogunt, nervosum genus concutientia.

Membra sive paralytica, sive conuulsoria affectione detenta, in ventrem bestiæ recentèr mactatæ reposita, certo auxilio sublevantur. Hoc enim sacrificio archei furor tum mitigatur; tum spirituum animalium copiæ, ad hostillia impedimenta removenda implorantur. Et hæc sunt auxilia plurimis capitis affectibus communia.

Magis verò peculiaria pro affectionibus conuulsivis, opiata auxilia sunt, ad quæ frequentèr confugiendum erit, ut somno facto vires omnes refocillentur, & spiritus cum viribus augeantur, quibus constantibus in culinis omnibus

aptæ.

aptæ celebrentur coctiones, universa membra probè nutriantur, vigorentur, inde molestantia excrementa attemperentur, modificentur, ac ad exitum disponantur.

Per experientiam etenim innotuit, quod sola opiatorum vis, in spasmodicis contractionibus spirituum impetum refrænare valet, & eos segniores reddendo somnum parere, dolores, & contractiones tollere. Acidum simul mirificè corrigere, quod in conuulsivis motibus partes nervosas, fibras pungere, vellicare, ac dolore lacessere solet.

Crocus quocumque modo adhibeatur, sive in usu interno, sive externo, proficuus admodum est. Prout & canphura. Sic & decoctum camomelli, vel ejus oleum, & potissimum lumbricatum.

Ranarum oleum equè ad contractiones factas, ac ad motus spasmodicos validum est.

Oleum succini, cum spiritu salis inunctum nervosarum partium dolores mirè sedat. At in condictionibus biliosis oleum ex seminibus papaveris expressum applicitum. Tum decoctum florum papaveris cum ejusdem syrupo preferri debet.

Spiritus salis cum oleo terebenthinæ nervosarum pártium dolores efficaciter sedat. Si verò terebenthinæ oleum tertium, seu nigrum Falopii fuerit, aliis cephalicis admixtum efficacius erit.

Crustacea, & universa quæ acidum imbibere valent molestantem, a Neotericis ad sydera tolluntur, & potissimum perlæ levigatæ.

Si ab inanitione fiat, victus humidus servetur, & boni succi exhibeantur. Atque in tali casu alimentis potius, quam medicamentis pugnandum erit.

Balneum idcircò, & lactis potus proficuus erit. Rari tamen ex his sunt, qui sanari possint; Quoniam dum multi alimenti appositione opus est, partes imbeciles, & exuccæ (ad quas animales spiritus non confluunt) illud commutare nequeunt. Neque per conjuentes vias, & occultos præ siccitate meatus alimentales succi cum spiritibus deduci, distribui, atque opponi permittitur.

Exterius nervina applicita, oleum succini cum balsamo apoplectico. Pinguedo viperæ cum pulvere lumbricorum. Aqua reginæ Hungariæ cum copiosa canphura.

Immissiones membri conuulsi, in ventrem discisi agni, hædi (canis, aut vulpeculæ potissimum) & consimilium plurimum valent.

Vinaliæ vero aceti, vel aceto calefactæ desperatos plurimos sanavere. Tuctore, tamen vinariæ tempore vindemiæ, vel ventracioli bouum mactatorum sunt.

Suffitus ex succino, vel ex caligine aut sale armoniaco. Vel isthæc omnia cum spiritu vini suffumiggata prosunt.

Axungia decidens ab assatione anguillarum. Vel viperarum pinguedo cum vini spiritu, aut aqua reginæ Hungariæ efficax est. Per hæc enim paregorica, acrimonia salis lixiviosi, & spiritus acidi temperari, & causæ doloris, contractionis & conuulsionis emendari possunt.

Caro etiam viperæ commesta, & viperata omnia adhibita plurimum valent. Magnæ antidoti, conservæ capitales peoniæ, betonicæ, baccæ juniperi in his affectibus commendabiles sunt.

Pro illis qui ob universalem conuulsionem maxillis contractis os nullo modo aperire possunt. Aquapendens in fine suarum chirurgicarum operationum syphonem excogitavit per quod alimentum liquidum injici potest, inserendo fistulam profundè in gulam, ut epyglo-

glotidem non irritet. Infundi etiam poterit cibus in eos ea parte qua molares dentes terminantur, ibi enim maxillæ additum præbent. Vel dens anterior extrahatur.

Odore etiam panis recentèr è furno extracti, aperti, & vino asperfi. Tùm carnis assæ præcalidæ, ac fumantis ressocillandi sunt isti. In parte enim prima de aere, odores nutrire posse ostendimus.

Clysteres quoque nutrientes spernendi non sunt, ex rebus spirituosis, & vino potissimum concinati. Clysmatum enim efficaciam detexit china in vino infusa, & injecta, quæ febres ipsas tollere validissima est.

Epylepsiæ causæ, & Auxilia.

Fieri solent epyleptici insultus ab jisdem causis, à quibus convulsivi motus promoventur, nempe ab irritantibus acidis, salinis, biliosis, quæ nervorum crispationes causant, & fibrillarum motivarum contractiones irregulares ac involuntarias efficiunt. Dum itaque spirituosæ, ac elasticæ particulæ nervosis partibus hostiles ad nervorum principium elevantur, fit in cerebro lucta, & epyleptica invasio.


Silicet dum particulæ ætherogeneæ, ac explosivæ nitro sulphureæ, quæ pyrii pulveris ad instar accenduntur sanguini, ac spiritibus communicatæ turbas in animali principio concitant. Nam stimulata facultas, spiritus animales de se impetuosius dimittit. Hi autem veluti æqui æffrænes, stimulis agitati habenas suas spernunt, & irregulari motu vagantur.

Potissimum verò à sero nervorum nutritio alienis qualitatibus imbuto fit affectio, dum particulis nitro sulphureis, ac biliosis (in condictionibus ferventibus) vel salino-acidis (in melancolicis) commixtum ad tenuissima cerebri vascula se se insinuat, & in nervorum porositatibus eisdem associatum pyrii pulveris ad instar explosivum fit. Vel lachrymæ vitreæ modo vim elasticam suam in nervos primo, deindè in membranas, postmodum in cerebrum ipsum profert. A quo deindè tumultuarius animalium spirituum motus procedit.

Semper verò violenta, ac impetuosa præternaturalium particularum in sero, & in spiritibus animalibus explosio in his affectibus observatur. Aqua animales spiritus vehementiùs dilatati, ac inordinatè moti, cerebri pori ita aperiuntur, ut quaqua versum violentèr explodantur.

Quandoque fieri creditur à sola acrimonia spiritibus antipathycè communicata. Aqua impensiùs indignati irritantur, nervorumque poros violentèr dilatatos irregularitèr invadunt, & motrices fibrillas concutiunt. Sic venena quædam epylepticos insultus, vel convulsiones excitare posse accusantur penès exorcistas, & illos qui epylepsiam lunarem, vel demoniacam hoc modo fieri creditur in illis, qui optimo, & inculpabili temperamento gaudere secus observantur, & optimam vivendi rationem servant.

Nos verisimiliùs putamus, à fermento peregrino, ac exotico in porositatibus alicujus partis latente; Inde nacta fervescendi occasione tubulis liquorum illàc transeuntium communicato, & per sanguinis circulationem ad cerebrum delato has calamitates quandoque oriri.



Auxilia.

Auxilia.

AEr temperatus procuretur, ad calidum potius vergens, sin minus arte paretur. Cœli soliqne mutatio quantum prosit insinuavit *Hipp. in 2. aph.45.* Ubi præcipuam spem sanationis in his fundare docuit. *Epylepticis pueris sanitates contingunt maximè per mutationem ætatis, regionum, & victuum*. Hinc est, quod peregrinatio, locique mutatio quæcumque proficua est. Qui in montibus vixit, ad convalia aufugiat. Qui in vallibus degit, ad montana se conferat. Atque vivendi instituta anteacta omninò immutentur. Ita ut qui otiosus erat, negotiosus fiat. Qui irrequietus in negotiis, & anxius erat, quieti, & otiose tradat. Singulas vero alias res non naturales in melius immutare conducet.

Victusque universalitèr potiùs tenuis attenuans, flatus discutiens servetur.

Flatulenta, & vaporosa omninò vitentur allium, legumina, radices æsculentæ &c. Inter olera, vitetur brasica, apium selinum, petroselinum, lentes, tubera, fungi &c.

Cavendum præterea à salitis, caput tentantibus, pituitosis, melancolicis, carne suilla, sylvestrium animalium seniorum.

Hædi caro suspecta est penès aliquos. Quoniam de capræ natura melancolica participat. Verum dum optimi succi eam esse alibi in sexta parte docuerimus, rationem afferram cur peculiaritèr istis sit infensa. Cum certum sit apud expertos quod major pars epylepticorum, per insidias inferi hostis humanæ naturæ affligatur (Ideoque in sancto Evangelio legamus, ab epylepticis insultibus persanatos à Salvatore Mundi, cunctos energumenos fuisse) hædi vero reproborum figura sunt, & eorum carnem 30. diebus in mensa appositam comedi posse non tollerat Tartareus draco; sed per insultus detegitur. *Ut optimè observat Delrius tomo primo suarum disquisitionum magicarum.*

A conchiliis, & ostrocodermis omnibus abstineant. Tum à squama carentibus. A lactariis & à dulcibus, saccaratis. A leguminibus, & à valdè calefacientibus, synapi, cæpis, allio, & flatulentis, crassis, caput tentantibus. Ideò pisces pravæ notæ, olera, legumina, & ventrem adstringentia, & universa quæ ventriculum conturbant, prauum, crassum, & melancolicum succum generant fugienda, ut canis à Nilo sunt.

Sed potissimum arcendi sunt cibi qui peculiari natura ad epylepsiam pronos reddunt, ut caro caprarum, hircorum, anserum, anguillarum, fungorum, & lentium.

Sic apium selinum certo meo experimenta epylepticas accessiones accellerat, & auget. Aromata, & ad fermentationes disponentia nocet. Flatus tamen resolventia plenitudine crassorum succorum absente prosunt Ciminum, fæniculus, cortices aurantiorum conditæ, & consimilia à cibo sumpta.

Quæ venerem stimulant, flatuosa arceantur. Panis cum fæniculo subactus, sit in quotidiano usu.

Vinum non exhibeatur omninò in juvenibus, & pueris. Solum in senioribus admittatur, quando certò constet de ventriculi imbecillitate; Atque necessarium esse ad ventriculi coctionem juvandam. Tunc exhibeatur illud, quod minus caput tentat silicet album, tenue oligophorum, non acidum. Sed buxo, peoniæ radice, ligno sassafras, rosmarini, visci-

visci quercini, & aliis, &c. medicatum.

Vel ex vuis passulis, Corinthiacis, aut Creticis suavissimus paretur (ut in prima appendice docuimus) eoque æger utatur saltem per annum.

Vinum verò ex amarenis, pro hoc affectu nunquam satis commendatum est, peculiarem enim adversus hunc, & affectus melancolicos, & biliosos energiam habere comperies. Multique hoc solo auxilio tum curati, tum præservati fuere.

Cœna frugalis sit, atque stomachum confortantibus claudatur, cydoniato, conserva rosarum æstate, vel corticibus aurantii conditis hyeme.

Vigilent à cœna saltem per horam. Atque supinum in lecto decubitum vitent.

A somno prolixiori caveant; ab intempestivo, & meridiano.

Ante cibum quotidiè exerceantur moderatè, & potissimum in partibus inferioribus, deambulatione, cursu, lucta, & aliis.

Caricas sepiùs comestas, & mulsam & visco quercino his summoperè commendavit Matthiolus. Quæ enim phlegmatis incrassationem prohibent, & melancolicas coagulationes arcent, admodum proficua sunt in hoc affectu. Tùm cruditatum quilibet proventus cautè vitandus in hoc, tum in omni cronico affectu.

A profundis cogitationibus, ac ab omni vehementi animi motu, ac perturbatione abstineant, hæc enim paroxismos accellerare certum est. Ideò animo sint alacri, & hilari, in spem erecto. Alvus lubrica sedulò servetur.

De veneris usu plurimi sunt qui penitùs arcendum esse judicent, cum Stoicorum sententia, qui brevem quandam Epylepsiam actum Veneris esse reputabant. Attamen si tempestiva sit, epyleticis plurimum prodesse posse fatebimur, in juvenibus, (ubi validæ sint vires) & assuetis. Nam *Hipp. monuit lib.6. Epid. sec.5. Quod Venus morbis à pituita remedio est*. Scio tamen quod in commento hujus loci Galenus docet, podagram, articulorum dolores, renum vitia, epylesiam, & melancoliam, per coitum exacerbari. Verum hoc dictum genericum in articulo partis 5. de Venere ad magis particularia contraximus, ac ostendimus tempestivam Venerem, si quod aliud auxilium melancolicis, & pituitosis affectibus prodest, ob peculiares superadditas condictiones. Quis enim non videt prodesse posse saltèm epylepsiæ à semine retento ortæ? Quæ non raro contingit; ut experientia monstrat, & *Galenus 6. de loc. af. capite quinto* fatetur.

Quamobrem in plenisuccis juvenibus pituitosa excrementa coacervare solitis, magnis tamen cautelis concedatur.

Lævigatarum margaritarum longus usus multos juvit tum ostreaceorum acida imbibentium frequens assumptio cum opiatis, vel papaveraceis.

Leporis jecur biliosis, tum pituitosis causis præsentibus quolibet modo proderit.

Tabaci fumus epylepsiæ insultus illicò arcet. Spiritus vero salis armoniaci in phiala sub nares appositus, vel fuliginis aut cornu cervi, idem agere apti nati sunt.

Peonia sub propria constellatione collecta, silicet declinante luna in signo arietis, sole existente in Libra, (Quod contingere solet post 20. diem Septembris facto plenilunio) Expectata silicet solis oppositione, die sequenti Luna erit in Ariete, lumine minuta.

Opiata

Opiata cum apropriatis cephalicis admixta vespertinis horis adhibita, eundo cubitum valdè commendabilia sunt. Tum laudana epyleptica Libavii & aliorum, camphura plurima admixta, & vitriolo narcotico parata, magna præservativa sunt.

Qui autem longo tempore procul ab accessionibus epylepticis vixit. Ut cognoscas an verè sanus factus sit, accipias Dracmam cornu capræ, & tantundem assæ fætidæ, atque super accensos carbones impone. Nam suffumiggatus æger illicò cadet. Si verò rectè curatus sit non cadet.

Gagates paritèr suffitus epylepsiam detegit, sic & cornu cervinum. Hæc tamen suffita epylepsia correptos in momento excitant.

Gagates pluries extincta in aqua florum tiliæ & liliorum convallium efficax est. Tum oleum ejus quocumque modo adhibitum, & potissimum in pueris lactentibus, pro quibus nutricis providentia summoperè habenda est.

Valent peculiari ratione corallia, hypericon viscum quercinum, peonia, rosæ rubræ, lilia, aurum potabile, vinum, vel liquores extinctionis auri, & tinctura antimonii longo tempora adhibita.

Canonica medicina, quæ mihi per doctrinam angelorum communicata fuit, primò est viscus quercinus: *ait Paracelsus cap. de caduco.*

Aquam peoniæ super salem à capite mortuo aquæ fortis extractum pluries cohobatam, super cæteras aquas, triginta diebus ad uncias tres propinatam efficacissimam esse reperies.

Sic pullorum hirundinum decoctio ad uncias sex singulo manè cum cinere earundem adhibita. Ros vitrioli summis laudibus pro hoc affectu celebratur, vel vitreoli spiritus longus usus.

Quandoque orta epylepsia à nimio, vel intempestivo lacticiniorum esu, quæ in ventriculo acescentia, atque corrupta fuere. Vel à copiosis sacaratis aliisque dulcibus in viscidam pastam abeuntibus, ac acescentibus, sale vitrioli ad scrupulum semis exhibito, facto vomitu, eradicari observatur, seu Gilla Teofrasti.

Si de nimia cerebri laxitate, & humiditate constet, & apertos ejus poros fluxionibus admittendis paratos esse cognoscas, ad calidorum adstringentium, ac cerebrum confortantium usum confidentèr accedere poteris, & ad succinata viperata, atque ad magna antidota.

Post primum lunæ quadrantem per plures menses, vomitu sale vitrioli procurato, epylepsia tollitur, vel supra quam credi potest levatur.

Ranarum hepata in obsonijs pro biliosis. Coagulum leporis (& carnes leporinæ comestæ) pro humidioribus temperamentis, majorana, ruta, mirrha, infusa in elixire proprietatis Paracelsi, & in singulis lunæ quadrantibus adhibita prosunt. Nam circa hæc tempora sanguinis massa peculiares à Luna effervescentis suscipit, & humidissimum cerebrum alteratur, ac fermentatur.

Margaritæ, corallia, rasura eboris, cornu cervini, ungula alcis, viscum quercinum maritentur opiatis, ut efferi, & innordinati spiritus animales infrænentur, demulcianturque irritantia. Certam etenim opem afferunt, illis potissimum in quibus aliqui, dolores, & commotiones ventris, aut alterius loci accessionem præcedunt.

Pulvis talpę exiccatę humidiores plures sanavit. Oleum hyperici composi-

G tum,

tum, cordi, & pulsibus illitum semper profluit. Sicut balneum ex ciniribus filicis, & quisquilliarum fœni sub præsepe bestiarum repertarum, in lunæ quadrantibus vel sanat, vel plurimum levat, ut ipse expertus.

Cruditates stomachi coacervare soliti bis vel ter in hebdomada duo coclearia aceti squillitici assumant, neque circa primas vias lentam mucaginem longo tempore hærere permittant.

Lac ovillum diù adhibitum, medicamentum Paracelsi est in epylepsia, & visci quercini Pulvis in mensa pro sale.

Picarum aqua, vel decoctio in aqua peoniæ cum smeragdis levigatis pro singula vice ad scrupulum semis, diù assumatur.

Semen peoniæ confectum (saccaro silicet coopertum) à cibo sumptum singulo die, prophilacticum eximium est.

Catarrhi causa, & auxilia.

HUmor intra cerebri meandros, & glandularum tenuissima vascula, tum intra cerebri cortices collectus aquei formis, sed plurimis naturis coagmentatus per ventriculos in infundibulum, & glandulam pituitariam, inde ad venas jugulares descendit, ex his in arterias, per has verò, in universas glandulas separationi hujus liquoris destinatas pervenit, à quibus tandem ad loca naturalia excretionum ablegatur.

A vasis itaque capitis recedens, per sanguinis circuitum ad glandulas deducitur, & à sanguine, ejus excrementitia pars secernitur.

Præcipuæ hujus liquoris separationi dicatæ glandulæ salivales sunt. Illeque humor, qui intra cranium colligitur, per fauces, vel nares evacuatur, non quia sincerus defluat à capite, sed quia sanguini permixtus, à glandulis separatur, & hæc naturalis & consueta via est.

Præternaturalis est evasatio lymphæ, tum vitiosi seri spermaticarum albarũ partiũ nutritii quæ in qualibet corporis parte contingere potest. Et in capite ipso frequentèr observatur in cerebri cortice potissimum celebrari. Vbi per sex res non naturales mora contracta acescere observatur, incrassari atque coagulari magis, vel minus.

Propriè tamen loquendo hoc evasatum serum (quod vulgò nomine catarrhi venit) non semper de capite profluit, sed per omnes partes diffusum, ex unaquaque parte erumpere potest.

Non etenim solum cerebrum hoc liquore seroso inundatur, sed universæ partes quæ glandulis, & vasis lymphaticis scatent, quibus disruptis, vel rarefactis, distentis, vel alio modo præternaturalitèr affectis, cerebrum, vel aliæ partes inundantur, & pori obstruuntur.

Nutricium serum, tum lympha de se liquores temperati sunt, ad acidum tamen tentantes; dataque causa occasionali acres, salsi præternaturalitèr fiunt, & ab admixtis particulis, calidi, frigidi, salsi, acidi, vel alitèr affecti dicuntur.

Quodlibet verò membrum malè affectum, dum optimè nutriri nequit, alimentum suum corruptum evomens in proxima spacia, excrementa sibi adversa (mali sui faber) fabrefacit, quæ deinde catarrhi nomine veniunt.

Sed frequentior catarrhus, à sero absedente à sanguine, qualitate acri, vel quantitate exundante fit. Tunc etenim vasorum lymphaticorum oscula, & glandularum poros pandere præter-

ternaturaliter valet, ac extravasari.

Hinc est quod per moram, & loci calorem tale serum crasceſſit. At mera lympha nullo modo per Calorem crasceſſit, ſicuti, nec mera aqua.

A frigore repentino potiſſimum partium poruli conſtipantur, atque transpiratione ceſſante ſeri allabentis copia augetur, fruſtrataque coctione extravaſatur, aceſcit, & concreſcit, & pituitoſam gelatinam conſtituit.

Ad hunc pariter affectum augendum lymphæ vitiatæ concurſus plurimum conducit, quæ pro naturali ſtatu culinas eluere non poteſt. Hæc potiſſimum in ore, ventriculo, & primis viis manifeſtatur; ad quæ loca perenni curſu feſtinat, & exhauſta, per potulenta aquea reſtauratur. Per refrigerationem, moram, acidam fermentationem concreſcit in pituitam etiam viſcidam, & æmulatur naturam vini aquoſi, ſenſim à dolio extillantis qui in craſiſſimam gelatinam concreſcit circa dolium, vel in patina.

At veri rheumatis fons caput eſt (Metropolis pituitæ à Galeno dictum) ſemper ſero madidum, rarò tamen catarrhis infeſtamur; ſed ſolùm quando à cauſis extrinſecis de ſuo tono dejicitur, vel rebus exoticis admiſcetur, & præternaturalibus, fitque acidius, & acrius, inde cerebri glandulis improportionatus, & irritans, ſequeſtratur ab jiſdem, & ad inferiora loca demittitur cum lympha comixtum.

Podagræ, & aliorum articularium affectuum cauſa, & auxilia.

CErtum eſt hos affectus à ſynovia præter naturaliter ſe habente fieri. Cujus cauſa videmus quod hujuſcemodi tumores ſunt ſuppurationis neſcii, prout ſynovia (nutritii ſeri nervorum ſoboles) ſuppurari nequit per ſe; verum alteratur ab externis non naturalibus, vel ab allabentibus commixtis, unde ad fermentationes commovetur, & ad acetoſum ſaporem exaltatur (juxta Paracelſum, qui lactis exemplo hoc manifeſtat) Quod per horum affectuum curam manifeſtatur. Nam potiſſimum per ſalia volatilia balſamica perficitur, non verò per nimis ſpirituoſa.

Remotiores itaque cauſæ liquores varii ſalini ſunt in ſeri nutritii latice occultati, orti potiſſimum ob labefactatam, tam in partibus, quam in aliis corporis culinis coctionem (præcipue in ventriculo) quæ ut plurimum vitatur, à minori ſpirituum animalium influxu, fermentis vitiatis ob nimiam venerem, ſed potiſſimum dum contagio venero inquinantur.

Cumque circulariter in facultatibus procedatur, primarium vitium à depravata in ventriculo digeſtione venire rationabile eſt, aliis etiam viſceribus naturalibus, & glandulis digeſtioni dicatis, atque ſeparationi conſentientibus ob naturalis facultatis deſidiam, quæ ab hoſtili acido ſe vinci permittit; inde victor hoſtis in maſſam ſanguineam ingruens, ejus conſiſtentiam labefactat, & irritans, animalibus ſpiritibus fit hoſtilis, dolorum cauſa.

Chylus itaque malè digeſtus, viſcoſior magis, vel minus, multis lixivioſis, acribus ſalibus, acidiſue refertus, in caput hujus choreæ numeratur.

Et quoniam primæ digeſtionis errores in aliis non corriguntur, hinc eſt quod neque in cerebro aptum nervoſis partibus nutriendis alimentum celebrari poſſit, ſed impurum nutritionis albarum partium ſpermaticarum excrementum factam ſynoviam contami-

nat. Estque causa fermentationis pravæ in eadem.

Quæ per adductam aciditatem grumescit quandoque caseiformis, & opaca fit, adeò ut in calcem transeat, & cretam podagricam constituat; si autem à sanguine corrupto esset, aut ab alio liquore, certè suppurationis subjiceretur.

Dum itaque liquor nerveus à sua dulcedine, ac volatilitate, adfixiorem aciditatem declinat, cum lixiviali articulorum alcali congrediens efferuescit, & artriticum paroxismum promovet. Nervosarum vero partium debilitas contracta, multum huic affectui contribuit.

Improportionata itaque recrementa, seu salia indolis diversæ, dum inter se validè efferuescunt mutua particularum lucta, & agitatione membranæ insigniter vellicatæ in distensiones valdè dolorificas aguntur. Neque dolores remittunt, nisi particulæ congestæ evaporent. Vel mutua lucta subactæ simulque spiritibus defessis, ab efferuescentia, & orgasmo aquiescant.

Auxilia adversus catarrhos.

ARtificia præcipua, & canones debellandis catarrhis proportionati, circa regulas dieteticas versari debent in primis.

Cavendo ab aere nocturno, frigido, nebuloso, ventoso. A crepusculis matutinis, vel vespertinis, potissimum intemperatis. Ab aere septentrionali (veluti ab exprimente) tum ab australi (veluti liquante) cautè se custodire debent, monitu Hippocratis in 3. aph. 5. & 12. 14. Tum à repentinis frigoris, & caloris mutationibus.

Conclave suffumiggiis caput roborantibus, hyemè aromaticis, æstate frigidis alteretur. At vesperi eundo cubitum suffitus fiat ex succino solo, vel etiam addito benzoino, styrace, thure, myrrha, potentèr enim cerebralium glandularum laxitas per hæc auxilia emendabitur, sed potissimum succino, (quod centiès experto crede).

Neque soli, neque igni diutiùs caput exponatur. Lunæ autem radii peste, & angue pejores præcaveantur. Omnis quinimò aeris intemperies sedulò vitetur. Fræquentior namque catarrhorum causa, externum frigus repentinum solet esse, quod transpirationem (glandulis cutis milliaribus constipatis) impediendo, atque in spermaticis, albis, frigidis partibus serum nutritium coagulando, vel saltem retardando, est in causa concretionis (ut superiùs de vino aquoso circa dolium exemplum attulimus) A frigido itaque externo, nervosis partibus hostilli, caput optimè præmuniatur.

Ab omni animi intensa applicatione se contineant, imò à mærore, & ab ira. Lætitiamque procurant omni studio, & animi elacritatem.

Moderatè exerceantur, manè potissimum ante cibum. Otium enim, & pigritia, sero (naturæ frigidæ) motum testudineum, acorem, & incrassationem inducit. Et quod peius est diaphoresim lentam inducit, unde in immensum catarrhos auget, & fovet.

Post cibum statim meditationibus, aut aliis exercitiis vacare non debent. Sed solùm post optimè refocillata membra (ultra secundam circitèr horam) mediocriter his incumbere poterunt. Vacuo autem ventre, his tutum erit exercitium ad sudorem usque.

In

In frigido catarrho, in plenisuccis juuenibus moderatam Venerem esse optimam medicinam in parte 5. insinuavi cum Hippocrate.

Valdè odorata, equè ac valdè vaporosa Hippocrati suspecta sunt, nam caput replent, & effervescentias in eodem concitant.

Matutina exercitia musculosas, & nervosas partes, sero ac lympha inundatas exiccare possunt, expultricem irritare, ac excitare, ut ad frigida torpida excrementa pellenda alacris insurgat.

Somnus si diurnus concedatur, ob assuetudinem, sit brevis, & capite elato. Supino verò ventre, vel prono nunquam dormiant. Neque super latus à catarrhi fluxione tentatum.

Pedum ablutiones, seu pediluvia sub ingressum lecti, vel ante cœnam parcam facta plurimum prosunt.

Alvus nisi lubrica sit, sollicitetur passulis in prima mensa sumptis, vel passularum jure malva borragine, mercuriali alterato; vel laxantibus alimentosis prunis damascenis sapa cassia extracta confecta cum unciis duabus saccari cocti ad consistentiam manus Christi, & consimilibus blandis.

A valdè tamen saccaratis, atque fermentescentibus, calidis acescentibus. A lactariis ipsis, tum valdè mellitis, ac pinguibus arceantur.

Cibi concoctu difficiles, ad caput evaporantes, acres ut allium cepæ excrementitii vitentur. Et quoniam mel tenues fluxiones concitare observatur acrioresque reddere, ideò sapa in condimentis melle tutior est.

Sicut omnis ciborum repletio, atque saturitas omninò vitanda est. Sic longæ inediæ, atque nimiæ stomachi inanitiones arcendæ.

Prandium diacitonitone, pasta Januensi, vel anisis confectis; aut haustulo vini nigri generosi claudere, cœnam vero conserva rosarum aut florum papaveris expedit, vel granis tribus masticis integris devoratis.

Amygdalæ amarę, & amariusculæ conservæ, absynthii, anthos, betonicæ commendantur.

Sicuti acida pontica styptica, catarrhos incrassantia, & lympham mucilaginosam reddentia vituperanda sunt.

Universalitèr denique victus attenuans potius, quam tenuis servandus. Atque semel, vel bis in hebdomada incænati, vel sola sorbitione modica contenti ad somnum se componant. Interque accomodatissima fercula ptisana, potissimum emaciati utantur.

Sitis quantum fieri potest tolleranda est, hæc enim serositates absumit. Atque proverbio auscultare bonum erit. Esuriant, sitiant, vigilent, qui rheumata curant.

Post maturationem catarrhi, vinum tenue, dulce exhibeatur, quod lotium moveat, diaphoram, & discussionem promoveat. At in principio loco vini aquam sandalinam, vel rosarum tincturam, aut florum papaveris cum guttulis spiritus vitreoli factam assumere expedit.

Vel pro junioribus vino amarenarum uti. Aut pro senioribus, & hyeme mulsa. A generosi verò nimis, tum à copiosis (licet tenuibus) abstinendum erit. Vel si vino utendum sit, decocto visci quercini, vel chinæ attemperetur. Latex enim qui pro suo naturæ instituto insipidus esse debet, multo, vel meraciori vini potu acessit. (Vinum etenim plurimum acidi in se naturalitèr continet) & ad coagulationes equè ac ad fluores disponitur.

In

In cronico tamen affectu, in gratiam ventriculi languidi, ad procurandas felices coctiones, & virium restaurationem vinum offerri poterit, quod tamen album sit, tenue, maturum, decocto visci quercini dilutum. A compotationibus verò inter prandium, & cœnam omninò abstineant. Et harum loco caffeana potius potione, vel theana sitim solentur.

Nam à potu aquæ, & potulentorum aqueorum, & uno verbo ab jis omnibus, quæ serum copiosiorem, vel vitiosum reddunt, aut lympham augent, cavendum erit.

Pulvere cephalico, parato ex majorana, rosmarino, betonica, menta, corticibus citri, cariophillis, mastiche, macis, olibano, succino, ambra, mosco, nuce moscata, absinthio, ligno aloes, cinamomo, & gosipio excepto, inter duas sindones consuto cacuphæ capiti imponendæ parentur.

Tum scuta pro ventriculo fovendo, addita balsami Pervani inunctione.

Suffitus succini ad glandularum cerebri vitia, & feri nervorum nutritii emendanda efficacissimus est, si vesperi eundo cubitum administretur, præmissa paritèr inunctione naribus, temporibus, & occipiti.

Vel succini pulvis sacculo inclusus in vino albo, & modico aceto incoquatur in Olla, ejusque fumus naribus excipiatur. Vel facto sacculo, tepidè deraso capiti applicetur. Oleum pariter succini in rotulis, tum succinata quolibet modo adhibita proderunt.

Sic opiata (potissimum in principio) quolibet modo administrata catarrhorum progressum inhibent. Dummodo vires constent, neque pectus crassis, plurimisque excrementis refertum sit. Tunc enim difficiliorem respirationem efficere posset.

Laudanum itaque opiatum, præ cæteris in fluxione catarrhi tenuis, acris, in principio, absque ulla hæsitatione exhibeatur. Opiata namque cohibent recessum liquoris alimentitii in degenerem (potissimum theriaca recens) catarrhosque factos fermenti digestivi stomachi vitio persanant. Non tamen illos qui à marcore insiti roboris partium, vel cerebri, vel caloris inati exolutione afficiuntur. Impossibile est etenim stomachi, cerebri, vel partium nutriendarum vitam, & facultatem jam ad occasum vergentem opiatis restaurare.

Tunc ergo de viperarum, & viperatorum usu potius cogitandum erit. De theriaca, de pullis carne viperina nutritis. De morsellis deque aliis, &c. Tum de decoctis restaurantibus, & excrementa per insensibilem transpirationem absumentibus.

Diuretica etiam temperata, vel frigida, & quæ serosas materias ad urinas ducunt, & evacuant, semina quatuor frigida, oculi cancri, radices diureticæ. Sed spiritus vitreoli pro absumendis omnibus catarrhis crassis nobile auxilium est, eximiè etenim eos liquat, & ad exitum deducit.

Aceti fumus super ignitas ferri laminas procuratus, patulo ore, ac naribus exceptus ante lectuli ingressum cerebrum laxum efficacitèr firmat si potissimum floribus cephalicis admixtum sit acetum.

Lymphæ interim manè jejuno ventre masticatoriis quantum fieri potest exhauriatur, sed potissimum solo mastice, vel solo pyrethro.

Ad sanguinis etiam serositates exundantes, catarrhorum causas, per cutaneos poros evacuandas, non inutile

auxi-

auxilium erit cornu cervinum, stibium diaphoreticum, pulvis viperarum, aliaque plurima sudorem cientia, &c. & potissimum chinæ, salsæ, quæ acrimonias, pravasque seri nervorum nutritii conditiones corrigunt, & emendatum serum educunt.

Verum si sit defluxus humoris tenuis, & salsi, feliciùs emendabitur papaveraceis, seminum frigidorum emulsionibus, ac opiatis. Tum corallorum pulveribus ac ostraceorum, acida imbibentibus. Tragacanto, mastice, olibano. Opiata etenim sanguinis dissolutionem in hos tenues liquores, seu salina liquamina felici successu arcent. Et eidem mediocrem consistentiam, sedata præternaturali fermentatione, ac somno procurato conciliant.

Decocta pectoralia, & incidentia, modo constet de incrassatione liquorum ab acido facta, proficua erunt.

Lac asini longo tempore usurpatum, quoniam serosum, naturæ amicabile est; ideò vitia seri nutritii nervosi certa experientia emendare potest. Atque nutritioni labenti maximum auxilium apto tempore administratum esse consuevit. Antequam arefactis membris, & veluti corio præ igne contractis, alimentorum via intercludatur, quæ morti panditur.

Sal martis, ob vitriolicam naturam mucilagines in stomacho, & primis viis inventas liquat, (ad grana quinque circitèr exhibitum) & stomachi vires conduplicat, ejus fermentum exaltando. Quod etiam moderato usui spiritus vitreoli familiare est.

Validum auxilium est longo catarrho vexatis fermentum panis cum succini, & masticis pulvere subactum, noctu deraso capiti impositum, & stomacho.

Vel prægressa inunctione ex oleo succini, super suturas, pulveres ex thure, mastiche succino conspergantur. His temporibus potissimum, in quibus demortua capillitia, consimilem medendi occasionem magis quam anteactis temporibus comatis facilem præbere observantur.

Ipse vero consimilis Occasionis crinem arripiens, sævissimas, & præcipites quasque catarrhorum destillationes factis inunctionibus cum oleo balsamico caustico meo acidissimo, copioso butyro admixto in sincipite, vertice & spina inuncto intra duos, vel tres dies frænatas vidi, si idiopaticè à cerebro proventum suum habuerint.

Auxilia adversus podagram, & alios &c.

Dieta in hoc affectu adeò magnifacienda est, tam in præservatione, quam in curatione, ut eadem contemptà, reliqua auxilia (licet idonea) inutilitèr administrentur.

Eligatur itaque aer purus, serenus, nulla intemperie, nullis vaporibus pravis, aut nebulis contaminatus. Quod si natura talis haberi nequeat, arte paretur.

Animi passiones omnes præcaveantur, & studia, quæ caput defatigant, cerebrum laxant, spiritusque (qui coctionibus, & fermentis omnibus præesse debent) absumunt, magno seri nutritii nervorum, & spermaticarum partium detrimento.

Moderatè jejuno ventre exerceantur, sed equitatione omissa (quæ ad renes dispositas ad litiasim materias crassas ducere posset) saltem rheda, vel lectica vehantur.

Ab intempestiva venere caveant, quæ spiritus animales absumendo, succum ner-

nervorum nutritium exhauriendo, partes spermaticas summè debilitat. Hinc est quod ante veneris usum monstruosum esset si quis podagra corriperetur, ut observavit ante nos *Hippocr. 6. aph. 28. & 30.*

Evacuationes consuetæ serventur, & potissimum hemorhoidales in viris, secus cum sanguine liquores omnes inficientur. Ideoque notat *Hipp.6.aph.29. quod mulier podagra non laborat, nisi menstrua defecerint.*

Parca mensa contenti vivant. Atque consilio *Fernelii quandoque famelici ab epulis recedant*. Fames etenim istis magna medicina est, eque ac abstinentia à vino, & potulentis.

Saccarata his obsunt, non tantum ob acidum occultum, quod in sinu suo gerunt; sed quia viscosas in se particulas continent, quæ ad concrescendum paratæ obstructiones pariunt, vel fovent.

Cibis itaque modicis utantur, & parum nutientibus, tenuium partium, & leviter refrigerantibus; Ideò loco carnium his conducibiliores essent pisces optimæ notæ.

Vel si hoc à virium imbecillitate non permittatur, volucrium montanarum carnibus utantur. Caponum verò usus à populo (voce Dei) perperam non reprobatur, quoniam crassos succos generantes, podagræ & ipsi subjiciuntur.

Victus ergo ratio pertinax, non permittat crassa, pituitosa excrementa coacervari. Imò collecta quamprimum eliminanda potissimum vomitu quocumque modo procurato.

Ut verò proba fiat concoctio in ventricolo, & alimentorum debita distributio, omnia tentanda. Ideoque ciborum electioni, & sobrietati incumbendum erit.

Pulli qui adhibendi sunt, viperinâ carne nutriantur, & iure viperarum pultes, iisdem alendis parentur.

Otto Tachenius ante podagrica universa alcalica debere esse contendit. Longa etenim observatione ductus, ab acidis succis fieri edoctus est. Hac de causa lac primum locum habere inter podagrica auxilia monet. Quoniam alcalicum, universa acida in se suscipit, & occultat. Si tamen aciditas non vitalis; sed corruptiva in ventriculo dominetur, à lacte abstinendum erit. Gracilibus tamen, podagricis ut plurimum lac convenire certum est.

Quæcumque autem fœdum urinæ odorem imprimunt, pro his affectibus peste pejora fugantur ut crustacea universa, fructus horarii, asparagus, allium, cæpæ, atque radices fermè universæ domesticæ commestibiles, fungi, & consimilia.

Quæ putrefactivam aciditatem promovere, & flatus acidos concitare solent removeantur. Certum namque & expertum est quod quæ ventriculus optimè conficit, eadem neque flatum, neque tormina faciunt, neque succis corruptibilibus ansam præbent.

Fugiant ut canes à Nilo, à vinis albis, crassis aromaticis, tum Caræsente potissimum accessione) à diureticis omnibus, ac tenuibus, quæ ducere possint alimenta adhuc cruda ad venas, vel eadem colliquata ad articulos, & renes præcipitare.

Vel si vinum in graciam languidi stomachi adhibendum sit, lignorum ac cephalicorum infusione medicatum sit.

Sed conducibilius esset hyeme, & in condictionibus frigidis aqua mulsa. In aliis vero temporibus aqua hordei, vel Noceriana, vel destillata cum guttulis spiritus vitreoli, & corticibus duorum limo-

limonum optimè agitata sufficere poterit.

Non est novum, neque Anglicum podagricorum auxilium lac. Sed ab *Hipp. de affect. 3. proponitur. Et Galenus eodem vtitur ad tophorum in articulis dissolutionem cum Aetio*. Sua etenim pinguedine, & humectatione substantifica, pravos liquores corrigere, nervosas substantias emollire, ac benè nutriendo sanare valent.

Lac itaque loco potus ordinarii, plurimum valere potest (potissimum in temperamentis minus humidis) eoque magis si per annum dieta lactea utantur. Videlicet omissis carnibus, & vino, solis lacticiniis, & lactis potu contenti vivant. Ideòque Paulus Egineta 3. *de re Medica* 78. *testatur*, quod si per totam vitam oxigala, vel aqua etiam naturali à vino isti abstinentes utantur, sani fiunt.

Hinc bona fide testari possum quod veros Turcas, & abstemios raro admodum à Podagra correptos observaverim. Sed potius oculorum affectibus hos pronos esse observavi, quibus meracum vinum esse medelam docuit. *Hipp. in 7. aph. 46.*

Illustrissimus Excellentissimus D. Franciscus Donatus felicis memoriæ quoties hyeme, & veris *initio in* usu graspiæ perseverare potuisset (*dicitur* etiam vinum raspatum, tenuissimum, urinam super cætera fortè diuretica copiosam, & velocitèr movens) toto eo tempore à sævissima, etiam cretosa podagra immunis vivebat, memorabilis patronus venatorum. Atsi ab instituto declinasset, vel graspia carens ad vinorum potum transisset, illicò podagrici dolores se manifestabant, & renum calculi.

Qua ocasione vires vini raspati diureticas admiratus sum, & esse ingens nephriticarum affectionum auxilium extraaccessionem cognovi, etiam in aliis.

Pro his qui hujusmodi vina habere nequeunt consulit Hollerius mellicratum. Quod potulentum est, constans ex aquæ partibus 40. & una tantum mellis. Nos plurima, in parte secunda potulenta ingeniosis eligenda proposuimus loco vini nocentis.

Inter causas enim, podricarum affectionum præcipua numeratur vinum crassum, atque meracius. Sic & Avicenam videmus in affectibus articulorum vinum reformidare. Nam promptè materias fluere ac penetrare facit, & plurimum ipsius, in his corporibus acessit. Acetum verò quantum nervis hostille sit, nemo ignorat. Velocitèr enim eos penetrat acuitate sua, alcalinos dulces eorum succos fermentat, nutritionemque in ipsis inhibet, sed incrassatos & excrementitios reddit.

Ideò vina acida, tum fœci proxima, imò liquores omnes impensiùs acidi fermentativi vitentur in usu intrinseco.

Nam pro usu extrinseco ad liberandos, & solvendos nervos ab excrementorum compedibus efficacissimæ sunt, & plures quam credi potest auxiliatrices vinaceæ acescentes, vindemiæ tempore. Vel etiam aliis anni temporibus ab eis qui acetum conficiunt sumptæ, ac modici aceti superfusione curando ut incalescant.

In condictionibus frigidis, nil præstantiùs theriaca mediæ ætatis bis in hebdomada ad dracmam semis. Tum aqua reginæ Hungariæ applicita, tum epota, cum copiosa camphura. Quibus robur ventriculi procurandum, & excrementorum crassorum discussio tentanda.

Ideo cerata ex gummi tacamacha

cum balsamo Peruano, oleo masticis destillato, nucis moscatæ aliaque auxilia, quæ pro ventriculi imbecillitate alibi exarata sunt, adhibeantur.

Lignorum decocta universaliter cum magno emolumento exhibentur. Non solum quia coagulatorum acidorum auxilia sunt certa. Sed etiam quia latentis, & incertæ luis vestigia harum coagulationum, & acescentiæ causæ ab humanis corporibus ablegare valent. Lues verò Venerea frequentissimè sub horum dolorum larva ęgros incurios, & medicos inexpertos illudere solet. Ideò & mercurialia quocumque modo adhibita hos affectus certò experimento tollunt, vel levant.

Pinguia universa (potissimum in principio) supra partem inflammatam adhibita, plus nocent, quam prosint, ut certo Hippocrati experimento docemur.

Sed statim incipiente dolore aqua adhibeatur in qua dissolvatur sal cum aceto; atque locus frigidè foveatur, ut monet *Gal.* 12. *meth. sic*: *Incipiente phlegmone circa artus, tutò medicamentum actu frigidum administrari potest*. Quod dessumpsit ab Hipp. 5. *aph.* 25. *Torpor enim modicus doloris solvendi vim habet.*

Sapo forma emplastri solus, vel cum minio, cerusa, oleo amygdalarum, camphura, & croco in progressu dolorum, eosdem mirè demulcet.

Quo tempore etiam balneum in aqua calcis vivæ, vel ejus decoctam in aqua florum sambuci vel decoctam radicum sambuci linteis applicitum magni auxilii est.

Si quis absque magnis plethoriæ. vel cacochymiæ vitiis, robustus, circa initia paroxismi podagrici vesperi eundo cubitum laudani opiati grana tria circitèr sumpserit; & frigidam actu poscam supra articulum dolentem sepiùs repetat per horam semis, & ultra. Manè ab omni dolore, ac tumore se liberatum sentiet. Dietaque optima triduò servata omninò convalescet.

Pro senioribus verò, simul cum laudano exhibeatur theriaca, ut sic massa sanguinis ad debitam consistentiam deducatur, neque invicem liquores abscedere affectent, & destillationem concitent. Ideoque viperarum, & viperatorum usum comendabilem reputamus toto anno.

Herba thèæ ab aliquibus valdè commendatur tanquam horum podagricorum acidorum frænum. Cum tamen salviæ domesticæ decoctio loco vini adhibita æquales, & majores vires habere possit.

Validissimi quique liquores acidi (ut spiritus salis, vitreoli, &c.) in principio fluxionis podagricæ adhibiti extrinsecus illicò fluxionem omnem compescunt.

Oleum causticum meum, plurimo butyro admixtum sicuti inflammationes omnes tollere, sic dolores podagricos intra paucas horas sanare potest. Prævalens enim acidum, inferiora coagulantia acida pessundare valet, (ut optimè notavit Helm.) fitque dissolvens.

Oleum ex scarabeis, asellis, & lumbricis in letamario contabescentibus, vel lento clybani tepore liquescentibus, plurima canphura admixta citissimè dolores lenire, sepè tollere potest.

Idem operari potest decoctum formicarum, lumbricorum, cum herbis cephalicis betonica, stecade, &c.

Balneum ex muria halicum, vel fotus in progressu morbi, secretum ali-

quo-

quorum fuit. A sale marino in aqua soluto petiis per noctem applicito multos restitutos vidi.

Pro delicatioribus, & valida pertimescentibus accipias micam panis in libra lactis coctam, addendo croci dracmas duas, & liquoris lumbricorum terræ supra dicto modo facti libram semis; atque emplastrum efforma, pro doloribus demulicendis admodum efficax.

Declinante affectu accipias vini spiritus rectificatissimi uncias octo, salis armoniaci dracmas tres, canphuræ dracmam semis, castorei, saccari Saturni ana scrupulos duos, & citò sanitati restitutum videbis.

In fine adhuc balneum ex formicarum decocto paratum, magnum discutiens, & roborans est. Prout sapo Venetus in spiritu Vini solutus, sale Saturni, & canphura multa admixtus.

At doloribus urgentibus (potissimum circa initia paroxismi) dentur ostreacea, terræ præparatæ, & ossea, quæ acidi vires imbibere, ac in se convertere possint, forma pulverum exhibita.

Quoniam verò tunc artriticus paroxismus, ut plurimum cum febre accedit, & cum præternaturali sanguinis, & liquorum effervescentia. Ideò ad spirituum ferociam infrænandam, humorum acrimoniam attemperandam, & eorum motum progressivum, cum intrinsecum fermentationis retardandum plurimum inservire poterunt opiata, & papaveracea universa, quæ non semel proposuimus, theriacam recentem vel laudanum nepentes, &c.

Et hæc non in usu tantum interno; sed in externo quoque usurpentur, & quæ anodinas propriè vires habent. Sic enim, & æstum febrilem, & acrimoniam acidam tum salsam, lixivialem correctam, & attemperatam videbis. Somnoque procurato vires vigorari, absedentes invicem liquores iterum ad amicabilem compositionem deduci, & stomachi prevaricans fermentum ad debitum naturale peragendum restitui.

Aquea pariter tunc temporis utilia sunt, acria enim salia diluunt, atque enervant.

Si verò de acida mucagine in primis viis reddundante indicia sint, his prætermissis vomitoria exhibeatur, sine quibus nil actum erit. Eruditatibus enim acidis in ventriculo, & primis viis præsentibus, sævissimi dolores in articulis fiunt, prout Otho Tachenius in suo Hippocrate chymico optimè observavit. Qui etiam externa narcotica opii succos à seminibus papaveris expressos, à hiosciamo, cicuta, floribus camomellicum vitellis ovi admodum probat. Tum tincturam croci cum spiritu vini præparatam, plurima canphura admixta, & opii modico. Tum decoctionem calcis, & salis armoniaci petiis applicitam.

Pro præservatione tandem, vere, & autumno repetitis vomitoriis purgandi erunt qui legitimam prophilaxin amant.

Pro affectibus melancolicis Maniacis, hypocondriacis auxilia.

CUm certum sit apud eruditos in arte, quod facultates omnes circulariter procedunt, altera alteri suppetias præbente. Hinc est quod à causis procatharticis affecto cerebro, ejusque spiritibus incolis, post coctionem liquoris albuginei nervorum nutritii improbam celebratam, facultas animalis veluti oblita muneris sui, spiri-

tus animales in minori copia ad universa munia peragenda de suo sinu demittit.

Ideoque naturalia viscera alimentorum concoctioni, & excrementorum expulsioni destinata, consuetis spiritibus defraudata, suorum fermentorum energia mutilantur, neque integrè ac perfectè munera sua exequi possunt.

Propterea torpente in his expultrice, excrementorum accretioni in dies major ansa prestatur. Et potissimum pituita acida, viscida, tenaci replentur, à qua tubulorum cavitates, & angustissimi poruli (spirituum semitæ) intercluduntur, à quibus veluti actiones vitæ imminui, ac concidere coguntur.

Cor, & spiritualia viscera compatiuntur, dum facultas animalis tristis, animales spiritibus ministros suos, desides, & quasi somnolentos ad cor ablegat, qui cor negligenter irradiantes, nec validè inflantes, lentè fermentationes vitales peragunt, ac torpidas cordis vibrationes obeunt. Inde prosilientes spiritus, qui in statu sano, ac naturali, vividi, subtiles, lucidi sunt in melancolicis tristes, opaci, torpentes facti, veluti lugubri amictu vestiti terrorem incutiunt, non secus ac audacioribus ipsis in tenebris volutantibus.

Et sicut exhilaratus, ac vivax spiritus ætatem quamcumque floridam facit. Sic spiritus tristis ossa exiccando (ut ait S. S.) & albarum spermaticarum nutrimenta depravando, floridam ipsam ætatem languescere facit, vitamque prospera morte ad occasum præcipitat.

Omnia itaque phenomena hujus affectus ritè, & rectè explicari possunt per animales spiritus qui naturalitèr in sano corpore lucidi, irradicantes universas corporis partes, veloces sunt. In melancolicis, à facultate animali desipiente, ac tristi non benè diriguntur, sed segnes torpidi mittuntur, in acidam naturam degenerantes, ignavitèr moti, obscurè irradiantes, nec citò permeantes, universarum ærumnarum in universis culinis legitimæ causæ fiunt.

Concepta itaque insignis aciditas in massa sanguinea, (sed potissimum in succo albugineo nutritio nervorum) & acrimonia non dissimilis sali armoniaci spiritui vim fermentandi, ac dissolvendi etiam solidissima corpora, cibosque conficiendi, appetentiamque excitandi habet.

Acer non solum in liene (consimilis succi præcipuo viscere depuratorio) sed sparsim in glandulis diversis ad quas depurandus ablegatur, varias comittit alterationes. Potissimum in cerebri glandulis, earumque porositatibus, in quibus animales spiritus depravare, torpidos reddere, fuliginosos ac turbulentos efficere, inde varia deliria concitare valet.

Facultas deinde animalis, stimulos enaratæ acrimoniæ persentiens, tristis ac meticulosa facta, spiritus suos vndique ignavitèr mittit. Isti ad universa viscera segnitèr influentes, suo necessario fermento volatili privantes, in liene, ventriculo, mesenterio pancreate, aliisque naturalibus visceribus improportionati, excrementorum præparationi ac expulsioni minus vacantes, aluum torpidam reddunt, ac universam animalis æconomiam in varias turbas confundunt.

Acidi itaque hujus superabundantia, quæ initiativè à causis procatharticis venit, non est mera morbi causa, sed circulari ratione superiùs descripta productum morbosum esse observamus, à quo

à quo viscerum fermenta alienantur, & debitæ excrementorum expulsiones non fiunt.

Atque à peculiari spirituum motu, de una re diù cogitantium, ac veluti sedentium, istæ liquorum omnium fermentationes, iniquæ fiunt, massa sanguinea alteratur, depravatur, deinde spiritus pejoris notæ producuntur, & fermenta.

Maniæ causæ.

SI autem animalis facultas à vehementioribus causis validiùs stimuletur, animales spiritus veluti ignitos de suo sinu demittit; qui furentes, ac violento motu cerebri tubulos, ac meatus percurrentes, ideas furoris, & audaciæ imprimunt. Cum magno impetu vndique ad albas spermaticas, nervosas partes irruentes, atque impensiùs irradiantes, sunt in causa robustissimarum virium in maniacis & quod impensa nivium & pruinarum frigora super humanas vires tollerare observentur.

Acida verò volatilia irritantia sunt, quæ animalem facultatem ferocem esse cogunt. Hujus farinæ plura venena numerantur, cerebrum fellis præ amore furentis, morsus canis rabidi ejusque spuma, aliaque multa, quæ consultò omittenda, ne improbis nequitiarum materiam ministremus.

Bilis, ipsa ad hos venenorum gradus exaltata, maniaci furoris causa esse consuevit. Iratos etenim impensiùs homines videmus, belvarum venenatarum ad instar, veneni quid suis morsibus imprimere.

Tranquillitas etenim animi, in blando sanguinis fermentativo motu consistit. Quandocumque verò tum localitèr impetuosiùs motus, tum intrinseco fermentativo motu agitatus, à fermento aliquo silvestri præternaturalitèr commovetur, etiam animales spiritus majori impetu in cerebro agitari coguntur. (Ideò in prudentibus, & sapientibus natura provida cerebrum frigidissimum viscus destinavit, ut in eo veluti sedens, & quieta judicia rerum facere posset) animæ recto imperio non auscultantes.

Sanguis itaque crassus, & fermentabilis, à causis occasionibus calidis (potissimum ab ira) commotus in hos affectus præcipitare consuevit.

De affectionibus melancolicis hypocondriacis.

INter universos affectus, qui facultates circulari quadam ratione sibi invicem ministrare testantur, hypocondriacæ affectiones sunt. In quibus vndique læsiones in facultatibus, errores in coctionum culinis, medicos hæsitare faciunt de loco de causis legionum, (sed quod peius est) de remediis pro extirpando sævissimo hoc nobilium virorum labentis sæculi indefesso tortore.

Nos itaque more nostro brevitèr in medium adducentes causas, nostræ conjectura dicimus. Quod succus albugineus nutricius nervorum, à spermaticarum partium nutritione residuus naturalitèr ad acescendum inclinatus, per moram & actionem caloris (ut fermè omnes liquores, & panis fermentescens &c.) acidior factus, à liene ad moderamen deducitur atque ab acido-salinis particulis, sanguinis optimæ crasi improportionatis depuratur, per suorum minimorum vasculorum filtra, & porositates.

Filtratus deinde, redux cum sanguine circulatur, tum veteris fermenti ad instar,

instar, & modicè acescentis ad universa viscera, & glandulas despensatur, ad fermentationes, coctiones, & excrementorum secretiones celebrandas.

Sed potissimum mirificè stomacho inservit, ad tunicam mediam (nervosam ac glandulis repertam) ejus delatus, atque ad stomachi cavitatem transudans, ut alimenta ad fermentationem provocata, in minimas chyli particulas comminuantur, & spiritu quodam vivifico (quo adhù vetus fermentum constat) imbuantur. Ut hac veste nuptiali indutus succus alimentalis, in secreta, & intima penetralia admittatur, sensim, & veluti per gradus ad purpuram inducendam in corde adque regiam spirituum coronam in cerebro suscipiendo destinetur. Succus igitur nutritius nerveus à spermaticarum partium alimento residuus, in liene depuratus, causa est ut felices, vel infelices in ventriculo, & primis viis concoctiones fiant, & chylus spirituosus, & tenuis reddatur vel improbus prout naturalitèr affectus est, vel morbosè.

Affecto itaque liene, vel obstructionibus, aut aliijs causis malè se habente. Vel succo nutritio nervorum præternaturaliteer affecto, necesse est, viscerum fermenta (& potissimum ventriculi) præternaturaliter se haberi atque primas concoctiones vitiari.

Neque enim chylus debitè attenuari, neque spiritualescere poterit, sed Improportionatus acido hostili armatus, naturæ odiosus, vbicumque tranfierit tumultus concitat, & labores parit. Hujusque aciduli liquoris ad optimam sanguificationem, & ad alia naturæ munera inepti, clara indicia videmus ab urinis quæ in consimilibus affectibus frequentèr excernuntur.

Non mirum itaque si juxta antiquatum proverbium splen ridere facit. Cogit amare jecur. Liquor enim qui à liene veniens mescenterio, hepati, ventriculo dispensatur, efficit ut sanguis purior, spiritusque illustriores emergant, ac mobiliores qui causæ postmodum optimorum fermentorum, atque felicium excrementorum omnium expulsionum sunt.

At si acido sylvestri imbuatur, omnibus facultatibus spiritibusque animalibus infensus fit. Cum etenim constent isti sale volatili; accessu hujus acidi figuntur, ac indebitè commoventur. Ideoque in tubulis nerveis, & fibrilis spiritus continentibus sua præsentia spasmodicas contractiones, atque corrugationes concitat.

Talis itaque acor quandoque in ventriculo coctionibus vitiatis progignitur. Quandoque à succo pancreatico præter naturam constituto venire potest. Sed ut plurimum à sero nutritio nervorum (ad acescendum naturalitèr inclinato) & non benè in liene (præcipuo glandularum omnium depuratorio) elaborato atque à salibus suis depurgato oritur, ut superiùs invimus.

Inde ventriculi fermento vitiato, atque exoticis, ac irritantibus succis exurgentibus, fiunt undique ab irritatis partibus sentientibus contractiones dolores ac fibrillarum nervearum crispationes.

Sale] namque acetoso prævalente ingesta alimenta acessere coguntur, Particulæ acido-salinæ reliquis suppressis exaltantur, atque in fluorem evehuntur, magnusque fit flactuum proventus, & irritationes undique persentiuntur.

Quandoque mescenterii glandulæ; atque potissimum pancreatis præcipuæ horum

horum affectuum causæ, & fomites sunt; dum inertia hospitia succi nutritii nervosi præternaturaliter acescceritis, eumque depurgare, depositaque excrementa eliminare negligunt; Nam impurum vetus fermentum serl forma cum chylo ad vitalem cordis fermentationem transiens, inde ad cerebri culinam, semper suæ præternaturalis aciditatis vestigia relinquit; spiritusque hinc indè lacessit, qui furibundi in varias ἀταξίας erumpunt.

Acidorum verò cum variis alcalicis innumera combinatio est, ideò innumera ex eis venire possunt symptomata.

Sic in praxi alia phenomena producit acidum aceti, alia acidum citri, vel spiritus vitreoli. Hæc postmodum aliis diversæ naturæ alcalicis, vel acidis supervenientibus, denuò alterantur, à consortio absedunt, & in tertiam transeunt substantiam.

Sic acida prædicta præternaturalia, facto impetu in has, vel illas partes contractiones in fibrillis nerveis, & dolores excitant, atque organorum functiones pervertunt, & deturbant, & sic sanguinis, & succorum omnium defæcationes, excrementorumque excretiones impediunt aut indebitè retardant.

Præcipua etenim hypocondriaca symptomata spasmodica esse observantur, Quamobrem si nos ad nervosum genus ueluti spectantia ad hunc locum contullerimus, non irrationabilitèr fecisse putabis.

Quæ enim symptomata in visceribus naturalibus animadvertuntur eadem à succo nervoso albugineo præternaturalitèr se habente, nerveasque fibrillas lacessente putabis.

Ortusque consuetus talium affectuum hic esse solet. Post animi pathemata ingentia, & studia sollicita &c. naturalis facultas in officinis suis aliquos errores committere cogitur, consueto vitalium ac animalium copioso influxu depauperata. A Corruptionibus igitur acidis in primis uiis hærentibus, fibrillę nervcę sollicitantur ac vellicantur. In harum subsidium animales spiritus cum aliquo tumultu accurrunt. Magisque lacessiti, ac furentes viscera concutientes, concutientes, eorum fermenta depravant: Hęc depravata, fęculentiarum acidarum cumulos augent. Suntque optimè contemplanti producta potius morbosa, quam merę affectuum causę. Spirituum verò innordinationes absque acidorum irritatione non fiunt. Hęc verò irritatio circa abdominis nervosas partes contingere solet.

Credere verò cum Paracelso, aliisque chimicis tartarum excrementitium in liene, & locis conterminis hospitantem esse obstructionum, aliorumque symptomatum causam, est accipere productum morbosum, pro morbi ipsius causa.

Perperamque agunt illi qui assiduis remediis supra, & infra purgantibus pugnantes, hos affectus radicitus extirpare se posse contendunt, de copiosis purgationibus gaudentes, Ea enim quę dejectionibus vident, & ut causas primitivas accusant, producta sunt tantum morbosa; quę spirituum ἀταξία atque fibrillarum nervearum in naturalibus visceribus contractione durante, veluti ab inhesausta minera prodire observabuntur.



Pro

Pro Melancolia Dieterica auxilia.

TAnti momenti est servata optima in vivendi ratione regula in affectibus melancolicis, ut unico hoc auxilio confidentes plurimi sanentur, innumeri aliis remediis inhęrentes, nunquam ad sanitatis portum deduci possint.

Universales igitur canones dieteticos pro universis ferè affectibus melancolicis inservientes hoc loco pręmittere non inutile erit.

Cœli, & soli mutatio quantam conferre possit nemo est qui ignoret. Et potissimum per navigationes, quę coacta, dieta, & vomitu quandoque excito multum in deliciis viventibus opem ferre consuevere.

Assiduę locorum mutationes, męstissimos quosque exhilarant, & animi universas tyranicas passiones enervant, ac in progressu eradicant.

Omnes ambientis aeris exuperantię, tum repentinę mutationes vitentur. Sed aer purus serenus ad temperiem acedens procuretur. A lucido enim, & temperato aere animales spiritus lucidi, ac vividi redduntur, & homines sub hac cœli clementia hilariores esse conspiciuntur. E contra sub aere crasso, nebuloso, pluvioso tristes fiunt, & lassitudine quadam spontanea detinentur.

Materia etenim subsilis, ac ętherea, aere existente lucido, puro, in majori copia influit, aqua spiritus ressocilantur, foventur, & vivaciores fiunt. Atque videmus in praxi quod incolę locorum perspiratorum, rarò melancolici fiunt, ut incolę convallium, qui etiam magis somnolenti, minusque vivaces observantur,

Quantum fieri potest immaginationes melancolicas de se abjiciant, atque à mœroris compedibus liberum animum esse procurent.

Longa studia procul absint. Intentæ cogitationes exulent. De animi alacritate solliciti, nugas etiam cum aliqua garulitate quærentes invitam linguam, & taciturnam sollicitent. Genialesque consanguineorum, & amicorum conversationes omni studio procurandæ. Sollicitudines, tum solitudines omni arte fugiendæ. Amicorum, & muliercularum, notaque garulitate juvenum consortia quandoque intermissenda. Aliaque multa alibi à me in parte secunda descripta adversus melancoliam pugnantia usurpanda sunt. Nam amicorum, & amicarum consortiis gaudere, bonum quidem est; sed citra compotationes, & commensationes. Vel saltem ad Virtutis normam, sobrietatis, & temperantiæ limites non excedant, ut olim Catonis fuere.

Erecto denique in spem animo vivere expedit. Atque credere mœroris, ac timoris sic habenas in manu sua esse. Propriæque salutis diffidentiam, atque desperationem, non veritatis, sed melancoliæ atque falsæ immaginationis, veram sobolem esse.

Assiduis itaque negotiis gerendis animus occupetur (levibus tamen, genialibus, & lucrosis, vel saltem indifferentibus) & nunquam otio vacent, neque fixis cogitationibus indulgeant, sed ab una in aliam velocitèr transire animus impellatur.

Matutinis horis exercitia proderunt: Vespertinis vero vectiones equo, rheda, vel lenes deambulationes. Suadente Hippocrate 4. *in 6. epid. Quòd labores cibos pracedant*, vel saltem post peractam primam, & secundam coctionem incoactam.

Quie-

Quietem verò nimiam, & cibos copiosiores præcipuas causas esse harum melancolicarum affectionum nunc temporis iurè meritò reputamus.

Sic & mulieres nostrates ob vitam sedentariam & delicata obsonia à melancolicis affectibus, & succorum incrassationibus sævissimè ac sæpissimè torquentur. Sic docti, & illi qui sedentes perlegendis libris vel scriptis occupantur, huic affectui obnoxii sunt potiùs quam rustici, qui laboribus assiduis defatigato corpore, animum cantillenis suis demulcire non cessant.

Qui libris enim diù incumbunt (potissimum repleto ventriculo) dum inclinati, & proni multis horis manent, viscera naturalia hoc modo comprimuntur, ut chylus aliique succi liberè permeare nequeant, sed stagnantes præternaturalem aciditatem induant. Præterea spiritibus liber transitus per viscera non conceditur, neque excrementorum expulsioni invigilatur.

Ad amena itaque loca invisenda, cum exercitio se transferant.

Somnus longior vitetur, utpotè nimiam spiritibus inertiam concilians, & capita gravans. Verum quia siccitate ut plurimum prævalente melancolici, & cogitabundi, à molestis vigiliis torquentur, ideò usu placidorum soporiferorum quies animi, & corporis procuretur.

Inter quæ panis martius à nobis commendatur paratus ex libra una amygdalarum dulcium, & unc. j. seminum papaveri albi, cum unc. iij. saccari. De quo summere possunt unc. ij, vel unc. iij. in postrema cena. Vel coclearia duo syrupi ex floribus papaveris albi, aut horum decoctionem cum modico saccaro, more caffeano.

Siccioribus etiam condictionibus præsentibus somnus diurnus (assuetis potissimum) tum diuturnus concedi poterit nam concoquit, humectat; factaque spiritus, & caloris concentratione, frigidorum crassorum liquorum concoctiones feliciùs celebrantur.

De alvo lubrica servanda admodum solliciti esse debent, quia ob spirituum sentientium torporem muneris sui oblita frequentèr supprimitur.

Aluum verò lubricam reddentia, sint simul humectantia. Inter quæ cassia Italis populis familiaris est à sua fistula recens extracta. Vel instituto meo jucundissimo pro his utor cassia confecta, quæ silicet paratur ex unc. j. cassiæ liquiritiæ drac. iij. & ij. saccari dissoluti, & cocti ad consistentiam manus Christi, factisque rotulis secundum artem.

Purgantia etenim vehementiora, & exiccantia, veluti pestis fugienda sunt, & potissimum aloetica in exiccatis, & juvenibus, & in quibus de fibrillarum sensitivarum crispationibus circa viscera naturalia indicia aliqua manifestantur.

Sed in his emollientia alibi recensita, tum juscula malvis, borragine alterata, ante prandium propinentur. Atque clysteres ex lacte, & emollientibus usurpentur.

Imò victus omnis emolliendi ac humectandi vires habere debet. Lactaria fercula alibi in prima apendice descripta optima erunt, & ex ovis, lacte, saccaro, butyro & amygdalis millena parata obsonia.

Ova sorbillia recentia, cum saccaro nunquam satis laudata Lac caprillum cum panis medulla ebullitum Cremor hordei, vel orisæ, vel farri cum lacte dissolutus, sunt accomodata alimenta.

Melancolici omnes, sed hypocondriaci potissimum à calefacientibus valdè abstineant, & ab exiccantibus. Ut sunt ea quæ valdè aromatica sunt, salita, acria. Tum ab acidis (sinceris potissimum) aceto, onfacio, succo limonum &c. acidi enim Hippocrate doctore melancolicos succos ebullire, ac fermentare valent.

Abstineant à bulbosis radicibus, cæpis, allio ac fermè ab aliis radicibus æsculentis raphano rapis, napo, selino, & consimilibus calidis, & succorum in primis uiis repertorum fermentativis.

Tum à carnibus annosis, fumo, vel sale induratis. A carne bubula, suilla, caseo antiquato, cibis ex pasta in copia æsitatis potissimum (nam frumentacea in pauca quantitate suo leni succo prodesse possunt) leguminibus, piscibus dura testa contectis, vel stagnorum. A valdè dulcibus mellitis saccaratis à quibus ingenti facta commotione atque effervescentia, viscera inflammantur, & vasorum ductus obstruuntur.

Aromata omnia exulent, excepto paruulo cinamomo, & pipere ruditèr contuso in ferculis.

Fructus omnes horarii vitentur, fragis exceptis amarenis, & ficu. In quibusdam vero fervidis stomachis peponum usus moderatus accomodare observavi, tum anguriarum, & cucurbitarum.

Magna itaque cautione exhibeantur fructus, qui enim aliàs humectatione prodesse possent, in stomacchis omnia ferè corrumpentibus nocere solent.

Pepones tamen ante nos, Galenus squallido ventriculo præditis concessit *lib.2. de alim. fac.* x I. tum fructus horarios, modò cito subducantur. Carnes animalium pallustrium, cujuscumque generis vitentur. Tum extrema animalium, & pinguedines universæ, oleosa, & quæ inflammabilia sunt.

Uno verbo abstineant ab alimentis crassi succi, & copiosi excrementi, ad flatus inclinati.

Licet aluum solvere possint, attamen ob vim fermentativam vituperantur olera plurima, & potissimum brassica, beta, apium selinum tubera terræ, fungi, & alia plurimi excrementi, & pauci lenis, ac boni succi in se continentia.

Caveant prostremo à violentis exercitiis, & à quibus flos sanguinis, & spirituum vigor ressolui potest. Ideò in Veneris castris militare non delet, qui animi & corporis sui libertatem à mœroris servitute securam esse procurat.

Vivendi itaque ratio in activis temperata esse debet, in passivis vero ad humidiorem inclinet.

Loca amena amicis stipatus qui mœroribus conflictatur frequentare debet.

Si verò vigiliis sollicitetur, vesperi eundo cubitum pediluviis utatur ex decocto lactucæ, & capitum papaveris paratis, præmissa à cœna emulsione seminum papaveris albi.

Pigramque aluum sollicitet prunis, butyro cum saccaro, passulis, & similibus in prima mensa præmansis.

Vino potiùs utatur albo tenui aqua calibeata temperato. Cœnaque parca his sit.

Si de capitis imbecillitate quærelæ adsint, capitis lotiones decocto cephalicorum factæ non inutilitèr frequentari poterunt, occasione hodierni voluntarii Calvitii.

Cibis utantur euchymis, facilis co-

ctionis,

ctionis, optimi, & dulcis nutrimenti, quibus succorum melancolicorum aciditati, & acutiei opponi possint, suaque blanda mixtura eosdem attemperare valeant.

In prima mensa (illi potissimum qui aluum induratam habent) jure malva, vel borragine alterato utantur.

Horum prandium à cœna distet novem, & amplius horis stomachi namque concoctix in his torpida languet, ac tardè digerit. Ac monitu Avicennę nil deteriùs quam commestio supra comestionem.

Si aliqua roboratione ventriculus indigere videatur, statim à cibo aliquod roborans exhibeatur, miva cidoniorum cum pulvere corallorum, conserva absinthii, cortices aurantiorum conditæ. Vel præstat exhibere grana tria, vel quatuor integra masticis deglutienda. MasticHes enim nobile ventriculi balsamum est, quod laxum stomachum firmat, amica permanenti, & non immodica siccitate.

Hypocondriacis flatibus conflictati jejuni comedant decem, vel duodecim amygdalas amaras. Vel si plurima pituita viscida scateant, jejuno ventre aximelite utantur, monitu Galeni de conf. val. Capparibus etiam cum melle, & passulis in cœna utantur.

Extenuatis verò, & valida humectatione indigentibus, loco horum serum lactis solo cremore tartari coagulatum nec depuratum prius per plures dies exhibeatur (ut eo sensim ventriculus assuescat) ad lac ipsum asini vel caprillum progrediendo, eoque in majori semper quantitate, ad libras tres, & ultra.

Serum itaque per viginti circitèr dies propinetur, quod si permeare facilè observetur vasa jam adaperta, & per aluum molem, & urinas copiosas dejiciatur, tunc in magnaquantitate exhiberi poterit, ut aquarum mineralium ad instar, sui copiosa illuvione, ac celeri præterlapsu inquinatas coquinas eluat, & cum salinis scoriis foras demandetur.

Magna tamen cautio habenda est ad ventriculi robur. Ideoque toto eo tempore ventriculus externo fotu balsami Pervani, gummi tacamacha, facculis simplicibus stomachicis repletis foveatur.

Vespere verò eundo cubitum opiata roborans, ex cordialibus pulveribus & confectionibus exhibeatur.

In progressu etiam cum sero permisceri poterit succus pomorum redolentium, vel borraginis. Quandoque diureticam fieri poterit cum succo limonum, vel dejectorium premissa cassia vel mana. In emaciatis post adapertas aliquantisper obstructiones hac arte, ad usum lactis asinini transeundum erit.

Vinis utantur melancolici neque dulcibus, neque acidis, neque generosis, neque ex locis lapidosis, vel tophaceis venientibus. Sed tenuibus, & oligophoris, in quibus si coma absynthii macerata sit, admodum utile erit. Sic vinum album tenue in quo aurum ignitum sepiùs extinguatur.

Ab oleum usu se contineant, & potissimum à brasica, & ab acribus vegetabilibus.

Vrgentibus tamen flatibus, absque ingenti tamen bilis, & cruditatum præsentia, aliquot colclearia vini aromatici hispanici, vel alterius absinthyo, corticibus aurantiorum, anisis medicati, plurimum prodesse vidi in accessione, pro lapso ventriculo re-

focillando, & flatibus discutiendis.

Si autem dolores etiam urgeant, & vomitus, tunc cauta opiatorum administratio vesperi procurata, ab his calamitatibus liberare poterit.

Pro melancolicis Maniacis, hypocondriacis affectibus Auxilia.

Cautè purgantibus agendum est, nam affectus melancolicos nisi eradicent, irritant, stomachoque malè affecto vim inferunt, & in deteriùs inclinant.

In mania potissimum quæ sanguinem, & spiritus animales valdè exagitare atque in furorem agere possunt præcaveantur. Vinum, & vini spiritus his perniciosus este.

Furentes maniaci, si robusti, ac juvenes sint, ingens solamen in opiatis invenient, sic enim sanguis ad moderatam fermentationem deducetur, furentes spiritus compesci poterunt, soporiferis blandis vesperi ante somnum propinatis. Spiritus etenim ad quietem compositi, in ordinem denuò redigi poterunt.

Pro arcano ad maniam tollendam, vel demulciendam pullorum hyrundinum succus expressus, vel eorum decoctio ad contabescentiam in aqua anagalidis pluribus diebus manè propinata summis laudibus commendatur.

Pulli etiam hyrundinum per medium discisi syncipiti appliciti, certo experimento prosunt hoc enim innocenti sacrificio, archei furor placatur.

Pro quo narcotica, & anodyna à neotericis extolluntur. Sensim verò erit ascendendum ad majorem dosim initium faciendo à canphura loco opii, quoniam ob sui subtilitatem nusquam hæret, ideòque multò securior est.

Oleum paritèr papaverinorum seminum expressum, equè in usu externo, ac interno validum auxilium est.

Interim loco vini, vino cerasorum nigrorum utantur. Frequentent lacticiniorum epulas potissimum emaciati, & usum lactis asinini, vel caprilli, modo animal hordeo virescenti vere, vel sicco aliis temporibus utatur.

Humectandi namq; intentiones cæteris prevalere debet. Nihilq; magis melancolicos affectus auget, quam siccitas, potissimum per longas vigilias contracta. Quæ corpus exiccare, sanguinem, & ejus spiritus ressolvere, vires imminuere possunt. E contra somnus soporiferis procuratus, corpus humectare, sanguinem & spiritum ad moderatum motum componere, & universas facultates instaurare poterit.

In macie etiam conspicuã, magna auxilia erunt juscula instaurantia ex cancris, testudinibus, ad carnium contabescentiam decoctis, & in gelatinam concinatis. Tum emulsiones ex 4. feminibus frigidis majoribus, ex quibus etiam varia fercula, panatelæ, pultes &c. parari poterunt.

Per serum lactis, cum cremore tartari copioso depuratum ad multos dies adhibitum, tandem ferina humoris melancolici malitia humectari, leniri, & per aluum ad exitum deduci poterit.

Si palpitationes cordisque saltus, & angustiæ vexent, ad aquas cordiales Saxoniæ, totius citri, & ad alia spirituosa aromatica in pauca tamen dosi atque attemperata ascendere licebit.

Si pituita plurima de humido, ac intemperato capite destillet, equè in

usu

usu interno, ac externo prodeunt succinum, & mastich, & potissimum eorum olea, suffitusque eundo cubitum.

Theriaca paritèr crebrò & diù usurpata longorum mœrorum vincula difringere poterit, nocturno paritèr tempore adhibita, ne calorem, vel siccitatem præjudicialem inducat. Isthæc etenim & capiti, & ventriculo, imò visceribus omnibus, & sanguini magnum auxilium adducere possunt atque aptam fermentationem.

Refrigerio autem, & humectatione indigentibus conservæ florum cicorei, melissæ, borraginis accomodari poterunt, sed magis horum succi valent, & apozemata. Tum emulsiones ex seminibus frigidis cum oculis cancri, terra Virgine mutinensi, (quæ experimentis Excellentissimi D. Ludovici Testæ eximinum liquorum acidorum omnium dulcificans est, pro hypocondriacis affectibus sine pari) crustaceis, & osseis auxiliis, quæ acidorum imbibentium nomine veniunt.

Antimonii medicamenta essentias tincturas qui tractare noverit, paucis aliis auxiliis indigebit pro effræni melancolico humore edomando, verè enim ipsum dissolvere, & fluxilem reddere valet, ut vias omnes excretionum subire possit.

Bezaar præstantissimum auxilium esse, pro domando humore melancolico, *Zacutus Lusitanus hist. 36. libri primi testatus est*; felicitèr enim acida imbibit, & salino-acidorum excrementorum expulsionem mollitur.

Pro hypocondriacis affectibus præcipuus respectus habendus est ad chylosim, in primis uiis rectè perficiendam, atque fermenta depravata corrigenda ad naturalem crasim deducenda, obstructionesque meatuum reserandæ.

Ad ventriculi itaque fermentum restituendum celebratur omnibus modis adhibitum absythium. Adeò ut Zechias qui prolixè admodum de his melancolicis affectibus tractat, duo à se experta auxilia summis laudibus decorat, silicet absinthium, & calibem, ex quibus variæ conservæ, electuaria vina medicata, salia, & potissimum martis vitrioli, aliaque innumera pro re nata concinari poterunt.

Si calidior adsit sanguinis discrasia sulphureo-salina, medicamenta temperata, minusquè sanguinis massam exagitantia, ut melissa, santala omnia, polypodium, succus granatorum temperatorum, vel aurantiorum & juscula borragine, malva alterata.

Cruditates, ac viscidæ pastæ in primis uiis, ventriculo, mesenterio, intestinis hærentes, ductus inviscantes, atque acidis coagulis meatus obstruentes, per decocta lignorum fundendæ ac attenuandæ ut ad exitum disponantur. Non intermisso etiam usu cremoris tartari & salium fixorum, tum & quandoque volatilium in pauca dosi.

Vinum medicatum sena, rhabarbaro, polypodio, & lignis sudoriferis, in illis potissimum qui de aliqua Cæltica labe occulta suspecti sunt summoperè commendatur.

Fervidioribus condictionibus vigentibus, fumaria, borrago soncus, endivia cicoreum, polypodium, flores sambuci, cum passulis prunis, aurantiis commendabiles erunt.

In frigidioribus vero circumstantiis, quæ sale acri volatili abundè prædita sunt exhibeantur, absinthium, baccæ juni-

juniperi fœniculus; petroſelinum &c.

Sed ſuper cætera acidum melancolicum contemperare obſervantur ſalia volatilia, ex. gr. viperarum, cornu cervi, & conſimilium.

Amara paritèr omnia valdè comendabilia ſunt, amygdalæ amaræ, rhabarbarum manè cum paſſulis eſitatum. Crocus cum foliis abſinthii in vini ſpiritu tartariſato, manè pluribus diebus propinatus.

Fixiora alcalia, ad acidum tenue ſalinum imbibendum in conditionibus fervidioribus præbeantur, oculi cancri, cornu cervinum, margaritæ, & cruſtacea, quæ potiſſimum cum emulſionibus præſtant.

Raymundus Ianfortis fœlicis memoriæ præceptor meus qui in curandis affectionibus hypocondriacis certè accuratiſſimus fuit, inſinuare ſolebat, nil magis in tota ſua praxi infenſum obſervaſſe; quam calidiora, & exiccantia, quæ titulo reſſolvendi flatus iſtis exhibentur, nam repertas in obſtructionibus materia reſſolvendo, ac comburendo magis indurant.

Dulcia his paritèr admodum infenſa eſſe; nam æſtuoſa, fermenteſcentia, bileſcere dicuntur, & viſcera inflammare, phœgoſi cuidam piloſi, & arteriæ in hypocondrio pulſanti, magna incrementa præbere.

Serum iſtis ad libras 4. vel 5. quatuor vicibus, & amplius quarto quoque die exhibet, in quo mana diſſolvatur pro vehiculo dejectorio, vèl copioſo cremore tartari depuretur.

Deinde lac aſini per 40. dies; Tum balneum aquæ dulcis (ſi ab anni tempore admittatur). Ad ventriculi verò roborationem grana tria maſtiches à cibo integra deglutiantur, vel drac.j. ſucci abſynthii denſati, & ſaccaro cooperti.

Quandoque etiam ad moleſtos flatus diſcutiendos à cibo ſummere concedantur aniſi ſaccaro cooperti, vel cinamomi fruſtula in modica portione.

Si de veneficiis, vel de maleficiis aliqua indicia habeantur, corallia ſint in quotidiano uſu, & qualibet ratione præparata uſualia. Tum margaritæ, os de corde cervi, oculi cancri. Conſerva ex floribus & ſeminibus hypericonis. Vinum infuſionis hypericonis. Theriaca hora ſomni frequentèr adhibita.

Sed balneum frequens primum occupat locum potiſſimum factum ex cineribus filicis combuſti, cum quiſquilliis fœni, ſeu herbarum omnium ſeminibus ſub beſtiarum præſepe repertis. Quo auxilio multos alleviatos vidi, ductus ab experimentis Floriani Canalis.

Efficaciſſimæ ſunt etiam aquæ minerales, ſeu acidulæ vitriolatæ; nam viſcerum intemperiem corrigunt, fermenta labefactata reſtaurant, fibrillas laxas firmant. Anguſtiſſimas vias citiſſimè, ac rapidè præterlabendo contumaciſſimas obſtructiones potentèr tollunt.

Attamen pro illis qui peregrinationum incommoda perferre nequeunt, vel negant, ſerum (uti ſuperiùs innuimus) exhiberi poterit.

Tartarea auxilia magnam vim habent longo ſui uſu edomandi humores melancolicos, atros, tartareos. Imbibunt etenim in ſe acetoſitates. Ut videre eſt in aceto, & acidis ſpiritibus ſingulis, à quibus aciditatem tollere obſervatur.

Uſus lactis & lactariorum (qui ſecus commendabilis eſt) à catarrhi præſentia prohiberi ſolet. Tum à corruptionibus ſive acidis, ſive nidoroſis

ven-

ventriculi, aut à ſummo æſtu circa hypocondria, & circa pylorum contractionibus factis. Nam quando phlogoſis nulla in pyloro eſt, aut de lactis corruptione nulla indicia, tunc exhibeatur diù.

Balneum vero (quod præcipuum Galeni auxilium eſt cum lacte) ſemper inutile judicetur, niſi prius obſtructiones tollantur.

In gracili ſi lac aſini non tolleretur, lac artificiale in iure malvæ paretur ex 4. ſeminibus frigidis, amygdalis &c. Vel ſi lac primis diebus corrumpatur, differatur ejus uſus, & ejus loco exhibeatur ſerum deparatum cum cremore tartari ad lib. iij. vel iiij. per quinque vel ſex dies continuos. Deinde remiſſo hypocondriorum æſtu, lac rurſus ut ſuperius præſcripſimus admittatur.

Quia quandoque ad flatus diſcutientia aſcendere cogimur, eadem temperata ſint quantum fieri poſſit, ne æſtum, fermentationes, in fibrillis ſentientibus modicationes ac contractiones excitentur, ſed liquores aſperos ſalinos irritantes attemperent, & nerveas fibrillas demulceant. Sufficiant ergo coclearia aquæ totius citri, cum portione aquæ cinamomi, & granis tribus camphuræ. Vel cum elixire Vitæ Mattheoli, guttulæ aliquot tincturæ laudani nepentes in aqua florum citri.

Doloribus etiam urgentibus, certum juvamem expertus ſum, in decocto florum camomelli, cum parvo cinamomo, & pulvere liquiritiæ more caffeanæ potionis, pluribus vicibus in die adhibito.

Ad cordialia non ſemel accedere cogimur, ſed nunquam à temperatis recedas, cum aqua citri, cinamomi, florum aurantiorum additis guttulis eſſentiæ citri, olei cinamomi elixiris vitæ, vel tincturæ noſtræ cordialis. Quæ coclcatim etiam per intervalla propinari poterunt. Non omiſſis etiam externis, &c.

Qui vincula rectè rationis ſubire non recuſat, dieteticis his monitis melancolicus obedire non detrectabit, & alleviabitur. Secus cum maniacis vincula ſubire dignus. Qui autem inflatis præcordiis, Eoli utriculum pro ventriculo hypocondriacus geſtat, cingulo quam primum inguina præmuniat, herniam etenim in foribus eſſe ſciat.

Hemorrhagiæ cauſæ, & auxilia.

POſt ingentes hemorrhagias experientia edocuit, quod ſanguificatio ſenſim læditur tandemque manifeſtatur læſio atque ad cachexiam, & hydropem ducit. Dum ſilicet ſanguinis reſiduum adeò paruum eſt, ut facultatibus omnibus materiam, & ſpiritus aptos ſupedire non poſſit, ſed naturalibus viſceribus influus à corde calor & ſpiritus dum defficit ſeu imminuitur, imminutè etiam chylus perficitur, inde vitali hoc primo charactere orbatus loco probi, ac ſpirituoſi ſanguinis, vaſa ſanguiflua crudo, aquoſoque liquore replentur.

Multorum ſæculorum experientia edocet quod melancolici, tum ſplenetici largis ſanguinis à naribus hemorrhagiis ſubjiciuntur. Et medicorum Princeps Hippocr. *lib. 6. epid. ſect. 3.* *teſtatum reliquit quod: Sanguinis e naribus eruptio fit, vel ſubpallidè nigricantibus, vel rubicundè patentibus, vel ſubalbidis.*

Quorum omnium rationem eſſe putamus, quia primi, ſanguine melancoli-

colico multa serositate diluto abbundant. Secundi quia biliosо sanguine abbundantes, dum hic levis & tenuis est, superiores partes facilè petit. Ultimi subalbidi, quia copiosa limphatum crudo, & æffeto sero salino acri scatent.

Propagines itaque ac rami arteriæ carotidis interni aperiuntur in orificiis suis, vel eroduntur, aut dilacerantur, ab apellentibus liquoribus motu, vel qualitate peccantibus. Quoniam viscera præparando, conficiendo, vel depurando sanguini destinata impediuntur, ne ritè, & rectè munus suum obire possint. Sed sero salsiori associatus, vel stagnationibus, aut motus torpore acris factus, inutile naturæ pondus, & irritans stimulus deijcitur.

Arteriæ itaque potissimum magis in culpa sunt quam venę, dum à cerebri cortice per sinum tertium crassę meningis, & processum falcatum ad os cribrosum exurgentes, in hemorrhagiis aperiuntur.

Universalitèr sanguis in sua genesi impurior, salsior, crudior, crassior, in cohobiis debitis qui non deposuit scorias pro naturali ratione, ob viscera lęsa, vel fermenta labefactata, legitima causa esse solet narium nimiæ hemorrhagiæ.

Sic chylus acrior sale, & sulphure prægnans, characterem sui sanguini ac sero imprimens. Vel sanguis torpida fermentatione tardigradus acrimoniam acquirens.

Vel altæ ac inveteratæ viscerum obstructiones stagnationum, ac prohibitæ eventillationis in liquoribus causæ acredinis, & prę̨ternaturalis acoris, erosionum parentes fiunt.

Auxilia.

Universalitèr victus præsente hemorrhagia refrigerans esse debet non sine aliqua stypticitate. Valent itaque brodia alterata acetosa, portulaca, plantagine cibis præmissa. Hoc tamen in juvenibus, & in fervidioribus condictionibus agendum erit.

Nam in aliis magna cautio habenda est non solum ut sanguinis fervor attemperetur, sed quod quantitate non augeatur. Neque in eo serositates multiplicentur. Ideoque non solum victus refrigerans, sed pauci etiam nutrimenti esse debet, & universalitèr dieta exiccans tutior est.

A vino itaque penitùs abstineant à quo serositates multiplicantur, & torpentes mobiliores fiunt.

Cibi incrassantes alibi à nobis recensiti &c. non inutiles erunt. Illi potissimum qui pauci sunt nutrimenti, ut pisces optimæ notæ, olera refrigerantia styptica, ut acetosa, portulaca &c. fructus acerbi; extremitates animalium.

Et hæc potissimum in biliosis felicitèr succedunt. Quibus etiam conserva rosarum cum pulvere corallorum spiritu uitrioli irrorata in fine mensæ non invalidum auxilium erit, vel aliud adstringens &c. Ex amylo, & tragacantho fercula parata his accomodari poterunt. Pulmenta ex hordeo, oriza. Gelatinæ ex animalium extremitatibus, ex piscibus optimæ notæ in catalogo incrassantium suo loco seligendæ. Aliaque multa ibi proposita.

Sic à fructuum catalogo pruna, pyra sorbę, juubæ, hauriri poterunt, & horum multi lignea cortice contecti. Quies integra servanda erit animi & cor-

corporis. Somno potius prolixiori indulgentes.

Pulvis ſympathicas paratas ex Vitriolo Romano, craſciuſculè trito, & in vitro ſoli canicularibus diebus expoſito, abſque alia præparatione mihi ſemper felicitèr ſucceſſit.

Imò ſcpiùs repentina neceſſitas impulit me Vitriolo communi officinarum uti. Atque poſtquam petias ſanguine madidas eo copioſiùs profudiſſem, & ſub cervical lectuli repoſuiſſem, obſervavi ſanguinem efficacitèr ſiſtere, eadem ratione, qua pulvis ſympathicus antedicta cohibere ſolet ſyrupus ſinphiti Fernelii ſanguinis fluores tollere ſolet.

Potus etiam aquæ frigidę ad libras duas & ampliùs, in qua ſalis prunellę drac. j. diſſoluta ſit, à fervida cauſa excitam hemorrhagiam in momento ſedat.

Fronti, & cervici petię madidę applicentur ex aqua roſacea, modico aceto, ovi albuginibus, ſucco plantaginis, pulvere thuris, & carabes. Et hęc ſi nive refrigerata fuerint, ac ſepiùs repetita, efficaciora in fervidis condictionibus erunt.

At ſuccus urticę ad ciathum unum cum granis tribus canphurę, & unc. 5. ſyrupi de roſis ſiccis. Vel ſolus expreſsus, & epotus, ac fronti applicitus, naribuſque inditus unum ex optimis auxiliis genericis eſt.

Linteo frigidiſſima poſca madefacto cervix involuta, innocens auxilium, & bonum eſse reputamus. Potiſſimum verò comendamus ut teſtibus, & manibus frigidiſſima poſca ſola, vel cum ſucco plantaginis, aut urticę, & granis aliquot canphurę repetatur cum intepuerit & frequentetur.

Vrgente tandem neceſſitate, in juvenibus neque admodum ſanguine exhauſtis, ac decoloratis, ad ſoporifera, & opiata tranſeundum erit, ad tincturam opii, laudanum nepentes, theriacam recentem, & conſimilia, quę ſomno procurato horis nocturnis omnem excretionem certò compeſcunt, & acida ſolventia, fluorem inducentia, mira ratione attemperant, & ad amicabilem unionem ſecedentes in ſanguine liquores venire cogunt.

Sal deinde corallorum, vel eorum legitima tinctura manè cum decocto Kaffei, vel alio adſtringente ſummatur.

In menſa lentiũ ferculum in modico aceto decoctarum veterum erat olim celebre auxilium.

Loco vini aqua calibeata plantaginis, vel aqua acetoſæ, lapatii, acidula facta ſpiritu Vitrioli, ac deinde auri fruſtulis calibeata his inſervire debet.

Univerſalitèr verò ſpiritum Vitreoli intèr cætera auxilia magnam vim habere putabis; ſi in aqua plantaginis, vrticæ, portulacæ & conſimili inſtilletur, ut acidulæ fiant; inde impoſitis floribus papaveris, eliiciatur tinctura, Qua utantur pro ordinario potu.

Succus etiam rhibes, agreſtæ, & aliorum fructuum modicè adſtringentium, cum ſuccis plantaginis, portulacæ, vrticæ, vel aquis dilutus ubique locorum commendatur.

Sic emulſiones in dictis aquis ex 4. ſeminibus frigidioribus ex conſervis roſarum, violarum, Vel ex confectionibus cum pulveribus abſorbentibus atque fixioribus alcalicis cruſtaceis, canphura, opio, laudano nepentes Quercetani admixto, variæ opiatæ cocleatim ſummendæ parari poterunt.

Clauſos interim teneant oculos, ne-

que inspiciant sanguinem fluentem. Ab omni maxillarum motu caveant. Nares non emungant. Situm servent supinum, nec loquantur.

Tellas araneorum, potissimum in molendinis critici repertas, cum ovi albumine, & thuris pulvere in naribus pessuli modo indere curabunt.

Suppressa, ac devicta præcipiti hemorrhagia medicus deinceps se accingere debet ad morbos tollendos à quibus ipsa procedit, cachexias, intemperies viscerum &c.

Pro morbis oculorum, Ophtalmia Suffusione auxilia.

HAbet ophtalmia causas cum aliis inflammationibus communes, videlicet humores stagnantes, atque inter circulandum, extra vias sua deflectentes.

Universaliter tamen fovetur ab acido sanguinem & contentum serum coagulante. Dum itaque sanguinis massa à causis procatharticis acrior fit, ad caput in magna copia delatus inveniens oculos debiles in majori copia ad eosdem confluit, quam quod ab eorum laxitate regulari possit, sed in tunicam ad natã exundans ejus vasa distendit ac dilatat, visibiliaque reddit suo sanguineo colore, non sine dolore, ob fibrillarum sensitivarum divulsionem ratione violentæ distensionis, tum ob mordicationem ratione præternaturalis acoris.

Lacrymæ verò lymphæ accurenti (ut irritantes sales diluere posset) imputantur Ardor tandem salinis particulis adscribitur.

Suffusionis causa solet esse liquor albugineus nutrititius nervorũ impurus, veniens à cerebro, à causis externis (potissimum studiis vel animi passionibus) refrigerato, ac debilitato.

Nutriuntur etenim oculi, & eorum liquores restaurantur non à sanguine, sed à purissimo liquore albugineo, seu sero nutritio nervorum in cerebri glandulis optimè elaborato, atque nutritioni nervorum, & partium spermaticarum destinato.

Dum itaque talis liquor albugineus nutritius nervorum coinquinatus, ad oculos venit, loco nutritionis ac restaurationis, liquorum perspicuitatem offuscat.

Non negamus tamen, quod quandoque suffusionis incunabula non in cerebro, sed in ipsis oculis sita sunt. Dum silicet liquor albugineus purus quidem à cerebro venit, sed intra oculorum orbitam concrescit, ipsis imbecillibus existentibus; ideòque difficultèr concoquentibus ac assimilantibus perfectè, sed ipsum depravant atque præternaturali concretione inquinant.

Sunt etenim oculi (juxta Aristotelis monita sect. 31. probl.) omnium nostri corporis partium infirmissimi; frigidæ exanguis naturæ, aquei, mutabiles.

Sic absque cerebri læsione, sed annorum solo decursu observamus in valdè senibus, quod turbatur pupilla, & aquæ marinæ persimilis fit, cum visus imminutione. Neque alia ratione, nisi quia liquor albugineus (nerveus succus veniens à cerebro) ejus naturæ est, quod concrescere possit. Ut facili negotio, quilibet experiri potest.

Hinc est quod in suffusione gradatim visio obtenebrari solet, & tandem tolli. Primò namque nubeculam, vel culices ante oculos volitantes (ob particulas incrassatas vagantes, quæ motum liquoris albuginei ante pupillam se-

sequuntur) deinde objecta externa obscuriùs vident, demùm lumen difficultèr admittunt.

Interim oculos inspicienti, loco nigræ pupillæ ac tenebrarum (quæ sunt secundum naturam) humor aqueus vitri fusi ad instar turbatus apparet. Indè sensim magis albescere videtur. Donec tandem perfectam cataractam dictam producat, quam incrassatam ac aliquo modo consistentem Norsiæ professores deponere facilè, & felicitèr vidi.

Auxilia.

INtentiones itaque præcipuè eo dirigendæ erunt, ut ea in usu ponantur, quæ oculorum natiuum calorem fovere, tunicas rarefacere, liquorem albugineum à cerebro venientem purum reddere possent.

Victusque ratio potius calefaciens, & siccans sit. Aer ad calidum potius vergat, vel cephalicis, exiccantibus alteretur.

Prout fomenta actu potius calida quam frigida esse debent. Abstineant à vino, vel sit cephalicis medicatum; tutior tamen erit usus mellicrati, & aliarum potionum alibi recensitarum.

A veneris castris cauti recedant, neque à cœco duce se excæcari permittant. Nihil etenim succum nerveum æquè depopulari, ac contaminare potest quam venus.

Potus qualiscumque sit semper parcior, & qui seri & lymphæ illuviones non augeat, sed arescere permittat.

In cruditatibus omnibus stomachi vitandis etiam scrupulosè allaboret, ciborumque & potum electioni vacet, de præciosissimis corporis gemmis redimendis sollicitus.

A cibis aliquas confectiones adstringentes sepiùs recordatas assumat, anisos confectos, vel semina coriandrorum, &c.

Vinum eufraggiatum tum pro cura tum pro præservatione commendabile est, prout salviatum, vel lignis lentisci, saxafras &c. alteratum.

Verum arrideret mihi integra à vino abstinentia, & dieta sudorifera lignorum per 30. & ultra dies, sic etenim capitis, & oculorum excrementa attenuari, fundi, dissipari possent, & universæ partes laxæ roborari.

Cavendo interim ut caput, & oculi ab actuali calore cautè defendantur.

In principio morbi vino nigro austero, vel aquis stypticantibus oculi laventur. In progressu cum aquis eufraggiæ, fœniculi, chelidonij, & infusione croci ressolutio procuretur.

Tunc temporis etiam liquor ex formicis in olla contecta in clybano tepente reposita collectus magnarum virium esse consuevit.

Succus paritèr à chelidonio expressus, atque (ob acrimoniam molestam) sufficienti lacti commixtus tunc temporis inservire poterit.

Si autem cum valdè incrassatis liquoribus pugnandum sit, ocularia auxilia Tobiæ ex felle piscium, cum aqua eufraggiæ vel fœniculi, & mellis modico efficacissima erunt. Nam fel universalitèr magnum obstergens est, sed ob validum morsum attemperari debet. Fella piscium quia mitiora si relinquenda sint, ad fellia perdicum, vel avium rapacium, accipitris, &c. ascendere poterimus.

Verum si de oculorum magna imbecil-

becillitate constet, hæc invalida esse reputabis, atque preciosissimum auxilium à balsamo Orientali in oculis instillato expecta. Et à magnis antidotis caput confortantibus, & defluxiones in suo fonte exiccantibus, ut est theriaca, mitridatum, opiatæ variæ ex apropriatis cephalicis concinatæ, vesperi ante somnum exhibitæ.

Conservæ betonicæ, salviæ, stecadis, vel electuaria ex his, & succinatis parata. Aliaque auxilia pro catarrho proposita non inutilia erunt.

Quoniam verò oculus cuncta medicamenta à se abigit, sive forma pulveris, sive forma aquæ. Ideò valdè conducet ut cucurbitula apta vitrea inveniatur, cujus os orbitæ oculi respondeat, in qua reponendi sunt antedicti liquores, vel spiritus aquei, admixto sief albo sine opio in principio.

Apponi vero debet primò clausis palpebris; nam sensim palpebræ aperiri poterunt, & liquorum impressio facta tollerabitur. Inter cæteras verò liquores præfertur aqua aufraggiæ chelidonii, fœniculi, rosarum albarum cum modico vini spiritu. Sic enim dissolutionem albuginei liquoris incrassati, attenuationem, & penetrationem facilius molliri poteris.

Nisi jucunda auxilia ab initio promisissem, cauterizationes in occipitio. Sub aures affectas hirudines, pillulas capitales ante cœnam proponere ausissem.

Quare contentus ero commendare sepiùs in hebdomada neotericis capite derasis ut caput lixivio ex incineratis cephalicis parato lavent, ablutione etiam subsequente vini albi infusionis cephalicorum, & postremò inunctione facta cum oleo carabis, vel quinto essentia rosmarini.

Suffumiggium verò interdiù fiat ex croco in vino albo ebulliente, ad oculos fumo ascendente. Vel panis fœniculo subactus calēs à clybano extractus, sub oculis apertus, ut ejus fumus excipiatur, actuali enim, & potentiali calore poros aperire, materiæ crassitiem attenuare poterit. Eodem paritèr tempore masticatoria, & alia lymphæ, & aqueorum fluores exiccantia commendabilia reputamus.

Sed super cætera omnia, duo proponimus suis cautionibus ministranda. Alterum est usus viperarum, & viperatorum, qui rectè ministratus solus pro omnibus sufficere potest. Alterum est Mercuriale auxilium, quod quando de lue Veneris suspicio adest, nunquam intermittendum est.

Innumeræ verò cum sint Mercurii præparationes, quæ in variis conditionibus variari possunt; Nos inunctionem cum copiosa humana pinguedine cæteris ante ferimus.

Auxilia pro ophtalmia.

IN conclavi obscuro degant, procul ab omni vento austrino. Pannis viridibus lectulus circumdetur, ut ab omni aeris injuria muniatur, non solum, sed quia est oculis gratissimus color, qui lucis radios ad mediocritatem moderatur.

Arcendi sunt ab omnibus acribus odoribus, atque odores potius aquæ rosæ, canphuræ santallorum ebullientium procuretur.

Lumen quod vis procul absit. Aer pulverulentus, vel nebulosus, vel fumo obscuratus penitùs arcendus. Ingens verò splendor, sive ignis, sive solis, visum notabilitèr lædit, nam spiritus dissipat visivos à cerebro ad pupilla-

pupillam confluentes, nec quiescere sinit eos.

Decumbant in latus sanum, lecto sublimiori, seu elevato capite. Motus interdicatur omnis, & quies imperetur

Lucubrationes, & lectiones intermittantur. Illuminationes absint. Cibi offerantur boni succi, facilis coctionis. Atque victu in inflammationibus præscripto utantur. Fugiendo acria, salina, fermentativa, corruptioni obnoxia, vaporosa. Quæ omnia nervoso generi, & iis quæ succo nervoso aluntur hostilia sunt.

Sic universa acida, Legumina, Balneationes, æstuaria, imo solis æstus, & caput calefacientia omnia. Nocet tamen fluxiones promovendo vinum tenue, potissimum copiosum, tum potiones frigidæ. Æquè fortè ac aromata, & aromatica caput replentia, cariophili, allium, cæpa, porrum, faba, lenticula, & consimilia.

A sole itaque à coitu, ab igne, à labore declinent. Alvi lubricitas omni studio procuretur. Fluentibus enim inferiùs humoribus, cessant ab infestandis partibus superioribus.

Cœna semper sit parca. A cibis vaporosis se contineant, à dulcibus, glutinosis, salitis, acribus. Ab igne, radiis solaribus se custodiant. Imò ab omnibus caput calefacientibus.

Cœnam claudant aliquo adstringenti, granis 4. masticheS integris deglutitis, Vel conserva rosarum, aut diacitonitone.

Panis consuetus in mensa condiatur fæniculo, vel cynamomo, anisis.

Dolentes oculi quia lumen effugiunt, ideò holoserico viridi contegantur, procul à luce.

In doloribus oculorum *ait Hipp. 7. aph. 46. ubi merum bibendum dedisti, & multa Calida lavisti, venam secato*. Quæ tamen omnia juxta Prosperi Martiani interpretationem eadem die facienda sunt. Nunc quia corpora nostra balneis uti desuevere, tutum auxilium non esse judicamus, licet de balneo, & vini meri potione idem confirmasset in 6. aph. 31.

Quare hæc auxilia sunt magna cautione administranda. Et solum post plethoræ imminutionem, nec non constantibus signis quod lippitudo fiat à sanguine craso frigidiori, attenuatione ac fusione indigente, in usu ponantur.

Secus in condictionibus fervidioribus tutiorem esse potum aquæ judicamus. Vel ad seri, sanguinisque particulas acidas corrigendas potus theæ non inutilis erit.

Fæniculus omnibus modis oculorum laboribus proderit, sed potissimum succus in colyriis, & ejus semen in æsculentis.

Non est anile figmentum, sed fræquentibus experimentis veritas comprobata, quod magna utilitas lipientibus oculis percipiatur si perforato apice auriculæ, frustulum radicis thimeleæ indatur, ipsum bis in die commutando; plurimo etenim acri seroso ichore evacuato, pro utili derivatione inservit.

Ad superfluam paritèr lympham, uberius superiores partes rigantem exhauriendam masticatoria exhibeantur ex pyretro.

Vel saltem masticis grana aliquot dentibus terenda, jejuno ventre.

Hac enim arte copia lymphæ in salivalibus ductibus contenta avocatur, atque ab oculis ad palatum derivatur, acutisque salibus prægnans eliminatur.

Inte-

Integra etiam fæniculi herba cum caule suo concidatur, & contundatur, atque placentulæ efformentur, quæ supra cratem ligneam patinæ impositæ saccaro irrorentur, & per noctem in loco humido reponantur. Id enim quod in liquorem versum manè invenietur, præstantissimum colyrium est.

Spiritus vini canphuratus, vel aqua reginæ Hungariȩ, copioso spiritu aquoso eufraggiæ dilutus in oculorum imbecillitate, laxitate & condictionibus frigidis magnum auxilium est.

E contra in condictionibus ferventibus, & magna liquorum tenuitate ac fluore, ad opiata, & soporifera ascendendum erit noctu eundo cubitum.

Decoctum etiam florum papaveris cum ovi albumine quaslatum, & canphura, dolentes inflammatos oculos intra pauca momenta demulcet.

Dulcia oculis infensa reputantur à Rasi quocumque modo adhibita in usu interno. Nam in usu externo sensitivis oculis magna auxilia sunt, ut lac muliebre instillatum, quod acres liquores ad oculos appellentes attemperat. Idem operatur aqua plantaginis cum saccaro Saturni & canphura.

In declinatione aqua reginæ Hungariȩ, validè roborare, ac discutere poterit guttulis duabus in oculo instillatis.

In longa lypitudine collyrium pero ex vino albo, aqua rosarum albarum, plantaginis, cum tutia in petia ligata, cum cariophillis, canphura, & saccaro saturni. Interim usum viperatorum præscribo simul cum decocto lignorum, & dieta sudorifera.

Declinante affectu pro colyrio utor croco metallorum in vino infuso albo. Atque vesperi suffumiggia ex succino eundo cubitum impero.

In levi ophtalmia, & ordinaria horum pauca sufficiunt, & facilè sanatur. Si rebellem, & his auxiliis contumacem cernas, magnum indicium est à lue Celtica occultè foveri; quare ne laborem & operam perdas ad decocta lignorum, & dietam sudoriferam, nec non ad alexiteria luis, & viperata totus te converte, & sic certam victoriam reportabis.

Pro affectibus aurium auxilia.

INflammationibus tentari solent aures, atque ob intensissimum dolorem anexum, Paracelsus aurium panaritium dicere non dubitavit.

Tantus etenim increscit quandoque dolor, ut convulsiones, deliria, & mortem ipsam afferat. Advenit etenim cum febre acuta, quando inflammatio in profundo auris à calido humore oritur, silicet occupat neruum auditorium, & membranas conterminas.

Nam membrana, quæ auditorium meatum investit, tenerima est, nervosa, & exquisiti sensus, undique consperesa innumeris nervorum filamentis, à quinto pari venientibus.

Prout verò inflammatio est exterior, & alta, remota à cerebro & à partibus valdè sensitivis minor est dolor, minusque periculosa. E contra quȩ interior, profunda, cerebro vicinior, magis nervoso generi insidiatur, magisque periculosa est.

Transitque ut plurimum in absessum & vulcus (nisi ejus progressus inhibeatur in principio) & puris subsequitur excretio.

Materia ex qua fit, ut plurimum est serum acre falso amarum, quod per glandulas auribus proximas depurgari sole-

ſolebat, & excrementorum cerumi-noſorum aurium genitor erat, dum à cauſa aliqua externa à ſua depuratione impeditur aut à cerebro malè affecto in debilitatem aurium cavernarum eructatur.

Non infrequens eſt paritèr aurium ſurditas, vel ſaltem auditus gravis, eveniens quia nervus auditorius difficultèr moveatur, vitio auris externæ. Vel quia meatus auditorius obſtructus ſit. Vel vitio liquorum adeò vaſa replentium, ut fermè nulla ſit via ad ſonos. Vel à mala diſpoſitione, nervi ad auditum deſtinati, vel officulorum auditoriorum in tympano contentorum.

Surditatis etiam perfectæ cauſa poteſt eſſe neruus auditorius immobilis, vel liquor nutritius nervoſus preternaturaliter in eodem ſtagnans, & coagulatus paralytico more.

Mali cauſa non raro latet in meninge meatus auditorii quoniam rupta, vel exeſa, vel exulcerata ſit, vel caloſa coaluerit.

Evenire etiam ſolet in ſurdis à nativitate, quod nervus auditorius malam patiatur conformationem, prout & alia inſtrumenta ad auditum neceſſaria, quæ in alium locum quandoque indebitè transferuntur.

Quandoque idem nervus à proximè adjiacentibus partibus adeò comprimitur, ut obſtruatur, neque debitum additum permittere poteſt ſpiritibus animalibus, pro ſenſatione obeunda.

Verum quę à nobis magis conſiderabilis hoc loco proponitur accidentalis, & ob errata dietetica ſuperveniens gravitas auditus (quę in valdè ſenibus familiaris eſt) fieri ſolet dum ſuccus enerveus flure impeditur in fibrillis nerve's audiendi inſtrumento deſtinati, ob illarum compreſſionem vel obſtructionem.

Auxilia doloris aurium.

EAdem dieta ſervanda eſt, quę inflammationibus omnibus communem eſſe indigitavimus. Tempora potiſſimum diſtinguenda erunt, nam in principio (ut verum fatear) cum Hippocrate unctuoſa univerſa in inflammationibus ſuſpecta ſunt.

Mihi potius felicitèr ſucceſſit fotus furfurum, florum camomelli, & ſalis marini ſaculo incluſorum, & ebullitorum in aqua communi cum tertia parte aceti; ſaculumque tepentem ac effumantem reponere jubeo ſupra aurem dolentem, ut cum frigeſcere incipiat, mutetur. Hac enim arte intra bihorium circitèr ſanatum, vel admodum dolorem imminutum fuiſſe obſervavi.

Cauſticum balſamum meum copioſo butyro admixtum, exteriùs illitum, ſupra omnem fidem hos, & dolores omnes ſimul cum incipientibus inflammationibus tollere validiſſimum eſt.

Qui ab iſtis timidiuſculi reformidant, & dolori aurium validis inſtrumentis obviam ire procurant veſperi ante ſomnum opiata propinare non deſiſtant, & ſoporiferam tincturam opii & laudanum nepentes, & philonium romanum.

Exterius verò oleum à hyoſciami, vel papaveris ſeminibus expreſſum tepidum applicetur, lanaque ſuccida medicamento narcotico imbuta prius adhibeatur, deinde oleum ex vitellis ovorum infundatur, ſemper verò inſtillentur benè calentia, non ſolum ut promptiùs leniant dolorem, ſed ut altius penetrent.

Oleum deſtillatum per retortam ex pice navali nigra unum ex celeberimis ſecre-

ſecretis eſt D. Jo: Baptiſte Silveſtrini (aromatarii verè capitis aurei, mei perneceſſarii, & amici duorum regum Poloniæ, & Impetratricis Oleonoræ pharmacopeus, Europæ, linguis, & ſpargiricæ artis notitia inſignis) qui felici ſemper ſuceſſu his patientibus gratis illud elargitur.

In progreſſu morbi fotus fieri poſſunt ſacculo hyſopo, camomello, ſalvia repleto, atque in lacte ebullito.

Si hæc diſpliceant, fumus tabaci ex thure, maſtiche, ſuccino auribus excipiatur. Vel cæpa ſub cineribus aſſata ad faciliorem promotionem puris validiſſima erit.

Aut in condictionibus calidioribus radix illiorum alborum. Vel oleum ſcorpionum, aut ſcarabeorum in oleo ex amygdalis Armeniacorum paratum pro omnibus ſufficere poterit.

In affectu leviori, panis cum copioſo fæniculo cimino, aniſis ſubactus, & à clybano calens extractus, apertus, ac dolenti auri applicitus ſufficere ſolet. Vel guttulæ duo, aut tres olei cariophillorum, cum tantundem olei ex ſeminibus papaveris expreſſi.

Succinata verò pro hoc affectu magnam laudem promerentur. Interius quidem guttulis olei ſuccini propinatis. Exterius ſuffito pulvere.

Formicarum liquor, eodem modo paratus a llumbricorum liquor in clybano tepente, primum & præcipuum locum obtinere penès magni nominis auctores pro curando hoc affectu reperies.

Auxilia ad gravem auditum, ſurditatem, &c.

VIctus eligatur tenuis, non admodum calefaciens, ſed aliqualitèr ſiccans, boni, & laudabilis ſucci. Relegandaque vitioſa alimenta; vaporoſa, legumina, cæpæ & conſimilia caput replentia.

Caveant inſuper à cruditatibus omnibus. A motibus vehementioribus, potiſſimum capite declivi. A ſole. Igne. Potu meraciori. Caffeanaque potio exiccatione indigentibus non inutilis erit.

Ab omni aeris intemperie, ſed potiſſimum ab improviſo frigore cuſtodiantur; ne obſtructiones viarumque anguſtiæ augeantur, meatus denſentur.

Meſueſque præceptum ſervetur *capite de ophtalmia*. Quod ſicuti in *ophtalmia ſemper actu frigida ſunt imponenda, ſic in auribus calida.*

Succinata primum habere locum creduntur, oleo inuncto, vel propinato, atque pulvere ſuffito, guttuliſque præterea olei in aure inſtillatis.

Axungia viperæ multis hac ratione auxilio fuit. Non minus inſtillata aqua Reginæ Hungariæ ubi de laxitate, & imbecillitate indicia ſunt.

Decoctum theæ pro incraſſatæ materiæ attenuatione aliis placet. Mihi verò potius arrideret longa dieta ſudorifera, & uſus decocti lignorum per 40. dies.

Suffitus ex gagate, & myrrha per tritorium veſperi eundo cubitum auribus excipiatur.

Maſti-

Masticatoria verò ex pyretro, vel granis masticis, exuberantem lympham, & affluxum liquorum ad aures ex haurire posset.

Oleum expressum ex nucleis persicorum, & armeniacorum pro valido attenuante crassarum materierum in auribus probatur.

Liquor anguillæ pulvere anisorum inter assandum consperſæ collectus, in aurem instillatus, convulsiva induratione instrumentorum factam surditatem sanat.

Dormituri sepiùs in hebdomada summant drac. j. theriacæ. Vere & autumno per 15. dies utantur decocto, carnibus, vel saltem pulvere viperino, & ab his sensus omnes acui, & veluti se rejuvenescere sentient.

Fumus sulphuris in aurem exceptus laxitate laborantes, & humiditate, multos persanavit.

Quod si hæc displiceant, peccante materia frigida lotiones capitis fiant lixivio cinerum cephalicorum, & vino infusionis eorundem, quibus cerebrum roborabitur, & moderatè exiccabitur.

Panis subactus pulvere aromatum nucis moscatæ, &c. calens à clybano extractus, vini spiritu iroratus, apertus, auribus applicetur.

His tandem omnibus, & singulis invalidis existentibus ad mercurialia ascendendum erit, tum propinata, tum inuncta, à quibus penetratio omnis, emollitio, & concretorum dissolutio sperari poterit.

()✠()

Pro memoriæ læsionibus auxilia.

SCientiarum, & artium depositoria arca Memoria, sacra Musarum Mater, illuminansque Diana, Apollinis intellectus radios reflectens, quandoque ab improportionatis liquoribus cerebelli substantiam inundantibus varias læsiones patitur.

Equè enim pituitosi ac melancolici succi spirituum rectas, & naturales vias occupantes, in causa esse possunt, quod à muneribus suis spiritus animales impediantur, vel confusè agere cogantur.

Hinc est quod notat Aristoteles in problematibus, quod melancolici neque recordantur neque recordari possunt ob animalium spirituum invicem collisionem in his consuetam.

Nosque leviorem affectum quotidiè in plurimis melancolicis observamus, qui ratiocinantes, alicujus nominis obliviscuntur. Imò quo magis recordari conantur, advocatis ad immaginationis locum spiritibus, confusio augetur, minusque recordantur. Dum vero de illo amplius non cogitant, in mentem venit.

Hujusmodi itaque memoriæ lesiones à frigidis cerebri intemperiebus provenire solent, crebriùsque cum materia humida quam sicca.

Hinc est quod defervescente ætate, & declinante, sensuum omnium prima memoria, incipientem cerebri refrigerationem, seu insiti vigoris, ac caloris imminutionem præmonstrat, inde oculi conspicil-

lorum auxilia reposcunt.

Veneris penu penuriam pati incipit, & sic evidentia indicia habentur à minori in spermaticis partibus nutritione tunc facta, quod cerebri vigor sensim labescat, neque amplius ad reparandum succum albugineum nervorum nutritium in tanta quantitate sufficiat.

Dum igitur refrigeratis cerebri glandulis (seu earum insitavi imminuta) minus de succo nervorum nutritio, minusque per consequens de spiritibus animalibus enim generatur, sensim quilibet sensus labefactatur, & cum his etiam memoria.

Ita ut memoriæ læsionum causam esse reputemus liquorem albugineum minus proportionatum, quem veteres pituitam, vel serum acidum melancolicum (pro varia depravatione) nuncuparent, à quo improportionati, minus lucidi, minus agiles animales spiritus procreantur.

Auxilia.

Quamobrem intentiones universæ eo dirigendæ erunt, ad probam memoriam obtinendam, ut cerebri temperies moderata sit, ad calidum potius vergens, atque glandularum substantia mollis, ac undique pervia aptis succis irrorata, quibus tum copiosum tum aptum in omnibus suis condictionibus succum nutritium nervorum, elaborare possit.

Si vero lædatur memoria ob ætatis jacturam, sola congrua victus ratione curanda erit, atque ætas restauranda illis artibus, quas alibi in apendice prima insinuavimus.

Theriacam itaque primarium labentis memoriæ fulcrum esse nostris, & aliorum experimentis cognovimus.

Rosolinum ex præciosioribus aromaticis, cephalicis ambra, Zedoaria, mosco, ligno aloes, &c. potissimum in frigidioribus condictionibus usurpari poterit.

Sic vinum medicatum gingibere, galanga, nuce moscata.

Caput vino albo cephalicis simplicibus imbuto lavetur.

In ciborum præparatione usus cinamomi, croci, moschi, ambræ griseæ frequens sit, turcarum more. Vel horum essentia.

Sed quod omnium maximè procurandum est, vires corporis omnes quantum fieri potest instaurandæ sunt per optimam servatam vivendi regulam, sic etenim optimus liquor albugineus nervorum nutritius sperari poterit, & non alia ratione.

Interim nativa quadam sui condictione memoriæ obesse scias lac, & lactaria, allium, cepas, porros, legumina, castaneas, carnes salitas, fumo induratas, caseum antiquum, mucida, & abominabilis odoris, rancida unoque verbo quæcumque sanguinem impurum, minus spirituosum, mobilem, magisque fæculentum, crassum, tardigradum generant animali facultati, ac memoriæ contrarientur.

Ebrietas Bacci, incontinentia Veneris, & saturitas Crapulæ, à sacris Minervæ aris, & Mnemosinis phano exules vivant.

Sic Endimionis somnus, lethis, &

& oblivionis frater arcendus est.

Moderatoque labore corpus exerceatur, nam per exercitia violenta summoperè læditur memoria, evacuatis animalibus spiritibus, & exhausto liquore albugineo spermaticarum partium nutritio.

Prout etiam faciunt superfluæ evacuationes quæcumque sed potissimum sanguinis, & adhùc magis seminis. Ita ut qui semen copiosiùs profuderit, etiam si juvenis sit, insignem memoriæ labem se pati persentiet.

Quia verò memoria excolendo, sicut omnia alia augetur, nihil equè labefactat memoriam, quam labores violenti corporei, animi otium, & memoriæ nulla exercitatio.

Animi etiam affectus, ira, timor, tristitia, longæ lucubrationes, vigiliæ, curæ fugiendæ. Omnia denique vitanda quæ spiritus imminunt, liquorem albugineum nerveum à suo naturali statu immutant, sanguinem, & serum exhauriunt, viresque resoluunt, & facultates labefactant.





DE AFFECTIBVS THORACIS PARTICULA TERTIA.

Anginæ Causæ, & auxilia.



Ommunes causas habet angina cum cæteris inflammationibus, videlicet partem imbecillam, & extravasatos liquores (in gutture) qui à prædominio biliosi fervidi solent esse, inviscati à frigidioribus, & pituitosis.

Hæc inflammatio quandoque erisipelatodis inflammationis naturam immitatur, absque tumore, & aucta magnitudine, quæ si occupet internam partem asperæ arteriæ cynanches nomine periculo plena est.

Quę enim in faucibus fit, à frigidis glutinosis succis provenire solet, tenuibus succis commixtis, minusque periculi adducit, nam circa glandulas, & vasa faucium dum in tumorem attollitur, vias excretionum absque magna difficultate invenire solet.

Spuria itaque hæc angina à liquoribus ætherogeneis produci solet, sed potissimum à sero nervorum nutritio crudo, viscido, crasso, à capite veniente formà pituitæ, dum caput debile frigidum, ab externis causis intemperatum, excrementum hoc à se productum ad guttur, fauces, & glandulas proximas dimittit, quod præ constipatione externi frigoris, dum difflari prohibetur, & stagnat, calorem, & acredinem majorem acquirit, vasa replet, & orgasmo facto, extravasatur.

Inter alias causas internas, quandoque lympha numeratur, quæ naturalem habet motum, & excretionem per vasa gutturis, faucium, & circumsitarum glandularum.

Hæc quandoque acris, acida, salina etherogenea glutinosa obstructiones faciens in vasculis prædictis, sanguinis & aliorum liquorum circulationem prohibet, atque fit dolorosa anginosæ inflammationis parens.

Vitiata etenim cum nimis fuerit, ductus suos salivales ritè, & rectè permeare nequit, neque per glandulas suaque vasa excretoria eliminatur.

Verùm frequenter fit (ut diximus) ab acrimonia seri à capite intemperato venientis, forma deflventis catarrhi, ad fauces, & glandulas, quod extravasatum irrigans loca vicina, vasa

ſà ſanguiflua comprimens, ſanguinis circulationem impediens, inflammationis forma ſe manifeſtat.

Procatharticæ cauſæ frequentiores ſunt frigidiores potiones ingurgitatæ æſtuante corpore, & capite præ labore, vel hauſtus aer frigidior qui in gutture conſtipationem facit calidarum acrium effumationum, vel ſuccorum ferventium, bilioſorum.

Auxilia.

SI à materia valdè tenui, bilioſa, acri, furibunda fiat, atque ſit in principio, ad papaveracea felici omine deſcendere poteris. Ad emulſiones 4. ſeminum frigidorum majorum, imò ad laudanum ipſum nocturnis horis, & oleum expreſſum ex ſeminibus papaveris cum oleo amygdalarum. Hac enim arte intenſum dolorem demulcies, ſpiritum inordinationes, & liquorum orgaſmum compeſces.

Detineant iſti in ore lac, & cum incaluerit expuatur, & recens aſſumatur. Mihi tamen ſuſpicanti ne facilè lac acorem concipiat magis arridet lac artificiale ex quattuor ſeminibus frigidis paratum, atque nive refrigeratum, ore continere, ac frequenter immutare.

Gargariſmus cum ſucco granatorum dilutus aqua plantaginis, & ſale prunellę. Vel agreſtæ ſuccus, ſapa cum eadem aqua aut violarum diluta optima auxilia ſunt.

Sic portulacæ ſuccus, vel rhibes cum aquis refrigerantibus ſtypticis dilutus, ſale prunellæ admixto in ore detineatur abſque gargarizatione, ne per motum conciteutur humores, ſed laxæ gutturis partes firmentur, & fibræ invicem magis hærentes appellentibus liquoribus additum negent.

Victus ſit in his exquiſitè tenuis. Inter cætera jus decoctarum ranarum ſummè commendatur.

Pro potu verò tinctura florum papaveris, in aqua florum papaveris acidula facta guttulis ſpiritus vitrioli. Vel tinctura roſarum in aqua plantaginis eodem modo facta.

Butyrum recens, vel cremor lactis (pana Italicè) aut caput lactis, admixto ſale prunellæ & nive conglaciatum, par auxilium non habet, pro tollenda præcipiti, ac tenuiſſima angina doloroſa, abſque copioſa craſſorum excrementorum defluxione à capite; ſi ore aliquantulum contineatur.

Hordeum, hordeata fercula, & aqua hordei, his accomodata auxilia erunt.

Verum ſi pituitoſa magis angina vexet, & affectus non ſit adeò in principio, hordeatis mellita, & mulſa admiſceri poterit, atque in potu propinari. Detinere poterunt iſti ore decoctum malvæ, liquiritiæ, paſſularum, caricarum.

In cibis pulli hirundinis commendantur. Vel cinis eporꝫa. Potus ſit aqua mulſa cum hyſopi portione, qui etiam frigidus nunquam propinetur.

In magis ſpuria angina etiam oximel ſquilliticum adhibeatur acetum, & mel gargarizetur.

Gargariſmata ex decocto ſalvię hyſopi, pyretri, betonicę caricis, liquiritia, addito oximelite, in ſpuria pituitoſa angina optima erunt.

Si vero laxę valdè ſint partes gutturis, gargariſma exhibeatur ex aqua plantaginis uncia una cum quarta parte ſpiritus vini.

Imò exterius circa collum imponantur

nantur linthea duplicata spiritu vini canphorato madefacta, vel aqua Reginę Hungarię, & coagulatorum incrassatorum liquorum dissolutionem fieri videbis non secus ac ad solis ferventis aspectum nives & gela liquari ac disparere.

Caricę in orę detentę. Vel decoctum hordei cum melle, incrassatam pituitam circa os sensim educunt.

Si à capite defluxio, ob magnam cerebri humidam intemperiem, & glandularum ejus laxitatem vrgeat, fermentum panis cum succino, & thure vertici imponatur.

Aliaque auxilia usurpentur quæ capite de catarrho indigitavimus. Sed potissimum suffitus ex succino, thure, & mastiche, vesperi hora somni nunquam intermittatur.

Tussis causæ, & Auxilia.

TVssis sicca (quæ silicet absque sputo fit) oritur dum latex tenuis serosus è vasis pneumonicis immediatè in pulmones suffunditur. Vel ab arteriis in laringem dehiscentibus exundans, in pulmonum capacitatem decumbit.

Hic etiam ratione ex bono pulmonis alimento depravato (sero nutritio, roreque à veteribus dicto) phlegma provenit quod tussi rejicitur, & facit tussim humidam.

Absque eo quod caput, & cerebrum lædatur, & ab eo destillatio ad pectus perveniat tussis fieri potest à liquore seroso ob præpeditam perspirationem in sanguine conservato, deinde effervescentia oborta, ac præternaturali fermentatione, arteriolarum orificiis dehiscentibus in pulmones ille eructatur.

Hinc est quod frigore suscepto, ob impeditam perspirationem facili negotio fit tussis.

Quæ universalitèr pro primaria, & immediata causa cognoscit partium sensitivarum, seu fibrillarum nervearum tracheæ, & pulmonum irritationem à re aspera inæquali, ac præternaturali.

Hac ratione lympha sero admixta; quæ succus lenis, & blandus est, à natura destinatus, ut ex vasis trachealibus ad laringis partes superiores extillet, ad eam mollem, æquabilem reddendam. Si quandoque salinis asperis particulis scateat molestam tussim excitare solet.

Ductuum adhuc pulmonalium obstructio, compressio contractio fibrillarum nervearum tussiculosum hominem reddere possunt.

Sic tubercula, inflammationes concretiones argillaceæ tussim inducunt lacessendo.

Materia etiam ætherogenea, præternaturalis, ac elastica, e cerebro per nervorum ductus prolapsa, simul cum liquore nerveo in fibras pectoris, & pulmonum motrices, efferatam tussim producere valet.

Frequentior tamen causa, lympha acido, acri, irritantis sero commixta, atque inæqualibus particulis salinis turgens ad tracheam delapsa, tussim promovet.

Id enim quod pituitæ nomine venit, atque catarrhi, serum lympha commixtum evasatum est, quod illicò ac aeris acorem, & extrinsecam frigiditatem persensit in mucaginem, gelatinam, & viscidam pituitam concrescit.

Hæc itaque præternaturalitèr se habens, quantitate, ac qualitate peccans,

cans, ex asperæ arteriæ glandulis copiosiùs effusa, fauces, & asperam arteriam irrigans à locì frigiditate (ob inspiratum aerem) & à mora acorem contrahens majorem, inde fibrillas nervosas obvias irritans, & vellicans, molestæ tussis parens fit.

Acrior verò, & acidior potissimum fit, uberior, si per frigus externum insensibilis transpirationis evacuatio præpediatur.

Ab aere vero frigidiori inspirato, in trachea, & pulmone magis incrassatur. Insunt etenim aeri acidæ particulæ nitrosæ in alcalicæ lymphæ coagulationem, ac incrassationem pronæ adeò ut in momento lympha in vasis suis liquida, fluxilisque aqua existens, extravasata in os mucilaginosa, viscosa, crassaque fiat magis, vel minùs pro majori vel minori ætherogeneitate.

Est & genus ferinæ, & pervicacis tussis, quæ oritur à fluctuantibus pituitosis salsis, vel salso-acidis in ventriculo, quæ à parte post partem successivè irritant orificium superius ventriculi, diaphagma, inde & musculos respirationi dicatos, & asperam arteriam, quorum omnium nervosas fibrillas concutiendo, ac irritando, contrationem, & molestissimam crispationem convulsivo more molitur, pauca post modum subsequente per anacatharsim sputi excretione.

Neque cessare solet (in pueris potissimum) nisi enormi facto vomitu alimentorum, & contentorum in ventriculo.

Auxilia.

UNiversalitèr vasorum, & glandularum oscula in tracheam dehiscentia, modicè adstringentibus occludenda sunt, (potissimum in principio) ne serositates in eam naturalitèr confluentes, ob laxitatem præcipites affluant.

Equè tamen respectus habendus est, ut laryngis latera sufficientèr demulciantur, ac deliniantur, ut neque acris, inæqualis materiæ serosæ irrigatione, neque externi frigoris occursu lędantur, exinde ad tussiendum insurgant.

Vaginis etiam dulcificantium includendæ sunt particulæ cuspidatæ acutæ, acres, salinæ liquorum serosorum ad pectus confluentium.

Si impluvium à capite intemperato venire videatur, quod humidiori intemperie afficiatur, exiccantibus curetur, succino, decocto lignorum, sudore procurato, tum diaphoresi per viperata & pulverem viperinum tentata.

In progressu antiquorum bechichia (tussicularia dicta) spernenda non erunt. Tum confectiones ex speciebus diatragacantho, diairide, & consimilibus abstergentibus, incidentibus, quibus mediantibus molli tussi excitata, à pulmonibus præparata excrementa eliminantur.

Ad hoc igitur inservire poterunt decoctiones hysopi prassii, radicum enulæ, glicerisæ tragacanto saccaro penidiorum, & consimilibus admixtis.

Pro intemperato, ac humidiori capite, cacusæ ex thure, mastice, cinamomo, nuce moscata, & carabe parandæ erunt.

Sed super cætera auxilia, magna cura habenda est in regulis dieteticis. Aer enim temperatus, vel ad calidum inclinans procurandus est; frigidus enim

enim particularum suarum nitrosa acrimonia faucibus, & pulmonibus infensa esse solet. Ideoque Hipp. animadvertit *in 3. aph. 13. Tusses potissimum hyeme ingruere, & 3. aph. 5. tum 5. aph. 24. Frigida qualis nix, Tum flatus frigidi aquilonares pectori inimica sunt.*

Motus, & quies mediocritatis claustra non excedant, nam per nimium motum liquores omnes tenuiores atque ad fluendum paratiores fiunt. Serum nutritium, tum lympha acriores facti, glandularum separationem affugiunt, & extravasantur. Per quietem verò nimiam pituitosi crassi succi stagnantes, acriores fiunt, magisque naturæ molesti.

Cibus, & potus temperatus sit, & qui blandis particulis suis demulcire, ac oblenire possit fibrillas nerveas asperæ arteriæ valdè sensitivas.

Caveant idcircò (potissimum in principio, nam in fine aliqua irritantia expectorantia convenire possunt) ab acribus, salsis, aromaticis. Tum ab iis quæ serum acutum, tenue, fluxile reddere possunt.

Potus sit ptisana, vel mulsa in causa pituitosiori. Decoctum hordei, passularum liquiritiæ hyeme, & mediis temporibus. Vel decoctio florum papaveris, aut capitum papaveris æstate, & in condictionibus fervidioribus.

Quia vero actu frigidus potus (potissimum in copia, & confertim factus) etiam benè valentibus tussim excitare posse observamus. Ideo universa potulenta tepentia bibere, semper in tussi, & affectibus pulmonum commendabile esse reputatur.

Vina acida. Imò universa potulenta acida detestabilia sunt tussiculosis. Hæc enim particulis suis salinis, aculeatis, irritantibus sensitivas fibrillas mordicant, & spiritualia universa organa exasperant.

Placet admodum (in tenui fluxione potissimum, & calidioribus condictionibus) statim à principio opiata, & soporifera exhibere, vesperi eundo cubitum propinata decoctione florum papaveris cum unc. j. syrupi ex jisdem floribus papaveris; quæ etiam manè jejuno ventriculo poterit usurpari.

Vel philonio Romano, aut laudano opiato utantur ut sic demulceatur, ac attemperetur serum acre, & quicumque alii effervescentes liquores ad naturalem statum deducantur, eòrum tum progressivo motu, tum fermentativo interno sedato.

Dum etenim massa sanguinea effervescit, atque præternaturali fermentatione exagitatur, serum & cæteri liquores invicem secedere compelluntur, & fluxiones dolorum, & laborum causas concitare.

Per opiata igitur, & narcotica massæ sanguineæ dissolutio, atque in serositates fusio inhibenda est, & quies omni arte procuranda.

Ad salsos etiam tenues humores corrigendos, & contemperandos, plurimum inservire potest gummi arabicum, vel tragacanthi in emulsione quattuor seminum frigidorum. Vel oleum amygdalarum dulcium.

Verum si pituita crassa vexet, & condictiones frigidiores præsint, oximelite, melicrato, atque mellitis auxiliis ipsam expugnare aggrediemur.

Antiquam, & contumacem tussim, cum suspicione ne tandem pulmo flacescat, & à capitis defluxione æger pereat, decoctum ex lignis cum dieta

su-

ſudoriferâ penitùs eradicrē poterit pectoralibus intermixtis.

Olibanum in excavato pomo excoctum, & à cœna ſumptum innumeros à tuſſi longa liberavit.

Lotio pedum paritèr ſub ingreſſum lecti mirificè tuſſiculoſos levat, & noctem placidam impetrat; Si potiſſimum eodem tempore archeo capitis irritato, thuris, & gagates ſuffumiggium propitiatorium exhibeatur. Cujus vires pro roborando cerebro, & glandularum ejus erroribus corrigendis nunquam ſatis explicari poſſunt.

Declinante affecta theriaca eundo cubitum incaſſum non propinabitur.

Si ab acido viſcido ſero, pulmonum veſiculis impacto oriatur tuſſis, incidentia aromatica exhibeantur, & potiſſimum enulæ decoctum cum paſſulis, ſyrupus de peto. Spiritus vini, cum tincturis pectoralium, & ſaccaro cando inflammatus (dictus impropriè oleum ſaccari.)

Si tuſſis à ventriculo mucoſitatibus oblinito oriatur; vel à materia corrupta, naturæ odioſa circa primas vias ſtabulante (& hæc inter cæteras tuſſes impetuoſior eſt, & maximè affligens, paucas habens per pulmonem excretiones) vix alio remedio, quam per vomitum aptiùs compeſci poterit.

Deinde ad reliquias deturbandas, & abſtergendas, oximel, decoctum hyſopi, & conſimilia propinentur.

Ego ut verum fatear initio tuſſis ad demulciendas, attemperandas particulas acutas vellicantes membranoſum velamen aſperæ arteriæ, ac bronchiorum, ſecuriùs auxilium non vidi quam opiatum, quod omnem acrimoniam attemperat, & ſtomacho fermentum ad mucoſitates procreandas inclinatum emendat; & ſic in ſuo fonte fluores exareſcere facit.

Exhibeo igitur veſperi poſt modicam cœnam decoctum florum papaveris cum ſaccaro modico, quod ſomno procurato catarrhos incraſſat, & minus mobiles reddit, magiſque expulſioni paratos, tum ſenſum moleſtum irritationis circa caput aſparæ arteriæ tollit, vel levat. Factoque ſuffumiggio ex olibano ex gagate. Poſt tertiam vel quartam vicem rari ſunt qui (niſi in vivendi ratione intemperantes ſint) à tuſſis moleſtia non liberentur. Syrupi glicerrhizæ vel hyſopi compoſiti inveteratæ tuſſi medentur.

Aſtmatis cauſæ, & auxilia.

VAriæ procul dubio ſunt aſtmaticorum affectuum, atque difficilis reſpirationis cauſæ. Frequentèr tamen à liquoribus crudis, ſeroſis, acidis melancolicis, vel à ſero nutritio nervorum depravato per arteriam venoſam in pulmones lapſo oritur, quod occupatis ductibus bronchicorum, & burſulis reſpirationi dicatis, abſque defluxione à capite aſtmaticos inſultus excitat.

Quandoque ob ſerum acre lixivioſum, fluxile bilioſum, nimis in corde præter naturam efferveſcens ac ebulliens, pulmones nimis diſtenduntur ac inflati detinentur (eadem penitùs ratione ac in recipiente Boiliano aere exhauſto, animalia aſtmate corripi obſervantur) & ſic reſpirationis difficultas, ac inæqualitas inſurgit.

Dum enim per arteriam pulmonalem cum impetu maſſa ſanguinea in pulmones irruit, vexiculas pulmonum replens, vaſaque ſanguiflua diſtendens efficit ut pulmones debitè relaxari, ac pro aeris receptio-

ne rursus expandi nequant.

Non semel difficultatur respiratio, dum bronchia, vesiculæ pulmonum à pituita viscida, pure, tuberculis, callo adnato, vel materia tophacea aliove impedimento &c. angustiantur, & prohibentur ne liberè munus suum obire possint.

Duo verò sunt potissima astmatum genera humidum videlicet, & siccum.

Humidum fieri consuevit à mucagine viscida, bronchios, & pulmonum vexiculas inviscante, quandoque in ipsis pulmonibus à corrupto nutrimento genita, quandoque à capite intemperato veniente, quandoque à depravata stomachi concoctione originem ducente.

Siccum verò astma, & convulsivum, nervorum & spirituum animalium culpa fit. Dum silicet nervi pneumonici ob irritationem aliquam spasmodicè contrahuntur (& potissimum diaphragma) tunc enim, sanguis in præcordiis impedito libero motu, regurgitat tumultuariè, atque stagnatio, suffocationisque sensus inducitur.

Ideoque situ erecto corporis respiratio facilior fit, quoniam viscera abdominis faciliùs deorsum præmuntur, adjuvante eorum gravitate, & diaphragma liberiùs movetur.

Non semel difficultatur respiratio, ob imminutam sanguinis fermentationem, & torpidum in præcordiis motum, à sanguine crudo, viscido, acido, austero, seroso factum.

Ideòque hypocondriacorum plurimi, tum aliàs, tum hora una vel altera à pastu, aut à motu corporis difficili respiratione tentantur, quo tempore silicet chylus crudior, acidior sanguinis massæ confunditur.

Semper enim liquores acidi massæ sanguineæ de repente, ac affatim irruentes, circa præcordia, & vasa pneumonica msgnas turbas concitant, coagulationes moliendo, ęquabilem circulationem sanguinis deturbando, respirationem lædendo.

Prout injecto spiritu nitri, vel alio spiritu acido in canis vena subclavia quilibet experiri potest; nam illicò difficili facta respiratione, veluti strangulatus obijt, sanguine in grumos concreto.

Preterea difficilis respiratio, & astmatici affectus provenire consuevere dum pectus, & viscera in eo contenta, à naturali constitutione dejiectum alimentum in sui substantiam convertere nequit; sed illud imperfectè assimilando, in materiam crassam mucaginosam vertit, eadem ratione, ac intestina alimentum suum in dysenteria catarrhi forma evomunt.

Sunt etiam peculiaria venena (reticenda, ne improbis hominibus nequitiarum pabula præbeantur) quæ sua peculiari vi pulmonum innato calori, ac robori insidiantur, ut exinde probè nutriri, nec probè vitalia munera obire possint, dnm assiduas excrementis undique conflictantur.

Quæ tamen excrementa, causæ occasionales difficilis respirationis non sunt, sed potiùs producta morbosa.

A tali causa naturę hostili, ac deleteria difficultatur respiratio quandoque, dum partes motrices pulmonum, contractiones ac crispationes patiuntur. Nam fibras nerveas pneumonicas, & musculos respirationi inservientes occupans, spiritus incolas lacessit, qui in irregulares motus tumultuariè erumpentes, difficilem reddunt respirationem.

Fit denique difficilis respiratio, à ci-

bis

bis in stomacho corruptis vel etiam repugnantibus concoctrici stomachi, (ut fungi, qui ideò strangulatores dicuntur) vel à viscida pa'ta ventriculi oscula infarciente. Quæ etiam solò vomitorio propinato citissimè & felicissimè solvitur.

Auxilia.

AEr temperatus procuretur, Æstuans etenim sanguinem rarefacit, ac in pulmonum vasis turgescere facit, respirationem frequentiorem ac difficiliorem reddens. Frigidior vero pectori inimicus est, teste Hipp. & experientia.

Vitentur odoramenta, & potissimum quæ suavia sunt à fœminis, in quibus uterus facilimè in furores agitur, & integram respirationis cessationem molitur præfocando. Suffitus tamen ex gagate, myrrha, olibano comendabiles affluente catarrho sunt.

Animi motus omnes impetuosi vitandi, à quibus sicuti epylepsia, sic astma potissimum siccum, (quod pulmonis epylepsia ab Elm. vocatur) concitari consuevit.

Somnus, exercitium, mediocritatis limites non excedant. Partium potissimum exercitia inferiorum manè ante cibum facta, commendantur.

Violentiores sive corporis sive animi motus (ut ira &c.) arcendi sunt, ut potè qui sanguinem impetuosiùs ad pulmonem concitare valent. Vel circa cor detinere, ut per timorem, & tristitiam evenit.

Erectam figuram corporis in accessione servent, ut libere magis septum transversum dimoveri possit, neque à viscerum naturalium pressura angustietur.

Victus attenuas sit, bonique & laudabilis succi, ac humectans.

Tralliani documentum est, vt his copiosus potus exhibeatur. Per humidi enim abstinentiam periclitantur ne materia in pulmonibus exiccetur, atque rebellis fiat, ut per sputum excerni non possit. Utantur itaque mulsa ad frequentem oris, & gullæ ablutionem.

Panatellæ oleo amygdalarum, & saccaro pxæparatæ anelosis inservire poterunt. Caricæ cum melle. Cæpæ elixæ in ferculis, & potissimum in panatellis cum ovi luteis. Ex lacte artificiali pineorum amygdalarum, seminum papaveris parentur panatellæ vel hordeata. Cæpæ sub cineribus cum butyto, & saccaro.

Affecto pulmone (prout notat Jos Elm.) ut plurimum post assumptionem copiosiorum, & bonorum alimentorum, augetur catarrhus. Ideòque jejunantes melius habent.

Zechii experimento inter alimenta astmaticorum, tria potissimum comendantur, quæ alimenti, & medicamenti vicem gerunt. Videlicet jus caulium cum hysopo, & butyro recenti. Secundò hordei cremor cum melle vel saccaro. Tertiò cicerum alborum cremor, cum lacte amygdalarum dulcium, saccaro, & butyro recenti.

Ipse proficuam esse repetitis experimentis observavi ptisanam, mixtam cum pasta marciapani butyroque recenti.

Ex fructibus concedantur potissimum passulæ, caricæ, dactili, poma apia. Ex quibus etiam liquor saccari à taleolis deciduus utilis valdè paratur.

Potus sit aqua hordei cum melle. Vel decoctum glicerhizæ, hysopi, caricarum, passularum.

Diximus superiùs quod copiosior potus astmaticis interdicendus non est, potissimum quando pulmonum viæ à crassis viscidis humoribus occlusæ sunt.

Tunc enim humectatione plurima indigent, ut abstergi possint. Talis enim, & tanta potio esse debet in prandio, & cœna, quæ ventriculi coctionem deturbare non possit, neque cibum fluctuare faciat. Verùm post quartam, vel quintam horam à cibo, tam noctu, quam interdiù potiones potissimum medicatas offerre etiam copiosas, irrationabile non est.

Animadvertendum est etiam, quòd alia cura adhibenda est in accessione, alia extra accessionem (silicet pro præservatione) in qua licebit decocta, vina medicata, & alia, &c. infradicenda præscribere.

Præsente igitur accessione aer temperatus requiratur, vel arte paretur, ne silicet frigiditatis causa humor crassus incrudetur. Vel præ caliditate liquescat, & præcipitantèr ad pulmonem fluat ex capite, atque suffocationis periculum inducat.

Somnus in accessione vitandus, ob suffocationis periculum. Vel saltem brevis sit atque interruptus.

In accessione paritèr motus quilibet tum animi tum corporis obest. Sed sola lenis ambulatio in loco perspirato convenire potest, quæ crassos humores commovendo attenuare, & musculos concutiendo robustiores efficere, atque ad excernendum per insensibilem halitum quæ crassa sunt promovere possit.

Venus in accessionis lucta, omninò abigenda ac vituperanda, nam suis concussionibus ac laboribus, magis ad fluendum ad pectus, liquores omnes disponit. Non negamus vero quod extra accessionem in juvenibus, nuptis, atque huic excretioni assuetis, ac plenisuccis, tempestiva Venus convenire possit. Docet etenim *Hipp. 6. epid. sec. 5. Quod Venus morbis à pituita factis remedio est*. Crassos enim humores attenuat, discutit, & ob validam agitationem excito calore ac spiritu, excrementa ad ambitum corporis propelluntur, & dilatatis vasculis, & papillaribus cutaneis poris patentioribus factis eliminantur.

In accessione quoniam flatus crassi, & nebulosi cum noxiis humoribus admiscentur, difficilemque respirationem faciunt. Ideò cum expectorantibus flatus discutientia miscere utile erit, ut est oleum anisorum, essentia citri.

In materia potissimum tenui ac fervidiori præstat adhibere oleum amygdalarum dulcium ad unc.vj. cum unc.j. saccari candi. Vel etiam oleum pineorum cum quarta parte seminum papaveris albi expressum, quod summis laudibus celebratur. Quæ etiam olea cum pulvere saccari candi forma lambitivi propinare consuevi.

A nimis enim calidis expectorantibus, radice elemi, syrupo de peto, prasio, botride, & consimilibus validè etiam exiccantibus abstineo, vel cautè exhibeo; nam tenuiores partes absumendo, reliquas incrassare possunt, & sic contumacem affectum reddere.

Securiùs igitur ad expectorantia humectantia confugimus passulis, caricis, dactilis fructibus intermixtis.

Majorisque notæ medici præsente ortopnea jubent ut omni arte pulmo laxetur assumendo potissimum lambitiva ex oleo amygdalarum, vel pineorum, cum syrupo ex floribus papaveris erratici.

Rive-

Riverius de se ipso narrat quod laudano sumpto ad gr.iiij. vesperi eundo cubitum, impetrata quiete sanatus est.

Si febris adsit, æstus, atque massæ sanguineæ ebullitio fermentativa, dentur refrigerantia sanguinem dulcificantia, æstum, ac fermentationem modificantia. Ut sunt emulsiones ex quatuor seminibus frigidis majoribus, aliisque papaverinis, oculi cancri, lapis prunellæ.

Si suspicio sit de materia mucosa. viscida ventriculum infarciente, vomitorio exhibito deturbanda est, deinde amaricantibus, & potissimum elixire. Proprietas Paracelsi ex mirrha aloe, ventriculum ab acidis coagulatoribus liberare procurabis.

Pro his etiam stomachis frigidis flatu turgidis apliciti sacculi rebus carminatiuis in vino decoctis, anisi seminibus absinthio, &c. prosunt.

Præterea Zacutus Lusitanus observatione 7. in his condictionibus frigidis chiocolatam summis laudibus celebrat.

In acessione balneatio pedibus, tum frictiones asperæ à suffocante difficili respiratione multos sublevare potuit.

Verùm si sit asma siccum, quoniam prohibeantur spiritus animales (qui promptè confluere deberent ad motum pectoris, & pulmonum) ne influant, vel parcè, & inæqualitèr. Tunc exhibeantur succinum, sperma ceti (sed non rancidum) essentia croci, & Castorei in spiritu vini, aliaque nervorum fibriilas demulcientia. Hunc paritèr paroxismum sepè tollit tinctura opii, vel laudani cum nervinis cocleatim exhibita.

Non infræquentèr fit à chylo, vel sanguine crudiore, atque viscidiore, minusque spirituoso, visceribus naturalibus malè affectis, ac oppilatis (ideòque scorbuticis, & hipocondriacis familiaris est dispnea) quorum causa abdomem flatibus repletur, hi vero septum transversum comprimentes, difficilem faciunt respirationem. Mirè autem isti sublevantur à flatus discutientibus, atque aromaticis, & potissimum elixire proprietatis Paracelsi.

Si in massa sanguinea impurum serum sit fomes hujus affectus, decocto lignorum, tum dieta sudorifera adminiculo etiam viperini pulveris, & viperatorum ad moderamen deducendum est. In quo casu etiam vina medicata in usu ponenda erunt.

In accessione, non solum ob rationes superiùs alatas sed ut sputum facilè educatur, & tenaces mucositates in bronchiis pertinacitèr infixæ per sputum educantur, lambitiva propinanda erunt (vel saponeæ liquidæ antiquorum dictæ) ex pineis, amygdalis, tragacantho, farina amyli, seminibus cydoniorum, plantaginis, papaveris, radice liquiritiæ, passulis, caricis, dactilis, gummi arabico, saccaro penidiorum vel cando, & consimilibus fiant.

Rotulæ ex speciebus diatragacanthi, diasulphuris vel flores sulphuris, aut butyrum sulphuris, aut rubinum morbis hujusmodi humidioribus accomodari poterunt.

Pronti in siccioribus condictionibus decoctum limacium cum saccaro ingens auxilium est. Semper vero nisi obstent nimii pulmonum infarctus crassioris materiæ. Atque insignis sit virium omuium languor (& potissimum digestivæ) ad opiata confugere poterimus, & papaverina hora somni.

Potissi-

Potissimum si respirationis instrumenta à spasmodicis affectibus correpta esse suspicemur. Et adsint conditiones calidæ & siccæ. Hac enim via spirituum animalium inordinationes cohibentur. Atque cum somno tardior motus, & concoctio humoribus procuratur.

Pleuritidis causa, & auxilia. Peripneumoniæ & inflammationum internarum genericè.

INflammatio, quæ tumor est cum pulsatione, dolore & calore, à solo spiritu causalitèr, à materia verò morbosa occasionalitèr tantum ortum habet.

Observat enim Hippocrates calorem, & frigus non esse morbos, neque morborum causas immediatas, sed morborum causas occasionales esse amarum, acre, salsum, ponticum &c. spiritum verò esse causam efficientem primitivam, est enim impetus omnis causa, ideòque inflammationem facit suo impulsu.

Materialis causa est liquor secedens à massa sanguinea, vel alimenti in partem aliquam evasatio, dum enim à tubulis suis exit, in fibrillarum interstitia effunditur, per stagnationem verò acessit, & incrassatur. Stagnatio itaque causa universalis in tumoribus est, quod intestinus motus in stagnantibus liquoribus fiat.

Ex hoc pori partis à crassioribus particulis obstruuntur, circulatio interturbatur, pars in majorem molem augetur dum sanguis cum aliis liquoribus extra arterias fertur, neque resorberi potest adeò promptè à venis.

Partis verò poris, partim compressis, partim obstructis, fuligines naturalem exitum non habentes, fermentationem stagnantium liquorum magis adaugent. Prima tamen origo fuit ab humoribus primò liquatis, deinde frigore concretis, & acido in stagnatione prævalente.

Idea itaque communis inflammationum talis esse consuevit. Dum sanguis salinus, aquosus, terrestris existit, de nitro aereo spirituoso volatili, minus quam oportet participans, tenuitèr eventillatur. Imò depravatè in corde effervescens, atque ad angustiora vasa deductus, vasorum tunicis hæret (ob glutinositatem à sale depresso aquisitam) Imò vasorum pori ab illa humoris viscidi remora arctiores fiunt, & obturantur, quo fit, ut fuligines exitum sibi parare nequeuntes, denuò in sanguinem concidunt, qui fumo veluti obrutus, & ab hoc veluti fermento contaminatus, vehementiùs ebullit, & molle augetur. Atque parti in qua stagnat labem suam communicat, & inflammationem inducit, motu circulationis sanguinis impedito, inde necesse est vasa distendi, ac rumpi, sanguinem verò effusum, suarum partium mutua actione corrumpi.

Fræquens etiam causa inflammationum effætus sanguis, & evapidus est, dum per violentos motus, & præternaturales calores nimis rarefit; atque avolantibus ab eo partibus subtilioribus crassioribus remanentibus, hæc à spiritibus in pauca copia restitantibus frænari nequeunt.

Ad partem itaque debilem allabendo, minusque perspiratam ob aerem frigiorem, vel ob stypticantia extrinseca, concrescere, ac stagnare compellitur. Ob motumque ipsi denegatum, volatiles tenuissimæ partes tum

spi-

spiritus avolant. Qui salinas, tum acidos partes temperare solebant, quare acido prævalenre, in alcalicis acriùs pugnans, corruptionis, & mutationis in pus fœcundus fit parens. Communes habent causas, equè pleuritis, ac peripneumonia. Videlicet fiunt ambo ab aciditate peregrina, dum stagnantes liquores extravasantur.

A causis tamen procatharticis sanguinis massa prius agitari, atque præternaturalem fermentationem sortiri solet. Nisi enim plus justo effervescat à tubulis suis amplius spatium requirens non effertur. Nimis igitur æstuans cruor, spiritibus turgens, tenuibusque acribus particulis scatens, nimio facto motu, ac impetu, vasa disrumpit effususque ab arteriis sanguis, ob stagnationem, & moram in fermentum acidiusculum abit, & in furorem concitat Archeum.

Particulæ verò acres acidæ aculeatæ, cum sanguine mixtæ, sunt quæ rimas faciunt, atque nerveas fibrillas divellunt ab initio dum impetuosiùs concitatæ tubullorum fibrillas dilacerant, & sanguis per scisuras effluit, ac præternaturalem fermentationem subit.

Dicendo sanguinem, etiam serum & alios liquores in massa sanguinea comprehendendo. Nam ut plurimum tam pleuritis quam peripneumonia (qui teste Hippocrate non natura sed loco tantum differunt) à sero nimis fluido, acido & acri fiunt.

Inflammatio tamen nervosarum partium, omnium maximè peracuta est (pleura vero membranosa ac nervosa substantia est) tunc enim nervorum succus optimus, pessimas corruptiones subire, ac alterationes compellitur, à quibus inde gravia symptomata exurgunt.

Auxilia inflammationibus communia.

A Frigido externo corpus admodum defendendum est; ne libera perspiratio cohibeatur. Secus frigidiusculam auram haurire, semper (& æstate potissimum in febribus, ab inflammationibus ortis, optimum esset, in ægro obsequente, & qui coopore aptè contecto permanere gaudeat, absque magnis agitationibus.

Ad æstum adhuc moderandum, & liquorum asperitatem attemperandam, sanguineæ massæ effervescentiam imminuendam, proderunt emulsiones ex quatuor seminibus frigidis majoribus in aquis portulacæ, papaveris, plantaginis, vel in eorum decoctis.

A motu quolibet sive animi sive corporis vehementi abstinere debent patientes. Et ab iis omnibus quę validam commotionem in massa sanguinea, & effervescentiam inducere possunt.

Inflammationes verò universæ, quoniam in numero acutorum morborum recensentur, victui tenui tractandæ. Ideòque tum hordeata, tum universa fercula, quæ in prima apendice acutis morbis accomodari posse diximus, inflammationibus quoque aptissima erunt.

Sic & potiones refrigerantes inibi eligendæ erunt aqua hordei, vel alicæ decoctum.

In affectibus verò pectoris & conditionibus potissimum frigidioribus mulsa ex aqua hordei parata præferri solet, utpotè quæ exiccationem pulmonis non admittit, ut nec durior fiat, neque sputum incoscari possit.

Aetius ejus opinionis est, quod humiditas noxia sit pulmoni, ideòque pau-

paucum potum præſcribendum eſſe. Galenus quoque paucum præſcribit potum, comparativè ad magnam ſitim.

Verum ſi humores incraſſati in bronchiis hæreant, jubet potum multum, & crebrum. Pulmonum verò ſitis frigidi potiùs aeris inſpiratione, quam potulentis mitigatur.

Vinum univerſalitèr in quacumque inflammatione interdicendum eſt. In affectibus pectoris declinante morbo, & in condictionibus minus ferventibus vinum album dulce, tenue concedi poterit, ad virium reſtaurationem, & ſpuri faciliorem eductionem.

Affecto etiam pectore ſomnus elevato thorace procuretur. Atque à multa loqnutione ſe contineant. Si materia craſſa inciſione indigeat, mulſa adhibeatur, oximel, ſyrupus acetoſus, vel ſaccarum in aceto diſſolutum.

Gargariſmata nunquam intermittenda. Hippocrates namque *lib.* I. *de morbis*. Pulmones affectos magna indigere humectatione inſinuat. Monet inſuper quod *ubicumque ſputum glutinoſum apparuerit, ab exhibitione cibi abſtinendum erit, & ſorbitio tenuis dilutum hordei exhibeatur. Si vero concoctum appareat, confidentiùs cibum augere poterimus*.

Decoctum pectrale antiquorum ex hordeo, paſſulis, jujubis liquiritia, & malva ſatis accommodatum potulentum iſtis erit.

Pro aliis vero inflammationibus tinctura roſarum, julep Alexandrinum ex aquis deſtillatis cum aqua roſarum, & ſaccaro, addito etiam uno, vel altero grano canphuræ.

In inflammationibus potiſſimum internis, tenuiſſimus victus commendabilis eſt, nam ſanguinem minorare valet.

Situs cubandi, durante fluxu (in pleuritide potiſſimum) ſit ſuper latus oppoſitum. Verùm ceſſante ſit ſuper latus ægrum. Nam calefacta pars magis attenuat, ac rareſit, poroſque magis pervios efficit, magiſque concoquitur humor, & faciliùs prodit.

Sicuti à frigore læditur pectus, ità à calore moderato fovetur. Ideò ſorbitiones, & potiones affecto pectore nunquam frigidæ, ſed tepentes ſint.

Et quoniam calor à mutua particularum colliſione, ac fermentatione in inflammationibus contingere ſolet, qua ceſſante tenſiones, & dolores ceſſant. Ideò à calidis auxiliis aſſumptis, fluorem, ex fervorem maſſæ ſanguineæ exhibentibus, majoremque dolorem inflammationi communicantibus abſtinendum erit.

Materiæ inſuper influxus in parte prohibendus ab initio. Anodynis dolor leniendus ne major fiat ſpirituum cum ſanguine accurſus.

Digerentibus ac reſſolventibus in ſtatu agendum erit. Diaphoreticis tum internis, tum externis ſanguinis motus reſtituendus eſt ad naturalem.

Lentor, aciditas pravæque ejus qualitates emendandæ. Æſtus & fermentatio præternaturalis ſedanda. Coagulati ſucci diſſolvendi. Effuſi, & corrupti eliminandi. Acidi verò facti, alcalicis, aromaticis corrigendi.

Opiata potiſſimum in principio, & in condictionibus calidis, inter valida inflammationum omnium depulſoria auxilia numerentur. Tantum verò abeſt quod timor ſit ne in parte liquorum incraſſatio ſubſequatur quod diaphoreſim ampliorem ab eis expectabis factoque ſomno liquorum correctio, ac concoctio ſperanda, de-

pr-

pravataque fermentorum actio per papaverina ad moderamen deducenda.

Super inflammata vero loca externa quo vis tempore acidorum vim infringentia, absorbentia ac incrassata dissolventia applicari poterunt. Aqua calcis, calx ipsa, lixivium potissimum ex cineribus cephalicorum, sapo, spiritus vini canphuratus, vel crocatus, canphura saturni præparationes absque acidis.

Magnarum virium sunt in principio statim stibiatum emeticum quod vissidam acidam pastam à primis viis deturbet, & insuper per diaphoresim moveat.

Ab omnibus austeris, acidis, ac valdè salitis magno studio cavendum erit. Pars quæ semper laxior est roboranda.

Pleuritidis tum peripneumoniæ Auxilia.

TRansacta quarta die, aliquo coctionis signo apparente exhiberi poterit pomum excavatum, drac. I. thuris repletum, & cortum. Vel unc. vj. olei communis in aqua communi (sed mel us in decocto malvarum ebullitum, ac propinatum. Lenit enim dolorem, vias laxat, & expectorat, sed præterea induratam alvum cum fructu) soluit.

Oleo tamen amygdalarum dulci palmam cedere debet ad unc. vj. paritèr sumpto cum uncia una saccari. Verùm qui majori expectratione egent oleo seminum lini ad unc. vj. uti debebunt.

Lacte amygdalarum dulcium, vel seminum quatuor frigidorum pasta saccaro facta ac soluta panatelæ, hordeata & alia concinari debent.

Lac seminum papaveris, & melonum cum modico sale prunellæ assiduò in ore detineatur in condictionibus valdè fervidis.

Loco unguenti pectoralis (quod inflammatis unctuosum fortè parum conducere potest) terebentina, cum resina, & colofonia super alutam extensa majoris est emollumenti.

Mucilago seminum cydoniorum in aqua rosarum parata cum modico saccaro in ore detenta siccitatem faucium & pulmonum arcet.

Si de catarrhi continua destillatione ad pectus indicia constent, ea exhibeantur quæ superiùs in cura catarrhi exaravimus suffitus ex gagate, & alia, &c.

Mororum nigrum succus omni tempore aptari poterit, nam cum expectoranti dulcedine inest quædam acerba stypticitas, & lubrica humiditas.

Urgente potissimum dolore ac vigiliis, ut partium vellicatarum fibræ contractæ relaxentur, & quies subsequatur, ad opiata, papaverina ac anodyna confugiendum erit.

Nam præter quam quod spiritus animales demulciunt, ac leniunt (ne præ doloris impatientia feroces fiant) sanguinem plus justo effervescentem, & accensum, ad moderatam fermentationem deducunt.

Aciditatem, & humorum acrimoniam infringunt. Atenuatos etiam ac preparatos peccantes humores diaphoresi aperta, ac sudore provocato evacuant.

In condictionibus itaque tenuibus biliosis potissimum ut ad sacram ancoram ad opiata confugies, modo vires constent, atque non procul sit à principio, & nundum materia impacta sit, sed in via. Inter papaverina placida excellunt emulsiones ex seminibus papaveris albi, & decoctio

florum papaveris erratici, ac ejus syrupus.

Exteriùs etiam admodum prodesse possunt quæ anodyna sensitivarum partium sensum demulcent, oleum ex seminibus papaveris expressum, vel ex seminibus hiosciami, oleum amygdalarum dulcium.

At oleum cucurbitæ his temporibus in nostris regionibus celebre est antipleuriticum.

Verùm quia mihi olea in inflammationibus omnibus parum arrident, potius familiaria sunt fomenta in doloribus pleuriticis, quæ certo experimẽto mihi inotuere efficacissima esse ad dolores laterum tollendos vel mitigandos, si freqæentèr repetantur, neque integrè frigescere permittuntur, postquam calentia applicita fuere.

Parantur verò acceptis duodecim manipulis furfurum, florum camomelli manipulos tres. Seminum lini contusorum lib. 5. Salis marini unc. iiij. Aquæ, & aceti an ciathos tres. Hæc in sartagine posita calefiant, inde in sacculo posita applicentur.

Hac enim via, mediante actuali calore efumido extenuante, penetrante, attenuabitur materia stagnans incrassata, introductis particulis spirituosis, subtilibus, mobilibus, salinis, volatilibus.

Quandoque alternatim sacculos applicui vino incoctos, & aqua, aceto, sale, hysopo, & furfuribus miliaceis. A quibus viscositates solvuntur crassities inciditur, & sic materia coagulata fluidior facta, debitè mixta, & agitata, ad circulandum cum sanguine iterum admittitur, tubuli repleti laxantur, dolor remittit, à materia tenuiori liberata pleura, nam sensim postmodum crassiores reliquias fortior facta de se excutit.

Formulas consimiles fovendi pleuriticos, penès Hippocratem de ratione victus in acutis videre poteris. Atque bona fide testari possum, plurimos hac arte me liberasse. Nam hoc solo auxilio adhibito, absque venæ sectione, anacatharsi procurata ante septimam evaserunt.

Suffitus ex succino mastiche olibano sepiùs repetatur, ad capitis fluxiones moderandas.

Ad sanguinis fervorem attemperandum, diluentia aquosa exhibeantur, ac refrigerantia. Aqua florum papaveris, violarum cum sale prunellæ.

In pleuritide pituitosa, cum primarum viarum infarctu, vomitu procurato, vel vomitoriis propinatis victoriam ab initio certum obtinebis. & hoc solo auxilio plurimos à morte vindicatos vidi, inhærens experimentis Rulandi.

Ab initio dolori sedando, totus intentus eris, tum externis, tum internis. Quo præsente inflammatio augetur & fluxio. Quo cessante omnia tolluntur.

In progressu apponenda erunt calida, emollientia, laxantia, concoquentia, discutientia, ressolventia unguentum pectorale axungia gallinarum; sed terebenthina, cum colophonia super alutam aplicita efficacissima est.

Peccante etiam materia crassa viscida, & declinante inflammatione externa fomenta cum sacculis repletis malva, geranio, hysopo, altea proderunt.

Sed præ cæteris auxiliis efficacitèr operantur cæpæ in lactæ ad pultis consistentiam coctæ, lateri applicitæ, ad tenacium expectorationem, & coagulatorum dissolutionem.

Præsentibus biliosis condictionibus, ac magna siti manè jejuno stomacho

dentur

dentur emulsiones ex 4. seminibus frigidis cum lapide prunellæ, tum vesperi decoctum florum papaveris cum eodem syrupo.

Interdiù verò lac artificiale ex 4. seminibus frigidis majoribus gargarizandum assiduò tum sensim deglutiendum. Aliaque consimilia exhibenda quę copiosum serum ad sanguinis massam inferant, culinas à salibus acribus eluant, & ad vrinæ vias secum ducant.

In dictis itaque emulsionibus in aqua florum papaveris factis, vel in decocto florum papaveris erratici addi poterunt pulveres mandibulæ lutii, cornu cervini, ossa capitis lutii, nitrum. Cruor hirci pulverizatus ad drac. j. more Elmontiano præparatus. Sed florum papaveris erratici pulverem fortè omnibus præcellere experientia fateberis. Oculi cancri, pulvis corallorum, papaverinis admixta cocleatim tum alia quacumque ratione (etiam in ferculis) exhiberi poterunt.

Pro inflammationibus internis, tum externis generalia auxilia.

QVoniam his æstuosæ febres annexæ esse consuevere, ideò posca frigida, vel aqua rosarum cum canphura testibus applicita (potissimum capite consentiente, ac dolente) validè effervescentias omnes sedat.

Oleum amygdalarum dulcium ad uncias quinque, vel sex cum unc. j. syr. ex floribus papav. erat, magnum alcalicorum biliosorum frænum esse comperies.

Fumus aneti, à furfuribus in olla effervefactis elevatus, ab inflammatis extremis partibus susceptus. Vel sacculus factus ex jisdem furfuribus aceto aqua, & sale madefactis, supra tumores, & dolores ubicumque locorum applicitus, potentèr coagulata solvendo sanat.

In principio, existente potissimum materia tenui ad fluxili, sepiùs in die exhibeantur refrigerantia fluxionem cohibentia, ebullitionem ac fermentationem sedantia. Inter quæ papaverina excellere certum est.

Enemata ex lacte vacino vel præstat lacte artificiali ex 4. sem. frig. cum butyro, nitro applicita, magnarum sunt virium.

Emulsiones itaque ex 4. sem. frig. etiam concleatim adhiberi poterunt. Imò etiam in fotu externo. Insessus tamen in lacte, his anteponi debet.

Ad stagnationes arcendas, & coagulationes exhibeantur sudorifera interna, volatilia, tum fixa. Tum decoctum lignorum. Spiritus vini canphuratus. Elixir vitæ paratum cum mirrha, aloe, canphura, in linteis duplicatis exceptum.

Si tamen spes sit nos vias fluxionis intercludere posse, & pauca sit materia jam in parte recepta, neque valdè coagulata. Tunc linimentum ex unguento infrigidante Galeni, rosato Mesves ana drac. ʒ. cum oleo sem. papar. albi expresso drac. j. & saccaro Saturni scrup. ij. aptissimum erit. Si insuper per os tunc exhibeatur lapis prunellæ, saccarum saturni, canphura ad pauca grana in aqua florum papaveris.

Nisi certus sis de materiæ peccantis ressolutione in inflammationibus, semper à nimis calidis, & effervescentiam inducentibus abstinere debes, prout etiam ab omnibus acidis debilibus, & coagulantibus, nam accida validissima dissolventia (ut est balsamum cau-

sticum nostrum) dolores omnes, tumores, inflammationes tollere valent.

Qui his carent, securiùs lacte virginali, ex saturni elicita tinctura in spiritu aceti, & oleo tartari & succo limonum. Vel sale saturni in mortario plumbeo, & oleo amygdalarum facto linimento utantur.

Si spes sit de toto, vel capite multam materiam ad partem debilem fluxuram non esse, tunc pars foveri poterit externis tepidis fomentis, quibus vasorum obstructio reseretur, materia attenuetnr, iterumque ad circulandum cum sanguine promoveatur.

Quod impetrari poterit spiritu vini turgido croco, & canphura. Tum valido cinerum cephalicorum lixivio, tum aqua calcis, & dicto spiritu vini, ac sale saturni, linteis duplicatis, calidè sepiùs repetitis.

Valet præterea aqua calcis tepens in qua copiosus sapo dissolutus sit. Tum epythema ex carduo benedicto, scordio, absinthio cum farina lentium in vrina, vel lixivio coctis. Tum tinctura myrrhæ, aloes, croci in spiritu vini.

Pars etiam inflammata crebro foveri poterit decocto sulphuris cum vrina. Tum spiritu vini canphurato rosmarini essentia turgido, aqua reginæ Hungariæ dicto. Denique sapo, canphura, spiritus vini crocatus, vel canphuratus, calx, lixivium, quovis tempore adhiberi possunt. Nam sanguinem, & humoris effusos, coagulatos, vel corruptos, acidos factos corrigunt, dissoluunt, & ad exitum parant.

Transacta itaque occasione principii, ac fluxionis, cavendum erit à repellentibus, & incrassantibus. Extravasatæ enim particulæ ex arteriis, à venis incrassatæ difficultèr ressorberi queunt, sed præsente statu inflammationis, quantum fieri potest attemperentur, tum externis, tum internis acida imbibentibus.

Atque dum ad suppurationem accelerat materia crassa frigida, vel quia pori pertinacitèr obstructi sint, neque subtilium partium auxiliis, atque ressolventibus auscultent. Tunc maturatio promovenda erit iis, quæ papillarum cutanearum externos poros obstruant, juxta decretum illud Hippocratis: *Quæ concoqui debent, oportet esse conclusa, contraria verò aperta.*

Hac enim occlusa via, interior promovebitur fermentatio. Pro hac itaque intentione exequenda valebunt glutinosa, viscosa, pinguia, mollia. Dum enim conficitur pus, emollientia cum ressolventibus incoqui poterunt.

Sic lac in quo copiosus sapo Venetus incoquatur tepidus applicitus cum linteis maturum reddit abscessum facilemque disruptionem promovet. Sic vitella ovorum cum farinis in lacte Coctis in materia fervida. At in materia frigidiori crassa, cæpæ in lacte coctæ applicitæ, aptiores erunt.

Abscessu jam aperto ut vulcus jam mundificetur ab acido acri liberandum est. Spiritu vini canphurato, vel aqua Reginæ Hungariæ, calcis vivæ, balsamo Peruano, vel sulphuris.

Tandem ad vlcus carne replendum, ac cicatrizandum, sal saturni, cerusa & consimilia sufficere poterunt, myrrha admixta.

Sputi

Sputi sanguinis Causa, & auxilia.

PRæcedere solent ad Sputum sanguinis, indicia sanguinis acescentis. Videlicet calor, sitis, pruritus ac irritatio in gutture, sapor salsus in ore, gingivarum ulcuscula, ac rimulæ sanguinem fundentes.

Prodromi etiam esse consuevere flatus multi impetuosiùs commoti. Summa plenitudo vasa universa distendens, cum rubore faciei. Vasorum insuper durities, ad hunc affectum disponit. Habitus pletoricus. Pectoris angustia. Tubulorum sanguifluorum exilitas. Tussis. Suppressæ consuetæ evacuationes. Violenta exercitia cum spiritus retentione. Excandescentia ac ira multa repentina frigidus aer, cuius proprium est contrahere, constringere densare, indurare vasa, ideòque ruptioni exponere prout observatur Hippocr. 5. *aph.* 24. *& 6. epid. sec.* 3. *tex.* 14. sic: *Frigidum valdè venas rumpit, tum movet.*

Dum sanguis per nimiam, & præternaturalem fermentationem mole augetur rarefactus; æstuat. Transpiratio dum per poros cutis à causis procatharticis, vel à frigido externo impeditur. Tunc furiosiùs adhùc effervescit fumida evaporatione imprægnatus mole augetur, & ampliora spacia requirens vasa disrumpit.

Fermentatio etenim, quæ vitalis in corde celebratur, à sale acido, & alkali moderatis, pacificè, & sine tumultu peragitur. At ob unius, vel alterius salis excessum, vel defectum ab hoc statu pacifico deturbatur, Inde sanguinea massa acrior, vel fluidior redditur, & hac ratione ad conceptaculorum suorum rupturas, & extravasationes disponitur.

Hæ ut plurimum fiunt à nimia sanguinis fluiditate, Vel à seri abbundantia. Vel à sale volatili simul, & acri, sanguinis massam fundente. Et ob impetuosum motum non solum progressivum, sed intestinum fermentationis vasa disrumpentem, vel eorum oscula patula reddentem.

Salia etenim corrosiva acria, acuminata, scindentia, benignorum succorum demulcientium mixtura destituta, veluti enses evaginati tenellas sanguifluorum vasorum membranas discindunt, ac violentèr sibi vias aperiunt.

Rariùs evenit, quod tenuior, ac serosior sanguis per vasculorum sanguineorum tunicas transudet.

Auxilia.

AD salia illa acria, arteriarum, vel venarum tunicas scindentia, & rimulas efficientia obtundenda, scopi dirigendi sunt, atque demulcientibus invaginanda, vel aqueis diluenda. Ad naturalem crasim sanguis deducendus. Naturalisque, & blanda ejus fermentatio procuranda.

Aer eligatur, qui potius ad frigidiusculum vergat, à quo sanguis potius cogatur, & incrassetur, & ejus impetuosam effervescentiam coerceat. Calens etenim aer aperit, fundit, fluxionesque omnes, tum sanguinis solutionem promovet, ac sanguinem magis rarefieri permittit.

Sic nimis frigidus ob rigidas particulas quibus abbundat, ad scisuras, & ad continui solutiones faciendas paratus, vitandus. Experimento etenim Hippocratis *in 3. aph. 5. tusses facit, faucium asperitates, dolores laterum. Tum 3. aph. 17. Aquilonios flatus,*

flatus, dolores circa thoracem facere docet, & aph. 23. Hyeme pleuritides, & peripneumonias (frigiditatis pectori hostilis ratione) fieri insinuavit.

Ira impetuosa, & quæcumque sanguinis effervescentias concitare possunt, vitentur. Non minus etiam timores mærores, & quæ sanguinem ad cor retrahere, vel confugere faciunt, & versus pulmones promovent. Nam in complicatis horum tubulis conculcatus acrior fit, & paratur sibi vias præternaturalitèr aperire dilatare, vel erodendo novas facere solet.

Venus paritèr tuta non est. Corporis enim violenta agitatione, spiritus contentione, vel frequenti respiratione facta, sanguinis fermentatio cum pulsu augetur, liquores omnes funduntur, & massa sanguinea attenuatur.

Ideò tutum est pro his, ut ab omni tum corporis, tum animi motu se contineant. Atque somno potius quam vigiliis se tradant. Somnus tamen sit moderatus, hic enim vires reficit, liquoribus præternaturalitèr effervescentibus quietem inducit. Spirituque ac calore ad interiora revocato minor fit massæ sanguineæ effervescentia, ac tardior conciliatur motus, unde neque per superiora, neque per inferiora fiunt expulsiones, ut benè notat *Hippocr. 4. aph.* 15. Somnus etenim evacuationes omnes retinet, excepto sudore, quem magis provocat.

Ad illos verò qui per somnum revocari calorem ad pectus. Calore vero ad pectus revocato majorem fieri sanguinis ebullitionem, majoremque ad fluendum aptitudinem acquirere putant Respondemus hujusmodi mala ab immoderato somno proveni-re (ut de conservanda valetudine in proprio capite ostendimus) In moderato verò somno magnam cognoscimus utilitatem ex tardiori liquorum omnium motu, & retrocessione spirituum animalium ad arcem suam.

Minima verò noxa est, quæ ab interna retrocessione caloris consequitur. Hinc est quod narcotica, & soporifera cum tanto fructu exhibeantur.

Quies, & silentium valdè conferunt; nam vocis articulatione spiritalium partium calor major fit, vasaque dilatantur, & sanguis fluxilior fit.

Incrassantia, & potissimum lac vaccinum illicò exhibendum esse præcipit *Hippocr. lib. de inter. affect.* dicens: *Non conducit in hoc morbo tenuem esse.* Hac etiam ratione papaverina cæteris auxiliis palmam præripere observantur, quæ sanguinis æstum, ac effervescentiam omnem moderantur, saliumque asperitatem attemperant.

Per soporifera etiam evacuatio omnis conquiescit, fluxiles tenues liquores incrassantur, & ad motum inepti redduntur, potissimum si cum succo plantaginis, portulacæ, bolis, coralliis aliisque validioribus adstringentibus propinentur, illicò ab initio, præsente imodico sanguinis fluore.

Si etenim initiora adstringentia, vel non valida narcotica prius experiri volueris, extra artem facies. Nisi enim dilaceratio, ac vasorum apertio statim consolidetur, tum fluor, & tussis cohibeatur, exigua spes est imposterum ut sanetur.

Nam phlegmone post primos dies circa labia disruptionis insurgente, fit vulcus purulentum. Ex hoc postmodum tabes irreparabilis consequitur. Juxta observationes Hippo-

po-

pocraticas *in 7. aph. 16.*

Si itaque adstringentibus intus assumptis sanguis compesci nequit, etiam exterius adstringentia validiora admoveantur. Posca, aqua vel succus plantaginis, portulacæ, solani cum bolo.

Saturnina linimenta, & unguenta styptica refrigerantia, potissimum si æstas sit.

Præcipua verò ars uersari debet in optima instituta dieta, & proportionata electione ciborum. Ova sorbilia tepida Mattheolus consulit. Tum plantaginis, & portulacæ usum quocumque modo. Valet farina tritici (sed amylum præferri debet) in aqua, vel decocto plantaginis ebullita, & more lambitivi sensim assumpta.

Pisces optimæ notæ carnibus ipsis præferri debent, tum limaces, ranæ, testudines, anguillæ, ex quibus gelatinæ optimæ parari possunt, potissimum ex passere.

Inter fructus sorbæ, corniolæ, mespilla, onfacium. Farinam etiam in lacte caprillo coctam liquidissimam sorbere expedit.

In hoc proditorio affectu, transactis primis diebus in quibus sanguinis sputum apparuit, cessat timor, & miseri ægrotantes, se omninò evasisse putant, liberèque vivendi rationi se tradunt, donec iterum atque iterum per repetitas sanguinis excretiones se ęgrotare commonefiant, & tardè ad auxilia confugere magno suo exitio decernant.

Ideò qui benè sapit, magis de prophilaxi sollicitus erit, quam de sistendo sanguine, quem sola posca frigida exhibita illicò semper cessare observavi, & paucis aliis administratis.

Sequenti igitur tempore, ab acribus, salsis, oleo frixis, acidis, nimis pinguibus abstinere debent. Tum à laboribus vehementis, ab ascensu locorum acclivium, cursu, & aliis frequentem respirationem inducentibus. Secus his erroribus comissis, & sanguinis sputo recidivante, fit morbus pejor priore.

His paritèr acetum suspectum esse debet, tum acida, ne contractionem fibrillarum asperæ arteriæ mollientur, & exasperando vias, tussim concitent.

Sitis huic morbo prodest, & à vino abstinentia vel si vinum propinandum sit, oligoforum Galeni sit, vel lignis, & cephalicis medicatum. Vel exiguus potus sit vini granatorum, vel amare narum aqua plantaginis diluti, syrupus myrtinus compositus sanguinis fluores omnes tollit.

Abstineant ab iis, quæ multum sanguinis (& potissimum fervidi ac fermentabilis) generant.

Alimenta præstant refrigerantia, adstringentia, vi emplastica prædita. Ut hordeata cum modico aceto amygdalata, orizata, panatelæ in lacte artificiali, gelatinæ ex extremitatibus animalium. Amylum cum lacte naturali, tum artificiali.

Cum esculentis semper aliquid succi mali punici, vel aceti rosacei addi poterit. Aliaque multa in usu poni poterunt, quæ in appendice prima de victu incrassante profusè exaravimus.

Lactaria universa pro his valdè comendabilia sunt. Aliquos vidi meo consilio ab imminenti tabe liberatos, qui loco vini per annum lacte & lactariis usi fuere.

Galenus primis tribus diebus victu tenuissimo utitur solas sorbitiones hordeatas, refrigerantes propinans, ut febrem, & inflammationem circa vas ru-

ruptum arceat. Alica igitur, ptisana, oriza cum amylo & lacte, imò lac statim ab initio solo, atque longo tempore cum victu lacteo usus est *Trallianus lib.7. cap.1.*

Primis etiam septem diebus à sanguinis expuitione opiatam cocleatim summerè conducet pluries etiam in hora, ex syrupo de papavere, aqua ejusdem, & confectione hyacinti cum copioso pulvere corallorum, vel lapidis hematites.

Conserva paritèr rosarum, syrupus de rosis siccis cum prædictis pulveribus, vel succino præparato seu trochis de succino, erunt apta auxilia.

Curandum erit interim, ut segregati serosis humoribus, sanguis pristinam suam crasim recuperare possit quod fieri poterit decoctis sudoriferis, tum per urinam evacuantibus oculis cancri, sale prunellæ, & emulsionibus, ex seminibus peponum in aqua saxifraggiæ, papaveris.

Per frigidam poscam gargarizatam, semper mihi contigit videre sanguinis excretionem conquievisse. Deinde syrupo de portulaca, vel plantaginis, vel succi granatorum pro lambitivo adhibito, recidiva avertebatur.

Quoniam adstringentium validorum usu continuato quandoque sanguinis extravasati sputum supprimitur, & respirationis difficultas oritur. Ideò optimum consilium est, per intervalla recurrere ad ea, quæ pectus leniunt, sed tamen sanguinis sputum cohibere valent, ut amylum, aqua cum syrupo ex floribus papav. erat.

Si verò jam de sanguine in thorace concreto inditia sint, oxicratum offeratur. Quod ut jucundum fiat, neque ob acetum copiosiùs tussim moveat, saccaro attemperetur. Huic paritèr intentioni inservire potest julep acetosum, vel mulsa.

Ad vasa aperta consolidanda, & dilaceratas fibrillas agglutinandas vulneraria exhibeantur. Conserva rosarum antiquata, cum pulvere corallorum, Pomum excavatum, coctum cum olybano. Gargarismata cum succo granatorum diluto aqua plantaginis, vel succo onfacii & sapa, optima sunt.

Universalitèr Cibus refrigerans sit, & incrassans, viscosus, glutinosus. Ut lac, cremor hordei, pedes vitullorum, glutem piscium, oriza lacti incocta, pulmenta ex avena, ex amylo, tritico.

Ex fructibus concedantur acidiuscula, pruna Vngarica, pyra, cydonia, mespila &c.

Vitent concoctu difficiles cibos, acres, salitos piperatos, aromatizatos, impensè dulces, utpotè occultum acidum in se habentes, ut sunt saccarata, & mellita omnia sincera.

Potus sit hydromel, aqua hordei, emulsiones ex seminibus frigidis, decoctum lignorum.

Vitentur quæ sanguini effervescentiam inducunt spiritus in furorem agunt, ut facit Venus, & aeris ęstus, laboresque improportionati.

Paradoxa videtur, veritati tamen consona doctrina est *Galeni libro de vena sectione advers. eresistrat.* Quod *inedia sanguinem incrassat, & ad fluendum ineptiorem reddit.* Dum enim humido quo antea abbundabat privatur, magis siccescit, magisque concretus fit, ac tardigradus ad fluendum. Per exhibitionem ergo pauci alimenti, paucus sanguis regeneratur & sic natura quæ profundendo prodiga erat, vitæ thesaurum retinendo, fit avara.

Nisi

Nisi igitur vires admodum langueant, victus tenuis instituendus est. Præterea consilio Hippocratis 7. aph. 37. Qui sanguinem vomunt, curentur refrigerantibus, & adstringentibus, seu incrassantibus adstringentibus, quæ fluentes humores coerceant. Et hac ratione alimenta stypticantia, acerba sanguinem spuentibus rationabilia sunt.

Amylum paritèr accomodatum, censetur, quoniam emplasticum est, vasaque obturandi, humoresque incrassandi vim habet, lentum præbet succum, & incrassantem, mediocritèr refrigerando. Leni exiccatione acria lenit. Cum aliquo succo adstringente dissolvi potest, vel cum lacte naturali aut artificiali, & saccaro ad ignem modicè crassescat. Valet posca tum propinata, tum extremis admota manibus & pedibus, sed potissimum testibus applicita. Vinum granatorum.

Quia verò à sanguine concreto intus relicto quandoque lætalia symptomata contingunt. Nam pulsus fit paruus frequens. Æger fit anxius, hinc indè volutatur, cum aliqua animi exolutione. Ideò illicò occurrendum erit incidentibus actu calidis, & potissimum oximelite, vel posca. Sed si tussis ingens vexet tutius auxilium erit lixivium tenue, cum portione theriacæ.

Phtisis causæ, & auxilia Marcoris, atrophiæ &c.

NOn levibus indiciis conjicimus cum scola Anglicana nervos non solummodo spiritus animales deferre, sed tubulorum more etiam nutritionem partibus albis, ac spermaticis adducere. Primò quoniam vulnerato aut inciso, seu notabilitèr læso nervo ex. gr. brachii, pars infra incisionem tabefieri solet.

Secundò quoniam in paralysi Ex. gr. brachii, primò intumescit pars, deinde omninò amisso sensu, & motu tabesit.

Tertio quoniam in hecticis multum prodesse comperitur, si circa nucam, & spinalem medullam inunguntur medicamentis nervos deobstruentibus ac roborantibus.

Quartò quoniam in rachitide (morbo capitis) apud ad magnam molem excrescit, & benè nutritur, dum interim cæteræ partes infernæ contabescunt. Indicio satis manifesto, quod à capite, præcipua nutritio venit.

Quintò in vulneribus partium albarum, seu nervosarum assiduò extillare comperimus materiam albugineam nutritiam.

Sextò quoniam nulla fermè tabes contingit, absque signis læsionis capitis, ac cerebri.

Septimò quoniam id quod à nervis extillat, vel fibris nerveis, ovi albumen refert, atque nutritia eorum substantia est, quæ ad ignem concrescit, & à nobis sub titulo liquoris nervorum albuginei passim in nostris scriptis celebratur.

Ab hoc liquore frequentior phtisis causa venire consuevit; dum enim acidus, acris, impurus, etherogeneus, massæ sanguinis confunditur, & ad pulmonales vessiculas tenuissimas defertur, fervens, implens, distendens, corrodens, extravasari affectans, disruptione facta, atque in ampliorem locum receptus ab humidi loci calore, ac particularum suarum inversione exaltatis sulphuribus in pus vertitur. Quod invadens acredine suo locum per quod exiit, irritat, inflam-

mat, denique ulcus sordidum reddit, atque pessimum hunc affectum denominat.

Est enim phtisis vulcus salinum pulmonum (silicet à materia acri, salina factum) cum macie totius corporis, & febri continua. Omnis autem erosio à sale fieri consuevit. Quandiù verò sal noster balsamicus, viscosa sulphuris dulcedine, atque nectarea mercurii irrigatione contemperatus, proportionales confederationis leges servat, tandiù talis vnitas, & vigor conservatur. Quando verò effervescens, ac turgescens à reliquis divortium facit, quietem invenire nescit, nisi postquam in amplam capacitatem effundatur.

Ab acido igitur hoc sale sanguinis balsamica conditio dum alteratur, fiunt erosiones, ac inflammationes in pulmonalibus vessiculis, & phtisis in actum erumpit.

Aeris borealis, acutis salinis particulis impregnati pneumonica instrumenta indurantis. Vel aeris æstuantis, ac sanguinem plus justo rarefacientis conditiones, in causa quandoque sunt scissuræ in vasis sanguifluis pulmonum, postmodum inflammationis, atque vlceris purulenti. Tenera namque pulmonum substantia extrinsecorum impetum ac violentiam diù, ac valdè tollerare nequit. Sed vulnere inflicto, loci fermentum corrumpitur & alienatur, pulmonisque archeus ad tabem disponitur.

Equè serum nutritium nervorum, ac cruor sanguineus, à naturali dulci condictione sua alienus, partibus nutriendis ineptus, acris, corruptus, vitiosus, naturæ odiosus, ad pulmonum vasa confertim accurens, vasorum apertionem facit. Simbolum verò succum conferunt alimenta acria, salita, corrosivis qualitatibus imbuta quæ antea suscepta fuere. Tum causæ procatharticæ præter naturalem calorem, & acredinem salinam corosivam in sanguine inducentes.

Quandoque tabem, seu potius flacciditatem pulmones contrahunt, à sanguinis massa acidiori facta, ideòque (lactis, & liquorum ethærogeneorum more) in partes secedente, ac serositates suas ex arteriis in pulmonum substantiam suffundente, nutritionem interturbante.

Isti ergo liquores (sed potissimum serum nervorum nutritium corruptum) acrimonia sua muriatica, salsa ad sepiùs tussiendum vellicantes pulmones, eosdemque fatigantes, extravasati, corrupti, acres, innatas vires pulmonum prosternunt, ac nutrimenta eorum corumpunt. Istis verò corruptis liquoribus manum porrigere solet chylus crassior, acidior, à depravato stomachi fermento acidiori genitus. Qui ad ductum thoracicum versus cor translatus, ad pulmones exulcerandos copias suas adducere consuevit.

Atrophiæ ac deficientis nutritionis causæ.

NVtritionis operationes læduntur, vel culpa spirituum, vel canalium, vel succi nutritii, vel partis nutriendæ.

Spiritus peccare possunt quantitate, vbi sufficiens eorum copia non suppeditatur, quod fieri consuevit potissimum, ob nimiam senectutem. Vel ob cibos acidum, vel improportionatum crassum chylum præbentes, reficiendis spiritibus ineptum. Vel ob inediam, paralysim, aut evacuationes nimias. Vel dum ad alias actiones vocantur ex. gr. meditationes pro-

fun-

fundas, curas, amores &c. in his enim nimis occupati, nutritionis negotiis debita adminicula ſubtrahunt.

Qualitate peccant & motu ſpiritus animales vbi ipſis admixtæ ſunt particulæ ſalinæ, acidæ, viſcidæ, quæ motum eorum, & vigorem impedientes, ipſos torpidos reddunt.

Canaliculi nervei læduntur, a vaporibus ſeu potius à ſpiritibus ac particulis narcoticis ſulphureis quæ animales ſpiritus contrarietatis ſuæ ratione compriment, ac extinguunt, ut particulæ mercuriales, arſenicales, quæ in metallurgis artuum debilitates, tremores, contracturas, ſed potiſſimum ariduras efficiunt.

Canaliculi nervei culpantur quando indurati, obſtructi, ſpiritibus animalibus liberum curſum, & motum denegant, inde ſenſum, & motum, & per conſequens ipſam nutritionem impediunt. Quod fieri ſolet à particulis auſteris, craſſis, acidis, ſtypticis, à tumoribus, luxationibus, & alijs, &c.

Succus verò nerveus nutritius albugineus, cum ſpiritu animali ex cerebro dulcis, vel ſaltem blandi ſaporis defluit, omneſque fibras, ac ramulos nerveos in toto corpore replet, ut nutrimentum ſpermaticis albis partibus diſpenſet. Si itaque præternaturalibus ſaporibus acidi, amari, ſalſi, aut aliis imbuatur, naturæ hoſtilis fit, ac nutritioni ineptus.

Partis verò nutriendæ officium eſt ſucco nerveo per pulſionem ac motum oblato fibras ſuas & porulos legitimè dilatare, & quale ac quantum ad ſui nutritionem ſufficit, per canaliculos ſuſceptum diſpenſare.

Atrophia verò quoniam alia univerſalis, alia particularis eſt, ambo tamen à fruſtrata nutritione fiunt; cujus prima rudimenta, ac initia ab optima chylori in ventriculo fundata ſunt.

Chylus itaque per venas lacteas, ac ductum thoracicum ubi ad cordis ventriculos pervenerit, in eis fermentari, attenuari, ac incidi ſolet. Inde magno cum impetu, ex ſpatio latiori ſemper in anguſtius transfertur, factaque in cerebri cortice ſeparatione rubicundæ partis, & albugineæ ad cerebri glandulas transfertur ac ibi ulteriùs depuratus ac concoctus, ſpinali medulæ (maximo trunco cerebri, aortam cordis referenti) diſpenſatur, inde poſtmodum univerſis nervis, ac fibrillis nerveis, (quæ univerſi ſpermaticis partibus pro tubulis inſerviunt) diſtribuit.

Hujus itaque albuginei ſucci particulæ dulces, oleoſæ additum habent ad ſingulas partes albas nutriēdas, quæ cum invenerint porulos in eis, qui figuris ſuis, & ſuperficiebus accommodati ſint, illic invento inſito fermento coagulatore in parte nutrienda hærent, & agglutinantur pororum lateribus, & ad tempus quieſcunt.

Ad harum itaque partium ſolidarum nutritionem requiruntur particulæ tales, quæ leni ſua ramoſitate, ac flexibilitate poris partium ſeſe accommodari poſſint, atque eorum lateribus applicentur. Quales ſunt blandæ oleoſæ, quæ juxta ſe invicem facilè accommodantur.

At humidæ nimis glabræ ſunt, & anguillarum inſtar lubricæ per eandem portam per quam admiſſæ ſunt, facilè relabuntur, & exeunt. Quod nutritioni valdè improportionatum eſt, quæ quietem aliquam de ſe expoſtulat.

Acidæ igitur, aqueæ, ſalinæ, tenues, amaræ, valdè mobiles parti-

culæ nutritionis negotio improportionatæ sunt. Sed ex his modificatæ pro vehiculo oleosis inservire possunt.

Atrophia adhuc quandoque contingit dum ob arescens nutrimentum, exiccantur & vasa. Arescit verò ac deficit alimentum per nimiam spirituum, ac sanguinis evacuationem, ut in vulneribus, ulceribus, vel nimia facta succi albuginei nervosi per coitum profusione. Vel ob nimios labores sudores, inedias, vigilias. Tandem ob nimias qualescumque evacuationes.

Fit & quandoque atrophia à lentore, pigritie liquorum nutritiorum circulantium, qui ob crassitiem, concretiomem ad angustos canaliculos pervenire non possunt, neque ad loca nutritionum. Hoc tamen ut plurimum contingit ob liquorem chylorum acore imbutum, ac incrassatum ideoque ad circulandum ineptum, angustos tubulos obstruentem.

Non infræquens est etiam atrophia ob insignem vasorum ad partem tendentium læsionem, vel ob compressionem externam, tumores, aut alia ratione impedito transitu nutritionum liquorum.

Marcescit etiam ac contabescit corpus ab acrimonia puris in phtisi. In pure etenim multum salis acidi corrosivi latet, qui nutritioni omninò contrariatur atque aglutinationi.

Uno verbo tandem, massa sanguinea quoties cumque valdè inquinata fuerit, vim suam nutritiam amittit, & pro excremento computanda est, non pro nutrimento.

Auxilia tabi, ac atrophia.

Quoniam aer ad pulmonum vitia tollenda, vel augenda plurimum conferre solet. Ideò Galenus mittebat ægros suos ad Tabias (erat hìc locus altus siccus, propè montem Vesuvium, non procul à mari) In hujus defectu, ex thure, myrrha benzoino suffumiggia parentur aerque cubiculi moderatè calescat, nam frigescens tusses concitat.

Candelæ etiam effumantes, vel carbones effumantes, ex pulvere carbonum, thure, mirrha, aloe modica therebentina, & cera excepta, proportionata his affectibus auxilia erunt. Siccus enim in passivis aer esse debet, ulceris ratione habita. At ratione febris in activis frigore, & calore debet esse temperatus.

Si æger non sit admodum invalidus maritimum iter aggrediatur. Maris etenim aer, ob salsedinem ulcera exiccat, eorumque sorditiem absumit.

In æde recentèr constructa, seu in cubiculo calcis exhalationibus corosivis, acribus imprægnato æger non detineatur. Nam de C. Mario narrat *Valerius Maximus libro 9. cap. 12.* quod arecenti calce illito atque per calefacto cubiculo, invictus dux à vita decedere coactus fuit.

Mineralium quoque fossores, tum inauratores, tum per aquam fortem separatores auri, dum ex fodinis, vel ex rebus metallicis assurgunt spiritus arsenicales, qui archeo pulmonum insidiantur, eorumque vasa labefactant, huic affectui subjiciuntur.

Quia etiam phtisici aere inspirato sanos inficere possunt. Ideò providentia habenda est trochiscis sub linguali-

gualibus, pomis odoratis, & aliis.

Soli, & Cœli mutatio, qui morbum peperit, cæteris auxiliis anteferri debet. Meoque judicio aeris mutatio ad humidiorem, & crassiorem potiùs conducit. Siccum enim aerem his potius obesse observavi.

Tabaci fumus (licet herba ulceribus medicina sit) sua exiccatione tabidis obest. Laureti castrum propè Adriam anno 1670. alebat octo circitèr viros, & fœminas nobiles quæ pluries sanguinis sputo, in locis boni, & tenuis aeris tentatæ fuere. In hoc verò castro nunquam talia passæ fuere, quare in eodem consenescere decrevere.

Ideòque parcant mihi manes Galeni, qui Tabiarum locum calidum, & siccum propè Montem Vesuvium his aptissimum esse reputabat; minus enim febrem accendere vel thoracem inflammare Laureti crassissimum aerem certo, & repetito experimento comprobavi. Innumerosque Veronæ, & aliis tenuis, & delicati aeris incolas tabe interire observavi. Nullos vero circa pallustria, & crassi aeris incolas tabidos mori, sed propè omnes oppilatos, cacheticos, hydropicos fieri, & à morbis pectoris immunes servari, ac tabidos aliundè venientes inibì consenescere.

Motus vehementior his infensus est, cum eo enim necessariò concurrit vehemens, ac frequentior respiratio, & per consequens sanguinis circulatio in corde augetur; unde massa sanguinis effervescens, majusque spacium occupans facilis fit ad vasorum sanguifluorum disruptionem.

Sic per iram impetuosiorem plurimi sanguinem à pectore rejicerunt. Innumeri vero vel nimio pondere, ac spiritu compresso, vel ingenti clamore facto, confractis in pectore vasis, ad phtisis, & mortis liminaria propero pede festinarunt.

Ab his igitùr cautè abstinendum erit. Atque somno magis, & quiete quam laboribus atque vigiliis indulgeant.

Alvus neque nimis soluta (ob rationem adductam ab Hippocrate 5. aph. 14.) neque nimis styptica sit. Oblita tamen muneris sui (id quod in tabidorum siccitate non infrequentèr evenit) per blanda solutiva excitanda erit.

Excretiones reliquæ considerandæ, ut arte vel natura rationabilitèr respondeant. Nam ad pulmonem ingentibus ac innumeris vasis omnis generis instructum, laxam corporis nostri partem ac debilem, circulando deveniũt pessimi liquores ab hemorrhoidibus, vel menstruis suppressis confluentes, atque per pulmonem facta via, naturales semitas derelinquentes, acredinem, & corruptionem subeunt syrupus de papavere compositus cum magno emolumento exhibetur.

Lac, & balneum veterum fuere celebria auxilia. Verum non semper lac muliebre, vel asini phtisicis prodest. Imò lac acidũ, vel ebutyratum potius istis convenientior esse videtur. Primò quando cum phtisi alui fluor adjunctus est. Vel quando suspicio est, ne in ventriculo malè affecto coaguletur aut corrumpatur. Vel quando febris vehementis ardor urget. Vel quia ventriculus natura sua biliosus, nidorosus existit, pluribusque excrementis refectus apparet.

Tunc enim lac facili negotio corrumpitur, & in biliosum, pessimum liquamen transit omnia devastans. Vel denique quando phtisi febris putrida magni momenti (non levis ut

Hipp.

Hipp. 5. *aph.* 64. insinuat) conjungitur. Atque in visceribus naturalibus multæ sunt obstructiones. Tunc ergo sicuti lac nuper emulctum depravari, ac omnia deturbare valet.

Sic lac acetosum factum (oxigala Græcorum & Galeni) aluum cohibere, bilem attemperare valet. Neque enim promptè bilis naturam induere potest, cum ei butyrum ademptum sit, Qua etiam ratione in febri putrida non sic facilè putrescere potest.

Balneum phtisicis conferre potest, quoniam acres humores attemperare. Æstuantem viscerum calorem demulcire. A Liquando liquores nutritios, nutritionem juvare. Suoque humido calore, vias pandendo, nutrimentum à partis longinquis venientem penetrans facere. Sputum facilitare, saniem detergere, somnum conciliare valet. Quibus postmodum recreata natura, & alacrior facta, optimoque regenerato sanguine ulcus conglutinat æquivoco callo inducto. Nutritionem, carnesque deperditas, restaurat, renovat.

Balneum tamen jis concedi nequit, quibus de capite ingens catarrhi fluxio præsens est, Vel de pectore sanguinis sputum. Nam fluxiones quascumque valdè irritat, vasa emollit, ac sine adstrictione undique relaxat. Ideò *Hipp.* 5. *aph.* 16. in sanguinis eruptionibus balneorum usum reformidat.

Quo ad cibandi rationem in phtisi, securior frequens, & paucus singulis vicibus cibus est, jisque boni, & laudabilis succi, ac incrassantis. Ideò juscula cancrorum fluviatilium commendantur, coclearum, limacium, ostrearum, ranarum. Ex fructibus amygdalæ dulces, & inde paratæ emulsiones; passulæ cum carnibus coctæ, dactili, caricæ.

Præsente magna macie, & absente magna febri, ac destillatione exhibeatur lac muliebre, de mamma suctum. Quod si concrescat, vel depravetur in stomacho asininum propinetur quod valdè serosum est, si potissimum hordeo viridi animal nutriatur, vel plantis ac simplicibus antiphtisicis.

Vitentur ab ægris universa acida, acria, salsa, amara, viscosa. Neque tamen dulcibus admodum fidendum est, quæ in primis viis frequentèr acorem contrahere observantur, & concoctiones subvertere. Ideòque magis judiciosi abusum saccari rosati improbant non sine laudabili ratione in biliosis.

Pro convalescentibus à phtisi initiante, & à sputo sanguinis victus incrassans instituatur. Et lactaria universa concedantur. Lac bubulum potissimum sumant per 40. dies interea à durioribus cibis abstinendo, eos pinguefacere studeto. Per annum ab ebrietate, à Venere, à valido exercitio imperata abstinentia. Prout nos monet Hippoc. in libro secondo de morbis.

Præcepit paritèr divinus senéx in libro de locis in hom. istis, ut cibos non multos simul ingerant, & quod in obsoniis frumentaceis insistant. Vinoque inter edendum utantur aquoso; ne incalescant, & corpori debili, caliditatem exhibeant, & simul ambo calefiant in eodem tempore, atque per caliditatem postmodum copiosum fluxum inducant.

Detur etiam lac asini, vel caprillum copiosum, ad subpurgationem (ait ipse). Tum lac bubulum crudum tertia parte mulsæ admixta per 45. dies.

dies. Arcet autem à cibis pinguibus, nidorosis.

Vinumque potius austerum nigrum, vetustissimum; sed modicum propinandum esse docet. Præsentibus tamen condictionibus fervidioribus tutior est in potu decoctio hordei cum passulis, & liquiritia.

Vel decoctum lignorum santali, lentisci, visci quercini ligni Brasiliensis. Vel lac ebutyratum in quo sepiùs ignitus calibs extinguatur. In condictionibus pituitosioribus, ac ventriculo imbecilliori vinum Hippocraticum nigrum austerum; modicè in cœna epotum ventriculum robore, cujus fermentum acidum exaltare, spiritus augere, atque nutrimenta ad loca longinqua sua tenuitate perducere valet.

More etiam Kaffeano sumere cum pulvere Kaffei, salsæ, visci quercini, sassafras admixtum portionem pulveris viperini, decoctum cephalicum est catarrhosis proficuum.

Ptisana cum melle pro cibo utantur, Pro potu vero eliciatur tinctura & colletur, ex aqua communi facta & saccaro rosaceo pro illis qui bile crassa infestantur.

Accipiant jejuno ventre singulo mane vnc. iiij. decocti cancrorum in aqua hordei cum modico melle isti.

Panatellæ cum emulsione seminum papaveris. Lactucæ caules concisi more cucurbitarum cum ovis, & lacte amydalarum illis non inutiles erunt.

Cocleæ, ranæ, cancri, testudines, capita, pedes vitulorum dabunt optima obsonia, quæ semper cum passulis, pasta marciapani, & lacte parato ex seminibus papaueris eratici, amygdalis, & nucleis pineis concinari debent.

Noctu ad incrassandam fluxionem potissimum tenuem exhibeatur diacodium, tum papaveracea.

Imò ad tussim frænandam, tanquàm præcipuum, atque vrgens symptoma laudanum opiatum exhiberi poterit. Quo solo fræquētèr catarrhorum acrimonia & tussis sublata fuit. Inde sordium copia minor, Sputa verò meliorem consistentiam nancisci observantur. Tum regenerationem quantum fieri potest præcavent sputorum. Incrassata verò ac spumosa, seu concocta, faciliori negotio per anacatharsim purgantur. Vigilias etiam præ siccitate vigere solitas arcent opiata.

Quamobrem phtisici semper ab opiatis sensibile beneficium recipiunt, illis exceptis desperatis, qui ad extremam maciem, & virium languorem devenere, factiq; jam impotentes sunt, excreatu pulmonum repurgare. Dum materia stagnans nimis per moram incrassata est.

Si itaque catarrhus tenuis vexet, cum condictionibus fervidis, atque aliquam acredinem, seu salsedinam præseferat, ad opiata continuò accedere non dubitabis, & ad papaveracea.

Si autem aqueus catarrhus sit potiùs in sudoriferis spem tuam repones. Si materia peccet tenax, viscida potiùs ad blanda incidentia festinabis.

Ad ulcus verò mundandum exhibeatur terebinthina in bolis, tum cepæ coctæ in melle, mulsa, & melita auxilia.

His tamen anteferi debet balsamus sulphuris, cum oleo succini factus, in sententia spargyristarum. Sylvius tamen negat se à sulphure in his ægris vllam bonum effectum vidisse. Et ut

ve-

verum fatear, quoniam in horum cura tota ſpes eſt in optima renutritione, & calli ſuper locum vlceris generatione, quæ ſunt mera opera nutritivæ potentiæ; hæc à metallicis auxiliis, & à ſulphure omninò ab operibus ſuis deturbatur.

Sed ſolum vis ſulphurea in vlceribus externis mirè ſe inſinuat ad eorum peſſima fermenta abſumenda. At ſulphur à ventriculi concoctrice ſubigi, vel ſubactum viribus ſuis integris ad vlcus pulmonum devenire poſſe, credat judeus Apella.

Qui ab aliis validioribus decoctis imbecilles aborrhent, accedant ad decoctum chinæ in jure columbæ paratum. Nam abſque decoctorum auxiliis (ſi magna ſuſpicio ſit de lue Celtica) vix quidquam proficere poteris.

Suffitus veſperi ante ſomnum ex gagate, plurimum tuſſiculoſos juvat, & quietem procurat, moderata ſiccitate inducta.

A cibo deglutiant grana tria maſtiches, vel cocleare unum, aut alterum conſervæ roſarum.

Ferculum Saxoniæ quilibet pro indigentia parare poterit, ex farina hordei, cum pulveribus, chinæ, ſaſſafras, lentiſci, corallorum alborum, oculorum cancri & conſimilium, addito ſaccaro.

Panatellæ cum malvis conciſis, & ovi luteo ſint frequentes illis potiſſimum qui ſtypticitate alvi laborant.

Vinum ſubdulce tenue, oligophorum Galeni, Garganicum Veronenſe, omnis aciditatis, & incraſſationis expers ſolis bilioſis interdicendum puto, prout & vinum paſſulatum Auicenæ quod aliàs expectoratione indigentibus aptiſſimum eſſet, & potiſſimum procul à fervido anni tempore. Nam æſtate commendabilis eſt tinctura roſarum.

Paſſulis cum pane commeſtis victitans puella phtiſica ad extremam maciem deducta. E pro potu vtens decocto hordei cum liquiritia intra octo menſes reſtituta eſt, auctore Riverio.

Suffitus ex carbonibus extinctio in ſolutione ſtibii part. ij. & arſenici part. j. aliquos ulcere ſordido pulmonum laborantes ſanare potuit, ut Rulandus reffert.

Qui ſumptibus parcere nolunt, ut vitæ momenta venundentur, perlas conterendas emant, & in aſſiduis emulſionibus artificialibus paſſim utantur cum eſculentis, & lacteis potulentis. Nil enim equè auro potabili propinquum eſt, quam perlæ. Neque ad labentem nutritionem quidquam equè validum comparari poteſt, quam margaritarum levigatarum pulvis.

Morſelli ex carnibus teſtudinum, cancrorum, viperarum, vel ſaltem anguillarum conſueto modo parati commendantur.

Quando à lactis uſu arcendi ſunt, tunc uti poterunt lacte artificiali facta paſta regali ex 4. ſem. frig. nucleis pineis, amygdalis, carne teſtudinum, gammarorum, coclearum, ranarum, addito modico ſaccaro. Quæ paſta poſtmodum diſſoluta in jure pulli nobile lac artificiale conſtituit, quo innumera fercula parari poterunt, gelatinæ, panatellæ, roſatæ vel ipſa paſta integra devorata.

Sed potiſſimum diſſoluta paſta in jure, forma lactis aſſummatur ſummo mane, mox ſomnus procuretur. Si vero in hac paſta regali erit pulvis viperarum, vel earum caro, vel ſaltem anguillarum caro, multo efficacior fiet.

Hoc

Hoc semper ante oculos fili proponens medicus, quod solum ab alimentis, quæ probè à ventriculo concoquuntur nutritio fit. Lac verò licet optimum alimentum sit, attamen ob degenerem aciditatem fermenti in ventriculo, spontè acessit, & exoticum naturæ, neglectum mille turbas in corpore excitat. Qua de causa rari phtisici, vel hectici lacte mediante servantur.

Ex pulmone vituli destillatur aqua pro his valdè commendata pro potu ordinario. Sed ex sero porcelli cum succis herbarum antephtisicarum aqua multo efficacior fit quam ex universo sanguine.

Pistacia, nuclei pinei, caricæ, testudines, ranæ, cancri, vipera, anguilla, simplicia cephalica, tum expectorantia, cocleæ, testes gallorum, passulæ, sunt materiæ ex quibus varia auxilia concinari possunt pro his ægris.

Nam morselli parari poterunt pulpa caponum, perdicis cum testibus gallorum, cerebro leporis assato, vel cerebellis passerculorum, carne testudinum cum pineis, amygdalis, pistachiis, 4. sem. frig; cinamomo macis, pulvere Margaritarum, vel specierum diamargaritonis, aliisque pulveribus atque saccaro dissoluto in aqua rosarum, & ad consistentiam Manus Christi cocto. Facti morselli deaurentur.

Glirium pulvis, creditur ab aliquibus esse palmarium auxilium in in phtisi; A quo mirificè nutritio restauratur.

In hoc affectu suffitus magni faciendi sunt, qui potissimum via compendiosa integris ad pulmonem viribus pervenire possunt. Hos igitur parare curo per foramen chartæ involutæ pyramidis in modum (scartozzo Italicè dicitur) respiratioeque facta in pulmones fumus hauriatur, manè, & vesperi per horæ quadrantem circitèr.

Hujusmodi suffitus alii humidi (in condictionibus siccis) parabiles ex herbis, decoctis, succis, hysopi, marubii enulæ, tabaci, &c. alii sicci (in condictionibus humidioribus) ex rebus balsamicis, sarcoticis, vulnerariis, ex olibano, succino, benzoino, thure, mastiche.

Ad vires restaurandas, & ad putridos fætidos halitus, ex putrido ulcere, ac pure ad cor missos reprimendos, & cor ejusque vires, ac spiritus recreandos, semper aromatica cum cibis, & aliis auxiliis admisceantur tum alkermes confectio, ac hyacintina cum ambra, &c.

Ad acidum acrem in sanguine latentem, & pulmonem corrodentem omnes fermè scopi dirigendi sunt. Ideoque absorbentia sine intermissione adhibenda, terra Samia, alba Virgo Mutinensis, oculi cancri, corallia, & testacea universa.

Salsuginosum præterea sanguinem attemperare valent decocta lignorum. Sed lac ad sanguinis acrimoniam corrigendam, & liquorum asperitates demulciendas vix par habet.

His non conferentibus, saltem ad decoctum salsæ, tussilaginis, hysopi cum carne tectudinis, limacium, ostrearum, coclearum, cancrorum, accedere non vereantur.

Et præterea pro debilioribus, ad corporis renutritionem gelatina paretur ex Cornu Cervino recenti unc. iiij. & aqua fontis lib. iiij. vino rubro unc. 5. digerantur in tepido per horas duodecim, inde coquantur ultra medietatis consumptionem. Collaturæ addendo confectionis alkermes drac. ij.

Reponantur in loco frigido, in vase vitreo, ut fiat gelatina.

Sic ex animalium capitibus, pedibus, ossibus confractis, & consimilibus gelatinæ parari poterunt, tum ex piscibus, potissimum ex passere, anguilla, & piscibus optimæ notæ.

Excogitavi per tubulum quo tabacus hauritur, jubere, ut fumum hauriant ex variis pectoralibus elicitum, ex nicotiana potissimum, ligno aloes, thure, myrrha à quibus vulceris acorem corrodentem infringi incredibilitèr observavi.

Notabilis est *Hippocratis textus in 6. epid. sect. 3. tex. 6. Qui carnes suillas assas istis comendat, cum aliis probè substantiæ eduliis; firmum enim, atque stabile alimentum præbere docet.* Supponit tamen Divinus senex, vires stomachi infractas non esse, si quis verò has carnes levitèr ferre potuerit, procul dubiò citò per has sanus fiet.

Hunc tandem sermonem claudam cum doctrina *Galeni lib. 5. meth. 14. dicentis: Oportet in principio nullius rei esse sollicitum medicum, quam ut ægri isti neque tussiant, neque ex capite aliquid in pulmonem defluat.* Pro his verò intentionibus obtinendis opiata præcipua auxilia esse satis superque insinuavimus.

Empyematis causæ, & auxilia.

DIfferunt inter se pus, & purulenta materia. Pituita enim diù retenta in aliqua capacitate fit purulenta materia, non verò pus.

Pus enim seri potius quam sanguinei cruoris soboles est. Dum enim impeditur seri nutritii, seu succi albuginei nervosi, & associatæ lymphæ motus, ob vasa obstructa, vel confracta ab externa frigiditate, aut à succis in tubulis incrassatis, sensim accummulatur magis, & tandem vasa disrumpuntur, atque in partes proximas effunditur.

Ex mora verò extra naturalia sua vasa acredinem concipit (more liquorum fermè omnium per moram fermentescentium) ex aciditate contracta coloratur, crasescit, & alia accidentia puris in se suscipit.

Idem de massa sanguinis extravasata dicendum est (mirum enim dictu quod vasa sanguiflua adeò massam sanguineam custodiant, ut neque in mortuis solutam in pus mutari permittant) per moram vero, & loci humidam caliditatem, fermentationem subit, & acorem contrahit. Cum alcalicis deinde appellentibus congrediens, purpuram exuens, album puris clamidem induit.

Dum interim spiritus, aliæque activæ particulæ, passivas moderantes resolvuntur ac in auras abeunt. Sal fluorem concipit. Et postmodum ex acore illo insigni, & sulphure exaltato fætor in pure exurgit. Semper enim avolantibus particulis volatilibus acidum increscere observatur; quod puris vera, ac legitima causa est, & non decantata usque ad hæc tempora concoctio.

Empyematis auxilia.

MEdicorum princeps Hippocrates jubet in libro de internis affectionibus, ut istis propinetur ptisana cum melle, & vino albo dulci. Præterea vult, ut isti non sitiant, donec latus suppuratum fuerit.

Caricæ. Pastulæ. Mel. Oleum lini, vel amygdalarum salvia, betonica cum aqua melita. Nuclei pinei. Amyg-

Amygdalæ. Vinum vel decoctum hysopi, aut ex rebus pectoralibus paratum. Lac amygdalarum. Pasta regalis. Oximel. Lac artificiale ex 4. sem. ma. elicitum sunt materiæ pro variis concinandis auxiliis aptæ.

Ferculum Saxoniæ variis pulveribus instructum pro indigentia parari poterit. Cæpa cocta cum melle preciosissimum ferculum pro istis erit.

Tum caricæ cum amygdalis. Tum pasta regalis ex amygdalis, pineis, carne viperę, vel anguillæ, saccaro, cinamomo, & aliis superiùs descriptis, mille ferculis concinandis inserviet, tum pro emulsionibus ex abrupto parandis.

Potus mulsæ potissimum cum hysopo, vel prassio celebratur. Vel vinum album sassafras, lentisco medicatum. Aer ad siccum vergere debet, suffumigiisque alteretur.

Maturato abscessu, ad puris evacuationem accellerandum est, ne pus mora facta acrius reddatur, & altiùs in pulmones labem suam imprimat.

Quia verò à phtisicorum cura admodum aliena non est empyematicorum curatio. Ideò qui plura desiderat, superiora recensita auxilia recolat. Præterea elicitis indicationibus extenuandi, incrassandi, nutriendi satisfacere poterit, qui ad apendicis primæ destinata capita confugere non dedignetur.

Monens quod pro supuratis certius auxilium non inveni quam in pluribus locis causticum balsamicum meū applicare, & expectare ut sensim natura per ulcuscula illa se se exonerare edoceatur.

Validioribus interim expectorantibus manè jejuno ventriculo propinatis, & sunt radix elenii variis modis condicta; vel forma electuarii sumpta, sic Nicotiana, & marubium.

Cordis palpitationis, ac lypotymiæ causæ, & auxilia.

PAlpitatio cordis, motus præter naturam cordis est, dum vitalis facultas à dilatatione, vel constrictione impeditur. Nullus verò affectus fortasis est, qui tam multiplici causarum varietate gaudeat, prout cordis palpitatio, quæ à symptomatis aliqua variatione etiam cordis saltus appellari consuevit.

Quandoque igitur à tumoribus, cordis inflammatione abscessu, tuberculo propè cor fieri consuevit, cujus quidem cognitio à prædictorum morborum cognitione dependet.

Fit & quandoque ab usu aucto, & refrigerationis necessitate. Talisque cordis saltus in motibus violentis, & cursu velociori, facta repentina quiete obstruatur.

Fit & à spirituum defectu, vigilia, inedia, seu à causis spiritus dissolventibus, ut à nimio gaudio, ira, &c.

Fit non minus ab exuberante, quam à deficiente in vasis sanguifluis, liquore seroso. Illud dum copia ac fluiditate sua, justo magis motum cordis accelerat, tenuem, fluidam sanguinem reddendo. Inde cor ad sui expulsionem suffocationis metu, inordinatè, atque frequentèr irritando. Hoc vehiculum sanguini denegando, laboriosiorem, ac difficiliorem exitum sanguinis ex corde efficit, ob tardum motum, & incrassationem.

Ex tali seri defectu, sed a sanguine in venis concreto extinctos cordis palpitatione ægros vidit Petrus Salius.

Magis tamen fræquens causa esse consuevit convulsiva quædam cordis affectio, proveniens à vitiosis liquoribus cum sanguine ad cor delatis, bile, sero acriore, vel copiosiori, aut salibus turgido; cor stimulantibus, ac irritantibus.

Rariùs vero à corruptis, & præternaturalibus liquoribus fit in pericardio contentis. Rariùs adhùc à polypo cordis, à vermibus, & ab aliis quæ penès Marcellum Donatum leguntur, fieri observatur.

A vitiosis itaque liquoribus tacitam, & blandam cordis fermentationem, ac micationem turbantibus ordinariè fit. Sanguinis etiam motu in arteriis potissimum interrupto statim manifestatur, dum cordis auricularum, & ventriculorum expansio inæqualis necessariò fit.

Hac paritèr de causa à pletoria, & à sanguine nimis fervido exoritur. Nam ob affluentem nimiam copiam, cordis ventriculi se perfectè constringere nequeunt.

Tum sanguis de corde egressus spacium proportionatum in pulmonibus non inveniens, auriculas cordis in suo regressu violentèr distendendo, cor ipsum quatit, ac necessariò irregulariter moveri, ac palpitare cogit.

Ab halitibus acribus, seu à volatilibus salibus elevatis à vitiosa effervescentia in visceribus naturalibus (& potissimum in intestinis tenuioribus) qui sylvestres, ac effrænes ad ampla cordis vasa delati, ejus pacatam effervescentiam turbare possunt.

Non semel fit ob sanguinis crassitiem, & cruditatem, seu ob acidam viscositatem, dum silicet cum chylo crudiori, ac viscosiori sanguis circulando ad cor revertitur. Tunc enim immodicas facit effervescentias, & motus præter naturam.

Rem verò sic esse ex eo colligitur quoniam isti à diaphoreticis juvantur, ab acidis læduntur, & à cibis crassis, ostreis, & consimilibus afficiuntur.

Frequentior tamen causa à sanguinis rarefactione, & ex inde orta nimia commotione in biliosis culpari solet.

Apulsus vero succi pancreatici, vel acidi in liene stagnantis nimis austeri, vel alia exotica qualitate imbuti, in melancolicis frequentissima causa est, ut cordis saltu infestentur.

Sic à sero scorbutico peregrinis, ac pessimis salibus prægnante in sanguine reddundante, melancolico affectu laborantibus, familiaris cordis saltus est.

Universi denique liquores, ac substantiæ, qui acrimoniam ac irritationem possidere jactant, dum cordis parenchyma, ejusque fibrillas lacescunt, ad convulsiovum, & irregularem motum palpitationis, cor deducere possunt.

Lypotymiæ causæ, tum aliquandò syncopis.

IN animi defectu modò precipitantèr, modò sensim vires collabuntur, dum vitales spiritus ab illuminatione, ac irradiatione sua aliqua causa oblata impediuntur, adeò ut ingravescente affectu facultas à pulsu, & respiratione syncope detenta cessare observetur.

Fiunt isti affectus (qui secundum magis, & minus inter se dissident) ftequentèr à cordis motu de repentè abolito, ob obstructionem, compressionem, vel aliam insignem læsionem nervi sexti paris, in corde implantati, à quo musculosum viscus,

viſcus, præcipuum ſui motus vigorem agnoſcit.

Quandoque lypotymia fit, à nimia ſanguinis diſſolutione, ac rarefactione, non minus quam ab ejus nimia incraſſatione, ac coagulatione ut in ſcorbuticis, & in cordis polypo obſervatur.

Fit deficientibus ſpiritibus animalibus in cor non ampliùs influentibus, deficiente eorum materia videlicet ſanguine vitali ſpiritu imprægnato, ob nimiam ſuccorum acidorum, ac ſeri ſalini copiam ſanguinis maſſam coagulantem, ac depravantem.

Fit aliquando à copia craſſorum, crudorum, corruptorum, acrium, mordacium alimentorum aſſumptorum, vel humorum præternaturalium viſcera naturalia, (ſed potiſſimum os ventriculi) malè afficientium, vias, poroſitates, eorumque tubulos obſtruentium, ac veluti præfocantium, unde a motu liquores intercipiantur, & cor à ſuis vibrationibus ceſſare compellatur, ut in affectionibus uteri videre quotidie poſſumus.

A venenis paritèr cordis facultati infenſis, tum à ſalibus volatilibus ab aliqua corrupta materia elevatis, in peculiari corporis parte conſurgit.

Sed quoniam circularitèr facultates altera, alteri ſuppetias præbet. Ideò animali facultate ob aliquam cauſam extrinſecam fatiſcente, cor apto ſpirituum influxu à nervis ſextæ conjugationis deſtituitur; quare vibrationibus ſuis, nec ſufficienter ſanguinem exagitare, nec flammulam vitalem aptè accendere valet, inde pro reparandis univerſis ſpiritibus maſſa ſanguinea non ſatis accenſa, inepta fit. Neque cum vivido vigore circulatur, exiſtentibus particulis igneis nimis depreſſis, ac fermè maſſa ſanguinea vapeſcente, àb externis cauſis jam reſſolutis ſpiritibus.

Vel etiam à cauſis internis, ut evenit in febribus acutis, dum ſanguine nimis jn corde accenſo, ac veluti conflagrante, particulæ tenuiores, tum ſulphureæ nimis ſolvuntur, ac reſſolvuntur.

Ignis namque veſtalis cordis, ad Pacis oleoſas leges conflagrans, Vitæ & ſanitatis concordiam ſervat, cum neque exilior, neque major quam natura ferat conflagrat:

Minuta itaque bile atque particulis tenuibuss, ſanguis craſſeſcit, atque veluti coagulatus exiliorem flammam de ſe prodit, & ad lypotymias diſponit, prout coagulatus à ſucco acidiori pancreatico, aut alio grumeſcit, idem efficiens, nam ſpiritus veluti opprimuntur, ac ſuffocantur, & particulæ volatiles ſalinæ fixantur, quare vitalis facultas ecclisim pati cogitur. Talia vero acida indiſcriminatim à viſceribus naturalibus liene, utero, pancreate potiſſimum venire poſſunt.

Ad lypotymiam etiam frequentèr rapiuntur virgines, tum juvenes qui in dies corpore augentur, tum prægnantes jejunantes, vel pica laborantes dum ſpiritus in ſufficienti quantitate non generantur, ob materiæ adequatæ defectum, ſive quia alimenta aſſumpta laudabilia non ſint, neque ſpirituoſa, neque in debita quantitate. Vel ob infelicem ſtomachi digeſtionem. Vel ob ſuperpurgationes nimias per alui fluores, hemorrhagias, & coitus.

Per ingentes tandem animi paſſiones iram vehementem, terrorem ſubitaneum, dum ſpiritus, & ſanguis irregularitèr moveri coguntur, in labyrinteis pulmonum gyris confunduntur

tur

tur atque vitalis ignis veluti conculcatur, ac ardere secundum naturæ leges desistit.

A symptomatum vero magnitudine affectus magnitudinem variis nominibus metimur. Levior enim lypotymia, lypopsichi, gravior in qua integra pulsus, & respirationis fit deperditio syncopes appellatur.

Auxilia pro cordis palpitatione, lypopsichi.

IN conditionibus fervidis aer altetur frigidis, & humectantibus; aqua rosacea, aceto, santalis, rosis, floribus papaveris simul in cubiculo ebullitis. Vel aliis artificiis de tuenda valetudine indigitatis. Cœlum quod morbum parere, vel augere observatur, mutetur etiam in pejus.

Animi pathemata universa cautè vitanda erunt, (neque excepta lætitia) potissimum ingentia, & repentina, quę cor quatere valent.

Veneris commercium abdicandum, quoniam vires omnes fœda sui usura depauperat, & exhaurit. Dulcem namque succum nutritium, elaboratissimam spermaticarum partium substantiam dilapidat. Unde cæteri liquores hoc blando comercio destituti, acuuntur, ac exasperantur.

Qui per nimiam spirituum exolutionem ad lypotymiam rapiuntur, ab omni motu arcendi sunt, & in talamo frigidiusculis floribus stipato, vel nive refrigerato pacatum somnum procurare debent.

Refrigerantibus cibis in parte tertia apendicis primæ descriptis alendi erunt isti. Succo granatorum refocillandi, conservis de ribes, rosarum, violarum.

Universalitèr ab attenuantibus, tum validè calefacientibus, ac fermentativis, flatus excitare valentibus arcendi erunt.

Sed his tutiora erunt extenuantia frigida, ut syrupus acetosus, de succo limonum, emulsiones ex 4. sem. frig. cum spiritus vitrioli guttulis, sale prunelæ Iulep ex acqua rosarum, & saccaro per haustulos summatur.

Si autem majori infrigidatione opus sit, dum post frequentes insultus suspicio sit de futura cordis inflammatione; tunc ad opiata confugiendum erit, & ad papaverina universa ad succum de pomis, de borragine, acetosæ, onfacii.

Externa paritèr epythemata jisdem indicationibus correspondentia parabuntur aqua rosarum, succo citri, melissæ, borraginis, cum modico vino malvatico, & aceto rosaceo. Additis pulveribus rosarum, ligni aloes, specierum diamargaritonis frigidi, eboris, croci, canphuræ.

Quia tamen cæteris fræquentiores palpitationis causæ flatus, ac flatulentæ fermentativæ materiæ sunt. Ideo flatus discutientia, atque corruptas, & fermentantes materias corrigentia, in usu ponenda erunt.

Inter hæc igitur efficacissimum auxilium erit spiritus vini juniperinus, vel theriacalis Vel theriaca ipsa, aut croci tinctura in spiritu vini anisato facta.

Materiæ paritèr generales pro indicationibus antedictis absolvendis erunt Cortices citri. Cinamomum. Crocus. Conserva totius citri. Spiritus vini anisatus. Oleum anisi. Oleum cinamomi. Quinta essentia rosmarini. Aqua Reginæ Hungariæ,

Ex quibus solis vel coniunctis variæ remediorum formulę parari poterunt. Et potissimum rotulæ ac confectiones,

con-

conservæ & aliæ admixtis macis, margaritis, corallorum pulvere, oleo corticum citri, mosco ambra, atque dissoluto saccaro in aqua rosarum vel florum aurantiorum, & cocto ad consistentiam manus Christi, non omisso ligno aloe, rasura eboris, & lapide bezoar, ac universis preciosioribus aromaticis.

Nam ut medicamentum cordi acceptum, gratumque sit, atque ad intima penetralia admittatur, odorum esse debet. Atque potissimum spiritui vini nuptum.

Os pariter ventriculi non inutiliter varijs confortantibus fovebitur, agresta, succo granatorum vino malvatico, offa panis imbuta, & cinamomo conspersa. Vel decocto cinamomo in vino Cretico.

Si de inanitione ac longo jejunio constet, illicò vino fragranti, muscatello, & optimis cibis reficiantur. Naribus admoveatur panis calens ex forno extractus, vino malvatico, & cinamomi pulvere conspersus.

Regio cordis suis auxilijs destituenda non erit. Sed aqua florum aurantiorum, succo citri, vino albo aromatico, speciebus diambræ admixtis, & multo croco, & granis canphuræ intingantur pani coloris cocinei, & applicentur. Mihi tamen magis arrideret theriaca, vino albo aromatico dissoluta, cum modico succo citri, vel aceto rosaceo, croco, & granis canphuræ cordis regioni illita.

Citria deinde condita, sed potissimum citri cortices, aut aurantiorum conditæ. Saccarum florum citri, vel florum tunicæ, aut rosmarini, primas inter flores possident in hoc affectu laudes.

Vinum vetus aromaticum, tum vini spiritus, validas vires habent ad tollendos flatus, qui fræquentes sunt palpitationis causæ, ideò concedi poterunt. Nam pituitam, crassos, & fermentabiles liquores, corrigunt, attenuant, calefaciunt, cor confortant, vires reficiunt, & simbolicos sibi spiritus universos restaurant.

Si melancolicos liquores subesse verearis affectum foventes; à lapide bezoardico, & à margaritis non recedas, quæ melancoliam valdè oppugnant.

Si de stomachi imbecillitate indicia constent, scutum stomachale, ex serico consuto cum speciebus aromaticis cordialibus paretur, supra cordis regionem, & stomachi, assiduò gestandum.

Si fiat ab æstu nimio, frigida in vultu inspergatur, flabellentur, in acre aperto ac frigidiusculo locentur.

Os pariter ventriculi succo granatorum, agrestæ, portulacæ, plantaginis foveatur. Testes verò posca Galeni aqua, & aceto, vel hyeme vino, & aceto foveri debent. In os autem aqua cinamomi, vel spiritus vini, aut vinum generosum indatur.

Si à nimio sudore fiat, aqua rosarum, cum aceto rosaceo in faciem aspergatur, Cutis autem rosarum pulvere modico alumine admixto inspergatur universa.

Ad citissimam virium restaurationem vinum odoriferum vetus, vel jus cum cinamomo sufficere poterunt. Interim pulli restaurans, vel contusam parari poterit.

Si de vteri affectione suspicio sit, graveolentia naribus apponenda, assa fætida, castoreum, sal volatile cornu cervi, succini, urinæ, salis amoniaci. Benè olentia verò orificio uteri indenda, moscus,

am-

ambræ, zibettã, & consimilia.

Odor carnis assæ, cariophillis, cinamomo, vinoque malvatico conspersæ lypotymia correptos illicò reficit, si à spirituum dissolutione fiat. Si autem à refrigeratione evenit, vini spiritus, modico allio contuso admixtus, in momento restaurat.

Si ab humoribus biliosis acribus in superiori orificio ventriculi stabulantibus proveniat, vomitu procurato ante omnia eliminentur. Deinde ad os ventriculi roborandum accedes, vino granatorum succo agrestæ, ribes, cotoneorum.

Ad tremorem tandem cordis, & levia animi deliquia vix aptius auxilium habebis, (quod acida molestantia ac irritantia blandè absorbere possit. Quodque auro potabili magis propinquum sit) perlis nuda levigatione præparatis. Ex quibus cocto saccaro ad cocturam manus Christi nobilia confecta cum, vel sine essentiis, aut odoribus parari curo.

Ad lypotymiæ affectus auxilia, & syncopis.

CUrativæ indicationes in paroxismo executioni mandandæ sunt. Præservative extra.

In accessione itaque omni arte sensus excitandi sunt, asperis frictionibus cum aceto, & sale in partibus extremis factis. Altis vociferationibus, porcello proximo, clamoribus. Rebus acribus circa nares, & os impositis. Aceti aspersionibus aquæ rosaceę, vel putealis frigidę: Suffito succino, pennis perdicis, assa fœtida, & aliis grave olentibus, si potissimum mulier sit, & uterinis de affectibus suspicio sit.

Viri verò, (& illi in quibus spirituum vberiorem factam fuisse dissolutionem veremur) odore panis recentère furno extracti, aperti, vino malvatico, & aromatibus aspersi reffocillentur. Si etiam panis semine fænicu-li, anisorum, & consimilibus subactus fuerit, felicitèr res succedet. Vel carnis assæ odore præcalidæ atque fumantis recreentur; si potissimum aromaticis, & vino malvatico carnes irroratæ assentur.

In istis adhùc clysteres ex rebus spirituosis, ac valdè nutrientibus spernendi non sunt. Vino albo aromatico, carnium contusis, & consimilibus.

Spiritus intèrim acuti sub nares ponuntur, videlicet spiritus salis amoniaci, fuliginis, Cornu cervini, vel tartari. Vultus, & nares aceto potissimum rosaceo, vel antosato inspergantur.

Os ventriculi aromaticis, acido citri, vel onfacio, aut succo portulacæ, & plantaginis commixtis, cum mica panis fulciatur.

Testes verò posca vel vino, aceto, & aqua rosacea aut florum aurantiorum foveantur.

Vinum malvaticum, vel spiritus vini in os immittatur, celeritèr etenim ad symbolicorum spirituum naturam transire valebit.

Pro præservatione verò, qui frequentèr his affectibus subjiciuntur, vasculum terreum secum gestent plenum vini spiritu juniperino, vel rosolino ex infusione præciosiorum aromatum. Cujus haustulis frequentèr recreentur.

In hunc paritèr affectum proclives, jejuni diù non permaneant; sed matutinis horis aliquid sumant, quod absque magna incalescentia ventriculo gratum, leveque sit, ut jusculum cum

cum ovi luteo, & guttulis ſucci limonum. Bucella panis recentis cum butyro extenſo, pulvere cinamomi & ſaccari conſperſa.

Quibus verò medicamentoſa alimenta arrident, accipiant aliquam conſervam ex. gr. roſarum, tunicę, violarum, abſinthii &c. pro rei exigentia, & anni temporis, ac ætatis opportunitate.

Si de melancolicis affectibus latentibus ſuſpicio ſit, tempore veris, ad potum ſeri caprini, deinde ad lactis uſum diſponantur initio æſtatis, cum balneo aquæ dulcis. Imò ad aquas naturales acidulas potiſſimum vallis Engadinæ Sancti Mauritii mittendi ſunt iſti.

Frequentèr externis cardiacis cordis regionem illinire, his magno ſolatio eſt, & potiſſimum aqua florum aurantiorum, aliqua eſſentia admixta ex.gr.eſſentia citria, oleo cinamomi, cum granis canphuræ.

Caveant iſti ab aere fervido, etiam ſi affectio fiat ab humoribus craſſis, & crudis. Per aeris etenim externi fervorem. crudi, tardigradi humores liquefcere, ac mobiliores fieri poſſunt. Intensè tamen frigidus aer ſuſpectus non minus eſt, humores etenim incrudare, atque obſtructiones augere valet.

Si tamen à ſumma ſpirituum reſſolutione affectus procedat externa, ac repentina frigiditas ſummoperè prodeſrit. Retrahuntur etenim hac arte ſpiritus, ſeu pelluntur cum ſanguine ad cor, & ſic facultas ejus reſſocillabitur. Quod fiet admiſſione frigidi aeris, vel ſubita gelidæ aſperſione in faciem. Cutis etenim ſubitò horrore concuſſa dum conſtipatur, atque conſtringitur, ejus ſpiracula occluduntur, atque ſpirituum caloriſque reſſolutio inhibetur.

Motus corporis tum animi moderationis limites non excedant. Immoderati ennim, ſpiritus & ſanguinem exagitando impetuoſius, vitalem facultatem depauperant animalem verò ad irregulares motus, & ſpaſmodicos inſultus diſponere ſolent.

Quies paritèr, & ocium excedens plurimum obeſſe conſuevit. Atque quotidiana experientia nobis oſtendit dit, quod domicilarum affectus eſt, mulierumque vitam ſedentariam degentium. In quibus ob copioſiora, ac valdè nutrientia eſculenta, ſummam quietem, & ocium, dum chylus non rectè elaboratur, neque ſanguis probè diſponi poteſt, ut ſpiritualeſcat. Sed tardigradus, ſtagnationibus diſpoſitus, craſſus, viſcidus vndique in tubulis heret.

Per ſtagnationem vero, vel tardiorem motum acrior, & vellicans ſit. Prout in illis in quibus menſtruæ purgationes inſtant, facilè obſervare poſſumus. Dum etenim facto otio diſflari prohibeatur ſanguinis particulæ per tranſpirationem avolare ſolitæ(ſeri ſanguinis nutritiæ) aceſcentes, dum iterum ſanguini per circulationem confunduntur, fermentationi, ac univerſis ſpiritibus fiunt infenſæ.

A Veneris luctis procul abſint. Improba etenim ex his multos in agone poſitos, lætali palpitatione correptos perdidit.

Cibi paritèr fugiantur flatulenti, craſſi, viſcidi, acres, ſalſi, intensè acidi, lac, fructus horarii, carnes ſalitæ, ac fumo induratæ. Tum ea quæ craſſa, frigida, flatulenta, fermentantia chylum acrem generant.

Potus ſit vinum tenue odoratum in cauſa frigida. At in condictionibus calidioribus in quibus vini vſus ſuſpectus

ctus est, aqua aliqua cordialis exhibeatur, vel decoctio florum, & fructuum cordialium, vel in aqua simplici acidula facta succo limonum, vel spiritu vitrioli eijciatur tinctura à rosis, violis, floribus papaveris, peoniæ, tunicæ, & ab omnibus simplicibus cordialibus, exigentiæ proportionatis.

Vina generosa vitentur, tum aromata copiosiora. Uno verbo ab iis se continere debent, quæ furorem sanguini, & spiritibus conciliare Cordi extraordinarium motum concitare valent.

Vinum quod in usu mensæ quotidiano adhibetur sit medicatum infusione corticum citri, salvia, betonica, absynthio, lignis sassafras, santalorum floribus rosmarini, hypericonis, seminibus fœniculi, anisorum, coriandrorum in causa pituitosa.

At in melancolica expedit vinum absynthite. Quoniam opiata summam energiam habent pro compescenda vitiosa acrium humorum effervescentia, sine qua noxij halitus acidiusculi, irritantes elevari nequeunt. Ideò constantibus viribus nullo modo intermittenda sunt, & potissimum in causa biliosa. Videlicet aqua vitæ Mattioli cum laudano opiato. Vel opii tinctura in optimo spiritu vini, & multo croco facta, canphura etiam admixta.

Qui hæc pertimescit, saltem ad papaverina blandiora, emulsionem 4. sem. frigidorum. Ad tincturam florum papaveris erratici in eadem aqua florum papaveris facta cum guttulis spiritus vitrioli. Vel ad decoctum eorundem florum cum syrupo paritèr eundo cubitum accedat. Hac enim via tenuior sanguis vitiosus, vel acrior serosus, qui de facili accenditur. rarefit, & fermentescit in paroxismo modicè incrassatur, atque corrigitur, & sic magnum hujus affectus prophilacticum acquiritur, simul, & curativum auxilium.

Non negamus tamẽ quod in accessione vrgentibus flatibus, statim ad carminativa accedere debet medicus, & ante cætera eorum discussionem moliri aromaticis, oleo anisorum, succini, fęniculi optimum consilium erit, præsentibus condictionibus frigidis. Vel actuali refrigeratione introducta præsentibus condictionibus calidis fotu frigido.

Soluto paroxismo, vires spirituosis recreentur, & aromaticis. Vino geneso. Vel tincturis aromatum in spiritu vini factis. Aut aliquo elixire.

Rotulæ etiam ex oleo de corticibus citri, vel quinta essentia rosmarini, sed potissimum oleo cinamomi, maximè probantur.

Aqua florum citri, vel rosarum, vel aurantiorum, species aromaticæ alibi insinuatæ Ambra, & alia aromatizantia, & cordialia cum cibis assiduò vsurpentur.

Succus citri in vino albo aromatico, vel malvatico, vnum ex præcipuis instantaneis auxiliis reputatur. Non minus ac aqua cordialis Saxoniæ aut alia, spiritu vitrioli acidula facta, in quo sepiùs auri frustula ignita extincta sint.

Si autem de nimia viscositate, ac stagnatione suspicio sit. Ut sanguis attenuetur, ac volatilizetur, diaphoretica exhibeantur, decoctum lignorum, cum pulvere viperino. Tinctura ambræ, cinamomi, succini, croci, canphuræ, theriacæ, pulveris viperini.

Inter igitur spirituosa sulphurea, quæ Vestalem cordis ignem pereuntem reparare, vel semiextinctum reaccendere valent, sunt aquæ cinamomi,

tum

tum florum aurantiorum, & omnes fermè odoriferæ.

Sic essentiæ vniversæ aromaticorum, oleum citri, cinamomi, cariophiliorum. Moscus, ambra, zibeta ex quibus rosolinina varia interiùs propinanda.

Tum balsama præciosa exteriùs inungenda parari poterunt. Non oblito balsamo apoplectico, vel Peruano, aut Opobalsamo, oleo succini, quinta essentia rosmarini.

Et quoniam pro restaurandis spiritibus vitalibus aurum pro summo arcano à Chymicis deprædicatur potissimum in forma potabili. Alibi locum, reservamus modum intra tres dies solvendi aurum ostendendi, qucd volatile, & aqueiforme per retortam in recipiens delapsum, ad pristinam metallicam auri formam nullis artibus reduci poterit.

Materiæ paritèr ex quibus innumera auxilia parari poterunt sunt: Coralliorum variæ species, margaritæ. Cortices citri. Cornu cervinum Grana chermes, & eorum tinctura, vel sericum. Buglossum, ejusque flores. Aqua cordialis Saxonię cum confectione alkermes. Spiritus vini canphuratus. Borrago ejusque flores. Citria (& potissimum cortices confecti) aurantia, limonia. Rosę damascenę earum saccarum, ac tinctura. Tunicę saccarum & tinctura cum spiritus Vitrioli guttulis. Canphura. Rhibes fructus. Theriaca in vini spiritu dissoluta. Tinctura ambrę. Liquor ex pomis redolentibus concisis, & saccaro conspersis supra cratem ligneam. Quo etiam artificio ex predictis universis floribus, radicibus buglossę, & aliis concisis liquor deciduus parari poterit.

A neotericis tandem summis laudibus effertur chiocholata, quotidie matutino tempore exhibenda, illis, qui ab hujusmodi affectibus frequentèr conflictantur.





DE AFFECTIBUS ABDOMINIS PARTICULA QUARTA.

Cardialgiæ, dolorisve Ventriculi causæ, & auxilia.



Ardialgia Græ; ventriculi dolor Lat. in orificio superiori vẽtriculi, veluti in centrali puncto, radice, ac principio vitæ, digestionis ciborum, & dispensationis fundatur.

Varias equidem hic dolor causas agnoscit. Aliquando enim à fermento suo acidiori facto; fixiori, acriori, aquæ fortis indolem sapiente (ob varias causas tum internas tum externas) in orificium stomachi, suæ malæ sensationis, ac pravæ vellicationis molestiam prodit.

Frequentiùs fit à salibus acribus, vel acidis, vel salsis in massa sanguinea, vel sero, & lympha admixtis, ad os stomachi impetum habentibus.

Sic in febribus, dum balsamicæ, mites particulæ resolvuntur, sequestrantur, vel invertuntur in succis nutritiis, & è contra lixiviales, biliosæ, acres exaltantur, circa viscera naturalia, os ventriculi (cæteris magis sensitivum) suis quærimoniis, molestantium præsentiam declamat.

Sępè enim bilis ex intestino duodeno ad ventriculum motu præternaturali ascendit. Ibi verò ratione suarum cuspidatarum particularum quibus scatet, nerveas sensitivas fibrillas vellicans, dolorum molestias infert. Estque affectus hic, diù jejunantibus familiaris.

Fit interdum à flatibus acribus, (seu potius à tenuissimo spiritu acido ab humoribus melancolicis elevato) & in fibrillis nerveis circa orificium ventriculi locatis sese insinuantibus.

Estque affectus melancolia hypocondriaca laborantibus fræquens, tum ventriculi imbecillitate affectis. Ob depravatum enim, & inefficax ventriculi fermentum, præternaturalitèr fermentata assumpta, in pastam acidam, viscidam degenerant. Hæc loci calore, & perseverantis fermentationis conamine in gas sylvestres & spiritus violentos, ac flatulento, exurgit, pro ratione majoris, vel minoris cruditatis nidorosæ, vel acidæ.

Quandoque impetuosi spiritus isti, seu salia volatilia acria, caustica (in peste, & morbis malignis) ad vitæ radicem, os ventriculi, cor veteribus di-

dictum, impetum facientia, prima vulnera sua inibi doloribus factis, ac scisuris procuratis manifestant.

Universalitèr enim absque continui solutione, ab objecto improportionato dolor non fit, seu tristis sensatio, quæ æquè à particulis acribus, acidis, rodentibus, pungentibus fibras nerveas lancinantibus fit. Ac à particulis biliosis, tenuibus, acribus, alkalicis, lixiviosis, alijsque ætherogeneis exoticis ad os ventriculi delatis excitatur.

Cardialgiæ auxilia.

SUper cætera magna cautio servanda est in electione accommodatorum ciborum, & in fuga à rebus nocentibus. Dulcia etenim, lac, & pinguia in vẽtriculo malè affecto, ejusque acido fermento depravato corrumpuntur, & pessimum acorem contrahunt, à quo intollerabiles stomachi ardores consurgunt.

Cibi paritèr viscidi flatulenti vitentur. Ingesta nimia copia, vel unctuosa, aut alia excedenti qualitate peccantia, ventriculi vires, seu stomachici fermenti facultatem obruentia, aut nimis diluentia, totis viribus fugienda sunt. Sic copiosæ compotationes, tum potulentorum meracorum.

Cavendum idcircò ab assumptione eorum, quæ magnarum sunt virium, vt spiritus ardens, qui ventriculi acido opponitur ac insidiatur, adeò ut in progressu temporis eundem de ponte dejicere, ac languidum reddere possit. Spiritus etenim vini acidis commixtus, in tertiam naturam acidum mutat, effæminat, atque dulcescere facit.

Pro languidis igitur stomachis, potius quam sumerè manè spiritum vini, consultum erit jusculum cum modico cinamomo, vel decoctum theæ propinare.

Ante verò omnia respiciendæ sunt condictiones frigidæ, vel calidæ, vt contrariis auxiliis obviam ire possimus.

Aromatum namque condimenta in frigidis condictionibus probantur. Prout si à viscida, acida mucagine ventriculus oneratus doleat quandoque, prophilactica auxilia erunt oleum succini, absinthium, vitriolum martis, & amaricantia.

Somnus manè prorogetur, ut cruditatibus prospiciatur. Si vero vigiliæ infestent, & condictiones fervidæ adsint, vix aptiora auxilia, quam opiata, & papaveracea invenies, quæ quadam Dei benedictione fermentum stomachi digestiuum depravatum moderantur, & facta quiete, dolores consopire, & intestinas seditiones omnes pacare solent.

Decoctum itaque florum papaveris vnc. iiij. cum vnc j. fl. papau. vesperi potissimum eundo cubitum, more Kaffeano calens assumatur, & vix alio indigebis, silicet opii tinctura. Philonio Romano, Laudano nepentes & consimilibus validioribus.

Exerceantur etiam validè ante cibum, aliisque artificiis calor ab interno ad extimas partes evocetur.

Animi autem motus aliaque ab extimis ad internas partes calorem revocantia avertantur. Cibi optimi succi, & moderatæ fermentationis eligantur. Qui etiam aromaticis condiri debent moderatis.

In languido ac seniori ventriculo conducet magis generosum vinum, sed paucum, quam mulla, aut consimilia, quæ tamen ad liberandum ven-

ventriculum à mucositatibus magis conducere posse fatemur.

Isti etiam piscinæ languidi, qui consenescentis sui affectus medicos non inveniunt irrationabilitèr viventes. Nunquam saturi à mensa recedant. Modica, atque frugali cœna semper victitent. Imò semel in hebdomada incœnati ad somnum se componant. Inter prandium, & cœnam decem, vel saltem novem horas numerare non recusent.

Nunquam supra adhùc indigesta alimenta in ventriculo, recens ingesta collocare audeant. Cibos eligant sibi per experientiam notos, facilis coctionis, & boni succi. Ideòque à fructibus horariis aliisque facilè corruptibilibus abstineant, tum ab oleribus, piscibus, lactariis & consimilibus.

Materiæ universales auxiliorum, à quibus inde variæ parari poterunt formulæ sunt Absinthium quocumque modo usurpatum, ejusque oleum Cortices citri. Gingiber conditum, Cydonia condita, vel citra, vel aurantia. Nuces virides conditæ. Cydonia in vino austero. Succus granatorum, rhibes. Nux moscata, aliaque aromatica lignosa, tum semina. Salvia Betonica, Uno verbo cephalica symplicia.

Hippocrates lib. de affect. mulsam aquosam cum modico aceto, tepidam consulit, vomitumque procurat. Deinde ventriculum roborare internis, tum externis auxiliis jubet.

Blandos itaque vomitus cum præceptore illicò imperatos cæteris prævalere posse auxiliis nostro quoque experimento fatemur.

Galenus verò de arte cur. ad Glauc. Quibus os ventriculi præ imbecillitate dolet. Vinum calidum (potissimum absinthite) propinatum levat? Illos quos multa materia corrupta circa ventriculum non vexat sublevare docens hac ratione.

Melicratum cum hysopo. Oximel dilutum cum aqua betonicæ in casibus dubiis detur. Sic ptisana. Emulsiones ex 4. sem. frig. Sic oleum amygdalarum ad vnc. v. cum vnc. j. syrupi ex floribus papaveris tutò exhiberi poterit.

Medulla panis, vino malvatico imbuta, & pulvere nucis moscatæ consperfa supra fossulam pectoris in condictionibus frigidis prodesse solet. Vel familiare, ac extemporaneum auxilium matris meæ, est parietaria, absinthium, folia persicorum supra inversum æreum instrumentum fervefacta, aceto consperfa, cinamomi pulvere imbuta. Fossulæ pectoris applicita. Quibus me puerum centies fovit.

In caúsa calida, humorum acrimonia mitigetur hordeo, ac hordeaceis, orisa, alica, farina amyli, sero, butyro, lacte ac lactariis esculentis. Quibus non conferentibus exhibeatur lac artificiale ex 4. sem. frig. majoribus, & amygdalis. Gelatinæ ex piscibus optimæ notæ, ex pedibus animalium fiant.

Aqua frigida epota, in ictu oculi cardialgiam à causa calida ortam sedat. Idem operatur succus granatorum, agrestæ, rhibes aqua destillata, vel jure dilutus, tum exteriùs applicitus.

In causa vero frigida, oximel squilliticum aqua betonicæ dilutum. Conserva absinthii, florum betonicæ vel salviæ. Masticis grana aliquot devorata, tum masticando ore detenta. Absynthium in vino dulci coctum, vel in lacte, ac epotum.

Ex

Ex Quercetano cap. de Vinis: Vinum pastulatum Hippocraticum, paratum ex rebus stomachicis, cinamomo, gingibere &c.

Cum signis plenitudinis, & repletionis in primis viis tutum auxilium est illicò ab initio vomitum procurare aqua tepida vel jure tenui, oleo communi, & modico aceto vel oximelite admixto. Deinde oleum amygdalarum dulcium propinetur quod reliquias per aluum blandè ducere possit.

Quoniam fræquentior causa esse solet acidum viscidum stomachi. Ideò vt corrigatur, aromatica attenuantia, incidentia exhibeantur. Balsamus Peruanus vel oleum succini ad guttas quinque Spiritus vini Canphuratus. Aqua reginæ Hungariæ. Tum sacculi ex baccis juniperi, absinthio, sale communi parati, & vino albo aromatico incocti, Cum rebus aromaticis, cinamomo, ambra, cariophillis fossulæ pectoris applicentur.

Ructu vero acido præsente cum torminibus, præsentaneum auxilium est decoctum florum camomeli, cum corticibus florum aurantiorum.

Si à spiritu acido tenuè volatili à melancolicis succis elevato fiat. Dulcificantibus ac fixantibus figatur, ac imbibatur, corallorum pulvere, margaritarum, vel concarum margaritiferarum, terræ Virginis Mutinensis, aut Veronensis Allegri. Aut Samiæ, aut Cornu cervi, eboris, denique crustaceorum omnium, oculorumque potissimum cancri,

Famis præternaturalis causa, & auxilia.

A Depravato variis modis stomachi fermento acido, variæ consurgere solent famis differentiæ. Nam bulimus, seu fames syncopalis cum animi deliquio fit. Estque affectus compositus ex impotentia, indigentia, imbecillitate, ac stomachi refrigeratione. Quibus cor in consensum trahitur, atque syncopem inducit. Apetitus verò Caninus maxima fames est. Cui vomitio post assumptos cibos succedit. Et hic semper ab humoribus melancolicis acidis exaltatis fit, os ventriculi lancinantibus.

Horum affectuum universalior causa solet esse spiritus quidam, seu tenuissimus, penetrantissimus liquor dissolvens, in corpore genitus. Qui magna sui energia quidquid ciborum ingeritur, promptè dissolvit, ac legitimum, & necessarium nutritioni terminum naturæ non concedit.

Talem spiritum Paracelsus salinum, acidum, vitriolicum esurinum, naturæ aquæ regiæ putat esse. Ex variis namque salibus, videlicet nitro, Vitreolo, sale communi aquæ fortes parantur, quæ metalla ipsa dissoluunt.

Mira certè observatio est, quod trium, vel quatuor horarum spacio canes durissima quęque ossa conficiant, & in tenuissimum liquorem chylosum convertant.

Fiunt ergo famelici affectus ab acido fermento stomachico præternaturalitèr exaltato ob causas occasionales externas, vel ob affectiones internas. Et potissimum à spiritu, seu liquore acido salino, à liene

liene ad venrticulum transmisso.

Hinc est quod aves, quæ milium, & cerealia quæque durissima conficiunt, carnem lieniformen habent quæ ventriculum undique ambit acidissimum spiritum in ejus capacitatem inspirantem.

Dum igitur talis liquor seu spiritus acidus inspiratus à liene, seu veniens à pancreate, tum ex mediana carnosa ventriculi tunica exudans, naturalitèr se habet, digestionem naturalem, & moderatam perficit. At vitiosus, nimis salinè acutus, ac dissolvens, solida alimenta celeriùs quam deceat liquans. Liquata verò ventriculum irritans tum à ventriculo deturbans, indigentiam, ac famem renovat, eamque immodicam, & præternaturalem suscitat.

Auxilia ad famelicos affectus.

SI foveatur affectio, à vitio stomachi muco acido inviscati, ante omnia per vomitum eorum evacuatio tentanda est. Inde exiccantia adhibeantur, & sitim inducentia, urgente etenim siti fames necessariò imminuitur.

Spiritus itaque Vini, aqua cinamomi, oleum cariophillorum, tunc temporis in usu poni poterit. Ambra grisea in ovo sorbilli ad gr. v. Tinctura cinamomi nucis moscatæ, & cariophillorum in spiritu vini facta.

Et hæc potissimum si constet de frigida ventriculi intemperie, in qua theriaca, aromata, & aromatica cephalica, & stomachalia usurpanda. Elixir proprietatis Paracelsi primas obtinet. Acetum squilliticum inviscatis stomachi parietibus auxiliatur. Conserva absinthii. Vinum absinthite.

Uomitus blandus procurari poterit per tenue jusculum oleo communi vel amygdalarum dulci, ac oximelite admixtis, necnon succo raphani, & iure copioso.

Externi fotus non omittantur. Sumptis summitatibus absinthii, menthæ, cum pulvere cinamomi, & nucis moscatæ, & in sacculo positis, in vinoque albo ebullitis, ferventibus, stomachi regioni applicitis.

Qui facilè exoluuntur, ore cariophillum, vel frustulum nucis moscatæ continuò versent. Vasculum præterea terreum secum gestent plenum spiritu Vini juniperino, vel cariophillorum, atque frequentèr ejus haustulo recreentur. Odorata etiam naribus admota proderunt.

Ventriculi regio oloris, vel marini vulturis pelle muniatur, aut sacculo plumis perdicis, vel anserum subalaribus repleto, vel leporis corio muniatur.

Qui verò inungi amant, utantur oleo nucistæ, balsamo Peruano, oleo masticis destillato, oleo succini.

Narcotica, opiata, papaverina sensum ventriculi nimis exquisitum obtundendo summoperè prosunt. Inter quæ theriaca recens cæteris præfertur, vel decoctum calens more Kaffeano florum papaveris erratici. Valet & laudanum opiatum ad granum, vel duo eundo cubitum cum syrupo ex floribus papaveris, & aqua ejusdem.

In causa materiæ paritèr tenuis acutæ propinentur in obsoniis oriza cum lacte caseus recens, butyrum, cremor lactis, & lactaria omnia, & ex eis pultes ex farina tritici, hordei. Caro suilla summis laudibus effertur in tali casu, tum pinguia alimenta, ac valdè nutrientia.

Hinc

Hinc est quod pro summo remedio decantatur à neotericis caro glyrium assatorum commista, modò valdè pinguefacta talia animalia sint.

Universalitèr enim famem lenire possunt cuncta, quę liquorum circa stomachum contentorum aciditatem obtundere valent, ut pinguia, oleosa, capita, pedes, intestina, & consimiles glutinosę animalium partes.

Naturalitèr verò se habente ventriculi acido fermento, nulli succi vitiosi in ejus cavitate coacervantur. At frigidius factum, videlicet acidum stomachi fermentum more aceti, evolatis jam majori ex parte tenuibus, igneis, ac sulphureis conflagrabilibus particulis, exaltantur salia, & fluore adepto, acorem majorem, ac prętern aturalem contrahit. Inde appetitum vltra naturalem mensuram proritare validissimum est. Verùm assumptorum ciborum concoctioni se imparem esse, (quia pręternaturale ac morbosum acidum est potiusque corruptioni destinatum) per vomitus manifestatur. Quod vt avertatur parum, & sepè cibus offeratur.

Vinum meracum in copia sumptum famem tollere docuit *Hipp.* 2. *aph.* 41. Cautè tamen meo judicio in exhibitione vini meracioris procedendum est. Neque indiscriminatim vniversis exhibendum.

In ventriculis enim natura debilibus, vix fieri potest (in quocumque statu sit, sano vel morboso) ut valdè non concutiatur virtus languida ab iis quæ magnarum virium (fortia ab Hippocrate appellantur) inter quæ vina grandia seu meraca enumerantur. Quæ priusquam à ventriculo superentur, semper cum eodem luctantur.

Hinc est quod duorum amicorum meorum casus recensitos audivi, in quibus ægri in vino meraco confidentes ad convulsiones deducti fuere. Securiùs igitur istis cocleare aquæ cinamomi. Vel rosolinum ambratum. Aut elixir vitæ propinari poterit, cæteris etiam auxiliis externis tum internis non omissis.

Inappetentiæ causæ, & auxilia.

Acidum fermentum, ac digestiuum stomachi, ortum suum ducit à residuo liquore albugineo, sero nervorum nutritio, qui à natura ad magnos usus reservatur. Sed primariùs ejus usus est fortè, quod sicuti nostræ mulierculæ, & pistores in panificio, vetustam pastam reservatam in recentem farinam immittentes, licet in pauca mole, totam fermentare faciunt, atque acidiusculo penetrantissimo spiritu imbuunt.

Idem operatur in alimentis assumptis serum nutritium nervorum, ac spermaticarum albarum partium, quod in hunc usum à natura in mediam stomachi tunicam innumeris glandulis refertam deponitur. Tum undique naturalitèr ad stomachum confluit ex omnibus glandulis ventris infimi conglomeratis, & potissimum lienis, & pancreatis, hujus liquoris depuratoria, & ad tempus asservantia viscera.

Per glandulas itaque stomachi, & papilaria vascula sese in ejus cavitatem exoneratur talis acidiusculus liquor in statu naturali, & sua blanda irritatione appetentiam suscitat.

Hoc igitur liquore à causis sive externis fortuitis, sive internis deficiente, appetentia, imminuitur, tollitur, vel depravatur.

Nam pro hujus depravatione, imminutione, ablatione (ut in febribus potissimum observamus) inappetentia major vel minor fieri observatur, cum majori vel minori virium, & nutritionis labe.

Inappetentia itaque ut signum, indicat pauculum esse serum hoc nutritium, à nutritione residuum, vel alienis qualitatibus imbutum esse. Inde fit causa ut nutritio benè procedere non possit, carens hoc adeò necessario liquore.

Inappetentiæ auxilia.

AB acidi igitur ventriculi defectu aut depravatione inappetentia manifestari solet. Vel quia nimis dilutum sit, aut amaris, & præternaturalibus succis contaminatum. Ideò acida temperata, ut ros vitreoli. Spiritus salis dulcis ad scrup. j. in aliquo liquore appropriato, vel sal sacerdotale dictum, aut absynthii cum granis tribus salis martis, apta auxilia erunt. Ipse salem Martis gr. v. cum conserva absynthii in imbecillimis stomachis semel in hebdomada nunquam incassum propinavi.

Si indicia adsint viscidæ saburræ circa parietes, & os ventriculi stabulantes, vomitus omni arte procuretur. Deindè felici omine ad amara, aromatica, & absinthyaca accedere poteris.

Vinum malvaticum cum infusione radicis zedoariæ, gingiberis. Vel frustula zedoariæ confecta. Aut cortices aurantiorum confectæ. Elixir proprietatis Paracelsi. Aliaque myrrhata cum croco magni erunt emolumenti.

Exteriùs verò oleum nucistæ, balsamum Peruanum, ladanum, gummi tacamacha comendabilia auxilia sunt. Non minus ac pellis leporis, aut marinæ aquilæ, seu vulturis supra ventriculii regionem.

Vel monialium sacculi stomachales ex speciebus omnibus fragrantibus galanga, cinamomo, cariophillis, &c. cum gossipio consuti. At validiores erunt sacculi pro fomento adhibiti, stomachicis simplicibus repleti, & in vino albo, & aceto ebullitis, fossulæ pectoris admoti calentes.

Verùm præsentibus condictionibus fervidis, aquæ potus cæteris quibuscumque potionibus præferri debet; nam ex *Hippoc. 4. in 6. Epid. 20. Aqua vorax, vigilia vorax.* Ideoque aqua vberiùs utentes, coteris voraces magis esse observantur.

His paritèr admodum conferre potest usus spiritus vitrioli, succi citri, aceti, onfacii aliorumque acidorum aliis liquoribus admixtorum, ventriculi acidum exaltare potentium, & non deprimentium.

Sic ex pedibus vituli gelatinæ paratæ cum modico pipere, cinamomo, aceto, saccaro. Spiritus vitrioli gut. v. in vino propinatæ per horæ quadrantem ante ciborum sumptionem, facta leni deambulatione lapsam appetentiam repetitis vicibus restituere valet.

Verùm si affectus præternaturalis, & longus persistat, non habet ars par auxilium quam ad acidulos fontes (& potissimum ad Sancti Mauritii Vallis Engedinæ) ægrum remittere, æsurino namque sale prægnantes has aquas esse, quilibet, qui ad istas accessit ore rotundo testatur.

Qui à condictionibus frigidis causas venatur in usu ponere poterit cor-

cortices aurantiorum conditas. Semina anisorum, fœniculi post cibum. Mirabolanos conditos.

Vitentur universalitèr pinguia oleosa, inflammabilia, acido stomachico naturalitèr adversantia. Tum ea quæ aquea insipida illud idem diluere possunt. Nec non ingrati odoris universa repudianda. Atque aromatibus semper alimenta condiantur, eaque temperata sint.

Sapa potissimum in condimentis, & cimamomum veniat. Sapa enim (ait Dioscor.) ventrem firmat, & appetentiam excitat.

Olivæ paritèr conditæ omittendæ non sunt, tum cappares in aceto, aliaque acetaria nobilia quæ penès nostras moniales servantur in moderata quantitate usurpata, magni emolumenti sunt.

Oximel summo manè ad coclearia duo vel tria (scopa stomachi à me appellatum) futuris cibis locum parat.

Nostrorum Lombardorum irritamentum gulæ & appetitus hoc loco apponere non recusamus. Videlicet salsamentum ex nucibus, allio, pane in iure, succo limonum, cinamomo, & saccaro simul in mortario lapideo contritis, & optimo jure dissolutis, quo carnes in mensa intinguntur.

Theriacam cum aqua menthæ copiosa dissolutam inappetentibus languidis cum evidenti emolumento manè ante cibum quatuor horis propino.

Sed quoniam Sanctorius in statica sua observat quod aer urbis, deterior est aere ruris, crassior, & minus perflatus, appetentiam tollens, vel minuens. Ideò consultum erit iis qui appetitum venantur, ut desinant ipsum in studiis, & in angustiis fori rimari. Sed migrent cum læto sodalitio, ad loca amena, perflata ruris. Ibique manè vacuo stomacho exerceantur, in ascensu potissimum alicujus blandi collis; serenaque mente, à curis vacua cantillare non recusent. Et hac arte, magis quam Podaliria, ac Machaonia, languidi ventriculi sui vires (medicinis in hipoteca otiantibus) recuperare poterunt.

Singultus causa, & auxilia.

IMmediata hujus affectus causa convulsiuus diaphragmatis motus universalitèr judicatur; & ab instrumentis respirationis venire ideò colligitur, quia in potestate cujusque est, singultum effingere spiritus quadam contentione, qua etiam exortum tolli posse quandoque certum est.

Afficitur in eo per se primariò ventriculus, per accidens verò, & per consensum diaphragma. Est enim ventriculo proprinquum diaphragma, Et communem habeat tunicam non solumodò, sed communes nevos, potissimum circa orificium divaricatos. Quamobrem facilè est, ut à corruptis in ventriculo alimentis excitetur affectus dum in acidum irritantem materiam mutantur. Ab hoc namque acido peregrino, dum os stomachi contrahitur, diaphragma ad excussionem concutitur.

Quandoque tamen fit à iecoris, lienis viscerumque septo transverso propinquorum inflammatione, viciniæ suæ ratione irritamenta communicantia. Dum etenim simul diaphragma vellicatur (silicet nervorum fibrillæ sextæ conjugationis ei implantatæ animalium spirituum circa diaphragma tumultuariè furentiũ impetus fit, in spasmodicos motus erũpens,


Rariùs fit à tenuiſſimo ſpiritu acido irritante ad ventriculi tunicas, & ad diaphragma delato, quem non ſine longa moleſtia per ſingultus, & irritos vomitus natura expellere tentat.

Idem fermè contingere ſolet poſt immodicas evacuationes per alvum, vomitum, ſudores, menſtruas purgationes, lochia, vulnus magnum, longam inediam. In quibus ſubtracto ſero albugineo nervorum nutritio, ſeu ſpermaticarum partium debito pabulo, fiunt in partibus ſentientibus ſpirituum irregulares motus, inde convulſiones; tum in diaphragmate reſpirationi dicato inſtrumento, motus iſti convulſivi, qui ſingultus nomine veniunt.

Frequentior tamen cauſa ſal quoddam acutum irritans volatile eſt, in ſtomacho ex corruptis cibis elaboratum, vel à ſanguinea maſſa ſecretum, ad orificium ſtomachi ſupernum delatum, proximam diaphragmatis tunicam irritans. Cujus magnum indicium eſt, quoniam pipere, vel alijs tenuiſſimis acutis irritantibus pulveribus ſenſim aſſumptis ſingultus excitatur, dum abſque violentia, & irritatione inferiori janitori facta, os tantum ſtomachi ſuperius moleſtatur.

Quæ enim nulla vel pauca illata moleſtia orificio ſtomachi ſuperiori impetum ſuum convertunt erga inferiorem janitorem, non ſingultum, ſed vomitum vel alvi fluorem concitant.

***



Auxilia.

SI de ſtomachi infarctu, & de materiæ acris, ſtimulantis copia in cavitate ventriculi ſuſpicio ſit, ante omnia procurato vomitu evellatur ſine qua univerſa fortè incaſſum tentabuntur.

Poſtmodum ad attemperantia, & Narcotica deveniendum erit, ut acres reliquiæ attemperari, ventriculi ſenſus obtundi commodè poſſint. Sic enim poſtmodum animales ſpiritus irritati, ac impetuoſiùs moti, conquieſcent, & pacabuntur.

Sorbitio frigidæ ſenſim facta, ſanorum incipientes ſingultus citiſſimè ſedat. Facto Hippocratico torpore 5. aph. 25. Sic ſternutatio arte procurata (ex.gr.cum pulvere hellebori albi ad gr. ij.) doctore divino ſene ſingultum ſolvere valet.

Quibus de craſſa pituitoſa viſcidaq; materia in ventriculi capacitate ſuſpicio eſt, loco aquæ oxicratum, mellicratum, vel mulſa diluta, aut oximel cum jure tenui propinetur in copia ut facilè vomitum proritare poſſint.

In prandio poſtmodum vinum in quo ſimplicia ſtomachica infuſa ſint adhibeatur. Si etiam de ſtomachi languore, & de condictionibus calidis conſtet, vinum, aut ſuccus granatorum, rhibes, omphacii propinetur.

Atque opiata, tum papaveracea primùm teneant locum. A quibus certè acres irritantes liquores omnes impetrata quiete mitigabuntur. Leniunt enim aſpera, & acida corrigunt, ut nullam moleſtiam inferant. Inter ſecuriora, & leviora decoctum florum papaveris ad unc.iiij. cum unc j. ſyrupi ejuſdem. Vel emulſio ex quatuor ſemini-

minibus frigidis majoribus in aqua florum papaveris eundo cubitum adhibeatur. Immò qualibet hora diei hæc sumpta à molestiis liberare poterit.

Si autem flatum plurimum admixtum esse observaverimus, absque mineræ flatuum provisione vix quidquam boni facere poterimus. Qua extirpata, ad flatuum postmodum reliquias discutiendas accedemus, oleo anisorum quacumque ratione propinato ad guttulas, vel oleo cinamomi, essentia citri, & notissimis aliis, adversus flatus pugnare valentibus.

Eadem ratione plurimæ confectiones in hunc usum parantur, cinamomi, & aromatum omnium. Imò varia rosolina aromatica alibi descripta, non inutilia erunt.

Ad sedandas etiam fermentationes, flatuum mineram veluti supprimendam, magnoperè conferre poterit confectio alkermes, cum laudano opiato ad grana tria, & canphura in aqua florum aurantiorum dissoluta, & cocleatim assumpta.

Exteriora interim auxilia negligenda non sunt. Panis triticei fermentum acerrimum, aceto, & sale subactum, cum pulvere seminum anisorum, & cinamomi, fossulæ pectoris applicitum.

Pro languidis paritèr stomachis crusta panis vino malvatico, ac aceto irrorata cum cinamomi pulvere, & nucistæ.

Si autem in fomentis major spes affulgeat, accipiantur flores camomelli, summitates rosmarini, absinthii, cortices aurantiorum pulveres nucis moscatæ, & seminum anisorum. Quæ crasso modo contusa, sacculo indantur, atque in modico vino & aceto ebullita, tepentia applicentur.

Sitis causa, & auxilia.

Humidi aquei appetentia sitis est, eo fine à natura animantibus indita, ut ad assumenda potulenta aquea festinarent, quæ tum alimentis in corpus distribuendis, tum excrementis extra corpus dejiciendis inservirent.

Fit itaque sitis, à vellicatione molesta superioris orificii ventriculi per acrimoniam salsam vel urinosam concitatam. Vnde pro horum salium acrium dilusione, ac absterfione, liquidum aqueum natura exposcit. Atque prout acriora, vel temperatiora, magis vel minus oleosa, biliosa, aut viscida fuerint sic magis, vel minus intenditur sitis.

Locus affectus semper os ventriculi est, qui aliquando per se, aliquando per consensum laborat. Consensus fit à lingua, faucibus æsophago ob communem membranam oris ventriculi. Quandoque à pulmonibus, iecore, sed potissimum à renibus in affectu diabetico venit.

Sitis causæ multiplices proculdubio sunt. Nam defectus lymphæ, seu liquoris salivalis, dum fauces debitè non irrigantur, vel aspera arteria, sitim producit. Sic dictarum partium præternaturalis estus, & exiccatio. Vel dum acria salia non eluuntur.

A toto paritèr venire potest sitis, dum serum, & omnes aqueæ partes sanguinis per halitus, & insensibilem transpirationem, aut per alias vias in magna copia extra corpus protruduntur.

Ita ut lympha deficiat, quæ ad os confluit, ad gulam & ad stomachum hume-

humectandum, quæ sitis solo potu resarciri solet.

Sic ab inanitione in superpurgationibus, exercitiis, vigiliis mœrore, aere æstuante, ac sudoribus fieri consuevit, dum evacuatur serosa pars sanguinis.

Verum sitis omnium molestissima illa est, quæ à sero albugineo nervorum nutritio corrupto, ac depravato fit. Diximus enim superiùs de famelicis affectibus, quod serum albugineum nervorum nutritium, residuum à spermaticarum partium nutritione, pro fermento inservire debet alimentis assumptis, atque aciditatem à mora, & loci calore contrahens ad medianam ventriculi tunicam innumeris glandulis refertam perveniens, ad ventriculi internam cavitatem exudat.

Aciditate itaque præternaturali, famis affectus præternaturales parere superius innuimus. Acrimonia vero biliosa, salsa, amara imbutus ventriculus in loco, in quo à potulentis aqueis non ita facilè dilui potest (silicet in mediana tunica) ingentem sitim, neque facilè sedabilem excitare valet.

Et hæc est illa sitis, quam *Aristoteles in 22. sect. probl. admiratur. Quæ non cessat licet venter plenus humoris sit*. Putat verò ipse (nec fallitur) tunc sitim propriè cessare cum universa membra humorem sibi commodum dispensatum habuerint.

Subjungimus itaque Incommodum & pravum universorum membrorum nutrimentum, exoticis salibus, ac sulphuribus prægnans, dum ad medianam ventriculi tunicam ablegatur, ut sit ejus concoctionum fermentum, dum loco aciditatis (siti contrariæ) amaram acutiem biliosam inducit, inexorabilem ac implacabilem fermè sitim excitare consuevit, quæ ventre potulentis pleno, non cessat.

Magnum nostræ veræ assertionis indicium sitis hydropicorum est, quæ ab eodem sero albugineo spermaticarum partium nutritio fit. Dum enim ichorosum, salsum, præternaturale membris nutriendis ineptum, facta atrophia ad ventrem ablegatur (ideoque etiam ad medianam ventriculi tunicam) appetentia in hydropicis prostrata, sitim inextinguibilem accendere observatur.

Hæc paritèr sitis in plurimis febribus observatur depravato tali succo albugineo nervorum nutritio, dum aciditate exuta alchalino bilis amarore imbuitur unde fame pessundata, sitis clamosæ fit parens in ventriculi mediana tunica concipiens, aliisque visceribus calorem, & salinam sui depravatam condictionem communicans.

Sitis etenim quæ ob salsos, acres, irritantes liquores, vel ob pituitam salsam, aut bilem in cavitate ventriculi oritur, vomitoriis, dejectoriis aqueis diluentibus facillimè tollitur.

Fatemur itaque quod omnia salsa, acria, urinosa, aromatica, sali volatili oleoso, plus minus prægnata, sitim pariunt.

Sic alimenta salita, piperata, difficilis digestionis quæ tenues aqueas partes citò per pylorum dimittunt, crassioribus siccioribus, ac terrestrioribus relictis sitim faciunt.

Sic saliva vitiosè salsa deglutita, fauces irritando. Sic cruditas nidorosa, defectu acidi in eluonibus, ac parasitis, matutinam sitim à somno excitis suscitare observatur.

Observabile quidem est, quòd quo ma-

magis actiuum est stomachi fermentum acidum, eo minus vrgere potest sitis. Vice versa dum in febribus deficit acidum fermentum, assumpta in nidorem corrumpuntur, fitque continua, & clamosa sitis, quæ nullis aqueis potulentis cedit. Quoniam aquea isthæc causa proximam sufficientèr non corrigunt.

Auxilia sitis.

IN febribus sitim tollunt acida potissimum tenuia spirituosa, ros vitrioli, spiritus nitri &c. quoniam acria nidorosa circa naturalia viscera, & in stomacho contenta corrigunt, præcipitant, & in tertiam naturam mutant.

In scorbuticis, & affectibus leprosis sitim levant vel tollunt lactis, vel seri potus. Quoniam acrium salium impetum frænare valent.

Gargarismata sitim à naturalibus visceribus venientem fallunt, & solantur tantumodò.

Sitim vero à faucium siccitate ortam benè tollere possunt. Quæ etiam Hippocratis documento arceri poterit *sic docentis 3. in 6. Epidem. 33.*

Non sitire faciunt continere os, tacere, ventum cum potu paulatim admittere frigidum. Sic enim *Aristoteles de admirandis audit.* narrat: *In Cephalenia capræ, tum cætera quadrupeda nullo pacto bibunt; sed rictu in opposito flatu converso, ac ore aperto aera suscipiunt.*

Universa acida sitim à causa alcalica biliosa, amara orta solantur, vel tollunt. Atque experientia ostendit, quòd vnicus vini haustus plus sitim sedat, quam duo aquæ simplicis, ac insipidæ.

Verum potulenta aquea cæteris efficaciora sunt in tollenda siti, ab acribus salibus facta. Hæc etenim ab aqueis facilè dilvuntur, imbibuntur, absterguntur.

Quæ à calore solo in non febrientibus exigua sitis excitatur (à Galeno superficialis dicta) hæc inducto refrigerio, per potulenta actu frigida conquiescere solet. Hæc eadem est illa ab *Hippocr. 5. aph. 27*, descripta, quæ solius patientiæ fuste, ac somno abigi solet.

Verum sitis morbosa, quæ cum notabili spirituum animalium consumptione conjungitur, spiritus oleosus volatilis, vt est spiritus vini ad coclearia duo sumptus, magis sitim suffocare valet, quam centuplum aquæ.

Quæ adhùc sitis ab immodicis evacuationibus equè sanguis, ac excrementorum obstinata persistit, balneo, & lacte felicitèr demulciri consuevit.

Materiæ ex quibus varia sitimastiga parantur sunt: Emulsiones ex 4. sem. frig. ma. Lapis prunellæ. Serum lactis. Lac acetosum (oxigalà Græcorum) Aqua, seu decoctum hordei. Aquæ stillaticiæ acetosæ, endiviæ, cicorei, borraginis aliæque innumerabiles. Fructus succolenti rhibes gresspini, limonum, aurantiorum, citri, fragarum amarenarum, peponum, anguriæ, cucurbitæ, ex quibus etiam taleolæ supra linguam ponendæ parari possunt, & potissimum cucumeris. Variæ emulsiones ex variis seminibus, & potissimum frigidis. Variæ mucilagines & potissimum ex seminibus cotoneorum, psilii &c.

Multiplicia potulenta in apendice prima eligentibus proposita. Vinaque Avicenæ dicta, ex passulis varia pro varia exigentia. Vina malorum punicc-

corum, amarenarum, & aliorum fructuum, ac seminum.

Vina meraca tamen prçcaveantur, sed diluta semper sint, magis enim penetrantiora fiunt, magisque corpus humectant. Talisque humectatio magis nutriens ac refocillans est.

Aqua gelida ventriculi regioni per petias applicita, tum testibus. Meo tamen consilio lintea frigido lacte madefacta applicabuntur.

Quoniam sæpè sitis fit, circa finem coctionis in ventriculo, post elapsam à ventriculo partem cibi tenuiorem, crassiore restitante. In hoc casu istæ crassæ salinæ reliquiæ potu diluendæ sunt. Vinum tamen dilutum, ac pauciferum sit, ad faciliorem chyli distributionem.

Prçternaturalitèr sitibundi, cibos equè, ac labores minuere tenentur. Atque otiantes in loco perspirato aerem frigidum respirent.

Ore detineant ossa amarenarum, vel prunorum aut globulum chrystalli, aut citri taleolam, lactucæ, vel cucumeris frustulum. Vel chartæ globulum in quo sal prunellæ detineatur.

Epythemata ex succis, & speciebus refrigerantibus os frequentèr frigido lacte abluatur. Vel saltem emulsionç gelida ex 4.sem. frig.ma.parata.

Vomitus causæ, & auxilia.

EXcretio per os vomitus est, rei in ventriculo contentæ, à perverso ventriculi, tum annexorum intestinorum motu peristaltico, ab acutis, acribus, heterogeneis particulis facta.

Motusque hic, stomachi violentus, ac convulsiuus fit à spirituum animalium in ventriculi fibras impetuosè insilientium, magna explosione, seu expansione, ut irritantia dejiciant. Peristaltici verò motus inversio frequentiùs incipit à loco vtriusque ductus, videlicet biliarij, & pancreatici.

Atque duo præcipuæ vomitiones fiunt. Alcalicorum biliosorum, & acidorum corruptorum equè stimulantium. Biliosus vomitus fieri solet, dum materia biliosa stomacho affluens, irritatione sua est in causa ut pilorus in se constringatur & arctetur, quare mora facta magis incalescit, & corrumpitur.

Pro varia verò occursantium mixtura, atque fermenti qualitate, viridis, flava, poracea, amara magis, vel minus fit, prout acidum stomachicum ad varias corruptiones rapitur.

Si organa fellea, tum fermentum fellis in iecore fellis confectionem, ac separationem indebitè moliantur, ardores præternaturales ebullitiones, inappetentiæ, ructus, vomitus excitantur.

Si lienis organa, & fermentum exorbitet, fiunt tormina, erosiones, atque sanguineæ evomitiones. Mitigato tamen semper vtrobique pylori furore, facili marte vomitiones universæ cessant, & molestantia ad inferiora demittuntur.

In febribus tamen, & magnis totius affectionibus, vomitus fræquentes fiunt, dum cum sanguine acres, vitiosæ quandoque malignæ corruptæ particulæ, per arterias ad ventriculum delatç, ventriculi fibrillis sentientibus vim inferunt. Inde animales spiritus irritantur, ac in furorem aguntur, quare à consuetis blandis, & placidis motibus peristalticis desistentibus,

tibus, dum talis motus invertitur, ventriculus concutitur, & veluti abortiri cogitur. (Sive irritans acrimonia salina lixiviosa sit, sive acida mordicativa) inde quæ in ventriculo, vel huic proxima sunt, vomitu pelluntur.

A cruditate quacumque acida, causticis quibusdam irritantibus salibus admixta, sive in ventriculo contenta, sive ad ventriculum, & intestina transmissa, vomitiones etiam cruentæ exurgunt, tum disenteriæ torminosæ.

A vitioso muco salino, vel acri latice in plicis ventriculi hærente, non semel fiunt vomitiones. At horrendi vomitus exurgunt à sero nutritio albugineo nervorum, à spermaticarum partium nutritione residuo, à natura destinato, ut sit ventriculi fermentum in mediana ventriculi tunica glandulis innumeris conflata contentum.

Si itaque præternaturalitèr se habeat, universa ad stomachum appellentia depravat, & naturæ odiosa reddit. Neque cessat affectio nisi ad mediocritatis limites, arte, vel natura duce deducatur.

A fermento itaque ventriculi isto depravato; ingesta non ritè gubernata facilè corrumpuntur, atque naturæ odiosa vomitu dejiciuntur, dum silicet ab obiecti incongruitate læsus stomachus reluctatur, ejusque fibrillæ in spasmum concitantur.

Gravidæ verò ab initio vomitionibus tentantur. Non quia sordes ab utero retrocedentes hac via expurgari postulent. Sed quia serum nervorum nutritium albugineum, quod fuit seminis materia, est etiam fœtus alimentum, quod ad tunicam ventriculi medianam delatum, à viru seminis masculini contaminatum, est in causa inappetentiæ, vel depravatarum appetentiarum, vomitionum, aliorumque ventriculi affectionum.

Auxilia vomitus.

VOmitum vomitu solvere Neotericorum inventum non est; sed principis medicorum *Hippocratis qui lib. 2. de morb. pop. ait*: *Vomitum solves aqua tepida oblata, ut vomat*. Verùm quia non semper aqua tepida oblata in magna copia vomitus succedit.

Ideò si res vrgeat ad aureum pulvisculum meum in parte quinta propositum accedo. Vel ad Gillam Teofrasti, ad sal vitreoli ad gr. v. aut ad tartarum hemeticum ad gr. iii. & universæ stomachi corruptelæ exterminabuntur. Fateor tamen in sanis blandum vomitum frequentèr procurasse jure insulso, oleo, aceto, & oximelite tepidis epotis, ac felicitèr & cum fructu successisse.

Pro languido stomacho, sed valdè sensitivo, & ad minimas molestias vomitu insurgenti. Corallia rubra præparata, cum sale absynthii dissolvantur in succo limonum, aqua cinamomi, sufficienti quantitate confectionis hyacinthinæ, & syrupo ex floribus papaveris. Atque cocleatim ter vel ampliùs in singulas horas exhibeatur.

Si autem vomitus cum condictionibus calidis, & multa irritatione fiat, spasmodicum affectum esse suspicaberis ob ingentem oris ventriculi irritationem, & delicatum sensum, à quo dolorosæ fibrarum nervearum contractiones fiant, & vehemens animalium spirituum exagitatio.

In hoc casu absque hæsitatione ad omne opiatorum, & papaveraceorum genus confugere poteris.

Atque in aqua, vel decocto plantaginis miscere corallorum pulverem, cinamomi, & croci, cum laudani opiati, & canphuræ granis, quæ cum syrupo de papavere edulcorentur, atque cocleatim post vomitionem factam propinentur.

Vesperi verò eundo cubitum granum vnum, vel alterum laudani opiati summant cum confectione hyacintina vel alchermes, atque corallorum pulvere ad scrup. ʒ. Hac enim arte, humorum acrimonia attemperabitur, ventriculi sensus obtundetur, spirituum impetus reffrænabitur, & sic ventriculi fibrillarum spasmodica contractio pacabitur.

Non pauca etiam externa auxilia sunt, quibus molestis vomitibus occurrere possumus. Spongia enim aqua rosacea, & aceto sub frigida fossulæ pectoris applicita, à fervida materia vomitus ortos compescit.

Sic crusta panis in aceto rosaceo intincta, vel succo onfacij, pulvereque masticis, & rosarum aspersa. Imò placenta ex rosarum destillatione residua aceto irrorata inservire potest.

Manuum injectio in frigidam imminentes vomitus sepè propulsat. Si aqua rosacea foveantur testes non solum molestias vomitionum à crapula, sed & ab aliis causis excitatas tolles.

Cataplasma ex cydoniis in aceto coctis auxilium Gordonii est. Villanovanus verò plurimum commendat acre fermentum, aceto acerimo subactum, & succo menthæ vel salviæ admixtum, ventriculo applicitum.

Panis tostus contritus, ac imbutus vino odorato, insperso pulvere masticis, cariophilorum, nucis moscatæ, cinamomi, à viscida, acida pituita irritante ortos vomitus præ ventriculi languore curat.

Officinale emplastrum de crusta panis pariter sufficere poterit, ex crusta panis assata paratum, in aceto macerata, & mastiches pulvere, mentæ, spodij, corallorum, santallorumque omnium an. drach. j. admixto.

Quibus oleosa illita magis placent, accedere poterunt ad oleum mastiches destillatum, vel nucis moscatæ expressum, admixtum cum oleo cinamomi, cariophillorum, balsamo Peruano & languenti stomacho, à frigidis causis affecto plurimum succurrere poterunt.

Gummi pariter tacamacha super alutam extensa, guttulis balsami Peruani admixtus, fossulæ pectoris non inutiliter admovetur.

Solum fermentum panis acre, cum aceto, & sale subactum, vomitus frequenter sanasse observavi recenter ortos.

Universaliora auxilia pro opportunitate seligenda sunt, succus, vel gelu cydoniorum, Salvia, mentha, betonica. Tunica interna ventriculorvm pullorum gallinaceorum. Rhibes. Poma acerba, pyra. Cariophilli. Piper succus, & vinum granatorum. Acetum. Absynthium. Cinamomum. Nux muscata. Macis. Vinum ex baccis juniperi. Pistacia. Citria condita. Nux viridis condita. Cortices aurantiorum conditæ, Cydonium conditum. Mispila. Sorbæ. Cornus & multa alia quæ alvi floribus inserviunt.

Prosunt universaliter languidis stomachis aromatica, fragrantia, ut potè stomacho grata, & amica. Confectiones aromaticæ, alkermes cum ambra. Oleum cinamomi, Essentia cariophillorum & innumera rosolina, atque

que

que tincturę ex pręciosioribus stomachicis, in spiritu vini paratis.

Sic crocus in ferculis, tum quocúmque modo adhibitus vomitionum irritationes tranquillat. Oleum vel tinctura succini multis fuit auxilio. Mastiches grana aliquot à cibo commendantur.

Decoctum lentium, vel lens ipsa cum modico aceto cocta, & esitata venerabilis antiquitatis, & Divini senis auxilium familiare erat. Succus cydoniorum cum syrupo de corallis cocleatim propinatus, vomitus molestias arcere solet.

Sal Martis, & absynthii ad gr. iij. cum succo limonum neotericorum quorundam sacra ancora est. Qui etiam consulunt, ut acrimonia lixivialis vomitum faciens, oleosis dulcibus attemperetur ex. gr. oleo amygd. dulcium. Insulis tepidis. Emulsionibus ex 4. sem. frig. ma. omni tempore.

Acrimoniam verò acidam, concentrantibus tolli ac lixivialibus omnis generis jubent. Videlicet absorbentibus pulvisculis oculorum cancri, concarum margaritiferarum, & omnis generis crustaceorum, osseis etiam non omissis, spodio, cornu cervi &c. Sed lixivium factum ex plantis cephalicis incineratis in hoc casu super cætera auxilia profuisse observavi.

Sal vitrioli, cum pulvere corallorum, & conserva rosarum, nidorosos stomachos juvat. Vel spiritus vitreoli in modico vino malvatico propinatus.

Verum si bilis nimis activa, volatilis, ad ventriculi supernum orificium assurgat, ibique facta irritatione, ac impetu vomitum excitet. Sal absynthii ad scrup. j cum gr. v. salis martis dissolutum in succo limonum propinetur, & conquiescet.

Læsæ ventriculi concoctionis causæ, & auxilia.

QUoniam stomachi fermentum; succus albugineus nervorum, ac spermaticarum partium nutritius est, qui ab eorundem nutritione residuus, ad medianam ventriculi tunicam, seu ad ejus innumeras glandulas ablegatur (fermenta panificii ad instar à veteri pasta residui) ut alimentis ad ventriculum venientibus, vitalem quandam influentiam sibi à sensitivis, ac spermaticis partibus communicatam impartiri possit. Qua mediante à vinculis suis aura quædam vitalis, sal vitæ volatilis adhùc in vegetabilibus, & animalibus superstes solvitur, & cum fermento congeneo fluorem adepta, chyli facie per chyliferos ductos ad cor, & massam sanguineam devehitur.

Si itaque præternaturale atque improportionatum tale fermentum fuerit, tunc alimentorum salia aptè elijcere, ac dissolvere nequibit. Sed chylus ressultabit crassus, viscidus, qui ad duodenum appellens, per alios liquores corrigi non poterit.

Namque alkalicum bilis, hujus chyli acidum præternaturale, improportionatum, non absorbebit, neque convenientem fluiditatem idcircò illi impartietur. Ex pancreate verò succi, tum ex glandulis intestinorum tunicis insertis emanantes, hæc improportionata alkalica adinvenientes, chyli sulphura sufficientèr non dissoluunt.

Quamobrem talis chylus sanguini mixtus, sufficientèr corrigi nequit, sed universi succi ab eo ressultantes, de ejus indole participant.

Tale itaque fermentum non calo-

ris vi, non intensæ aciditatis vigore, hoc magnum naturæ munus absolvit; sed quadam innata temperie, atque symbolica cum esculentis convenientia.

Si etenim sola aciditas chylificationi sufficeret, felices hypocondriaci essent, in quibus fermenti acor adeò exaltatur.

Quandoque vini spiritus prodest, eodem fermento languido, ac nimis diluto existente. Veteres talem languorem admirati, ventriculi tunicas attenuatas, calamitatis causas esse culpabant. Nos attenuationis hujus causas, depravationem, ac defectum hujus liquoris nutritii albuginei nervosi, in interiori & media ventriculi tunica esse reputamus.

Dum igitur fermenti, seu hujus liquoris albuginei acidi operatio imperfecta est, alimenta in minimas partes segregari nequeunt.

Impeditur itaque ejus actio à copioso potu vel aquoso diluente, vel aliis contrariis qualitatibus imbuto.

Acidum paritèr stomachicum iners redditur, dum justo pinguiora, viscidiora, frigida, narcotica, copiosiora, humanæ naturæ hostilia assumuntur.

Vel dum ob aeris æstum, ob exercitia, animi pathemata, studia magna, spirituum animalium dissipatio facta est, quare succus albugineus acidi stomachici reparator depauperatus accedit.

A triumvirato paritèr salivæ, succi pancreatici, bilisque ad stomachum præternaturalibus qualitatibus imbutis veniente acidi stomachici vigor infringitur, sicuti ab jisdem naturalitèr affectis vigoratur.

Prout ab alimentis volatili aciditate præditis, & à condimentis similibus, tum à vino generoso, spirituoso sub-acido plurimum in sua virtute exaltatur.

Saliva etenim à morbis, vel alia causa in debita mensura, & qualitate non affluente, alimenta sufficientem fluiditatem nancisci non possunt.

Quæ adhùc in crapula summuntur supra fermenti potestatem, corruptionem subeunt. Sic intempestivè sumpta, licet bona. Sic aliena qualitate imbuta, aut pravis condimentis depravata.

Salis etenim potissimum nimia copia in æsculeutis acidum stomachicum valdè infirmare solet, & digestionem difficilem reddere, illud veluti fixando.

Insipida autem copiosiora illud nimis diluendo. Stare itaque debet modus in rebus; vltrà citràque nequit consistere rectum.

Regula tandem generalis sit quod universa quæ in ventriculo diutiùs, quàm assumptorum natura tolleret immorari faciunt, sunt in causa, ut præternaturalitèr incalescant, ac ventriculi depravetur concoctio.

Auxilia.

DUo præcipuæ corruptiones in ventriculo, ex præternaturali digestione contingunt, ad nidorem, & ad acidum, quæ tamen promiscuè à causa calida, vel frigida venire possunt per accidentia varia.

Quare in horum saporum investigatione scrupulosiùs non immorabimur. Sed universas has corruptiones, *cum Hippocrate in libro de salub. dieta inconcoctiones appellabimus.* Ejusque monita executioni mandabimus sic: *Qui postridie cibos inconcoctos eructant, longiori tempore dormiant, aliis-*

que laboribus exerceantur. *Vinum meracius sit, copiosius, & cibi pauciores. Ventriculus enim præ imbecillitate, & frigiditate, ciborum multitudinem coquere non potest. Cibi probè mandantur, & actu calentia sumantur. Ab externo frigore tueantur. Et vita sedentaria non sit*. Amplissima est materia auxiliorum ventriculi indigestionibus succurentium, pauca verò est curativa, quoniam ab intrinsicis principiis, & mala constitutione liquoris albuginei, seu acidi stomachici provenire solet.

Ex betonica itaque salina, rosmarino, menta, corticibus citri, aurantiorum, cariophillis, nuce moscata cinamomo, macis, pipere, olibano, mastiche, ambra, mosco, absynthio, ligno aloe, centena auxilia concinari possunt, pro varia exigentia.

Rotulæ magis familiares in condictionibus frigidis parantur ex pulvere macis, nucis moscatæ, cariophillorum cum oleo anisorum, corticum citri, mosco ambra, & saccaro dissoluto in aqua rosarum, vel florum aurantiorum ad cocturam; manus Christi &c.

Pro stomachis naturalitèr languidis, frigidis fovendis hora somni theriacam ad amygdalæ magnitudinem semel in hebdomada plurimum prodesse observavi.

Pro senioribus verò, & hyeme cum conserva enulæ fit efficacior. Manè verò usum chocholatæ summoperè commendamus potissimum pro tussiculosis, & crassa, frigida excreantibus. Pro quibus decoctum herbæ theæ & amaricantia moderata conferre possunt. Ut est vinum absynthite; conserva absynthii. Vini spiritus cum absynthio. Rosolinaque varia, pro varia exigentia, suo loco indigitata. Gingiber conditum recens magnum his auxilium est. Tum diutino tempore adhibitum vinum lentisco medicatum.

Verùm in causa calida expedit potius temperatioribus acidis exaltationem acidi stomachici & alchali bilis depressionem procurare, ex. gr. rore vitrioli. Conserva acidi citri, succo limonum, vel aurantiorum in aqua florum aurantiorum diluto, succo malorum punicorum, amarenarum, & consimilium fructuum acidiusculorum &c. aceto &c.

Si vero à sicca intemperie, & totius macie affectus foveatur, & liquor nutritius nerveus depravatus calamitatum omnium causa judicetur. Tunc ad eum corrigendum vix excellentius auxilium excogitabis quam lac asininum, vel humanum, longo tempore adhibitum (& in casu graviori) post tepens balneum in quo per dimidiam circitèr horam immorentur, ad moderatam caliditatem usque Post balneum oleo amygdalarum inungantur. Post inunctionem deindè lac exhibeatur.

Quibus lac naturale convenire non potest, lac artificiale manè, tum in cibis, parato ex 4. sem. frig. ma. Non omissa interim pasta regali ex amygdalis, pineis, pistaciis, sem. malonum, & sexta parte anguillæ elixa, cum quarta portione saccari in mortario contusis.

Tum factis morsellis ex carne testudinum ranarum, caudarum gamarorum, nucleis pineis, amygdalis, saccaro, & modico cinamomo admixtis.

Jus etiam pullæ vel columbæ in cujus ventre sit pasta confecta ex carne unius viperæ caudis gamarorum, cum pane trito, passulis, & modico cinamo-

mo-

momo. Magnum auxilium erit his lãguidis corruptioribus ventriculis, qui ad tabem vel maciem in progressu rapiuntur, si etiam china, sassafras aliaque ligna juxta indigentiam aptentur, majorem jus acquiret energiam, ad serum nutritium nervorum corrigendum, ejusque excrementa per ambitum eliminanda.

Nam sic restituto acido fermento naturali, stomachi vigorem restitutum fuisse gaudebis, & nutritivæ facultatis instrumenta omnia restaurari, excrementitias humiditates absumi, totum corpus renutriri, magisque vivificari observabis.

A prandio, & cœna gr. iij. mastiches devorata semper commendatur. syrupus mentæ compositus ventriculi intemperiem frigidam tollet.

Universalitèr cibi, & potus non sint magnarum virium seu valdè stomachi viribus reluctantes. Sed potius temperati, ac modicè humectantes. Non admodum calorifici, & exiccantes. Sed multi nutrimenti, & paucorum excrementorum.

Ideò fercula lacte artificiali, vel naturali parata, ova, & alia hujusmodi languidis istis sunt accommodata.

In sicciori ventriculo ab aromatibus, & à vino austero semper cavendum erit. Atque ante prandium, & cœnam propinetur jus optimè paratum ex testudinis carne, ranis, & caudis gamarorum.

Vel ex pasta regia amygdalarum, pistaceorum & seminum melonum emulsio in jure pullæ fiat. Ut exiccatio omnis arceatur, & ventriculus ad suscipienda alimenta cum majori vi disponatur.

Victus interim temperatus sit. Modicè exerceantur, modicè dormiant. Animus pacatus servetur. In aere temperato degant, vel frigidiusculo,

Carnibus assis potiùs gaudeant, quam elixis; pullis columbinis, aviculis montanis; Atque pane biscocto utantur.

Modicè vel parum bibant, vinumque in optimis terris natum, & sibi per experientiam notum, ac stomacho familiare, procul à fæce, alienum ab omni intensa qualitate dulcedinis, acidi, raspati &c. sumant.

Balneum ad diaphoresim procurandam, & appetentiam conciliandam plurimum inservire poterit. Vel saltem loco balnei inunctio Aetii cum frictionibus validioribus, ac ressolventibus.

In fine mensæ conservæ, vel condita cydoniorum, rosarum, aut fructuum austeriusculorum. Si res vrgeat, vino in mensa utantur, in quo pluribus vicibus masticis globuli, & thuris conglomerati, & accensi extinguantur.

Externa quoque auxilia, pro opportunitate aptiora eligenda erunt. Ut sunt pro frigido, languido ventriculo acidis corruptellis subjecto, fomenta calentia, in vino albo odorato spica, absynthium, mentha, salvia, cinamomum, cariophillus, nux moscata in sacculo posita, ebullita, & fossulæ pectoris applicita.

Simplicior fotus fit cum lana, oleo mastichino destillato imbuta, & stomachicis pulveribus conspersa.

Iaspidem supra pectoris fossulam assiduò gestare laudat venerabilis antiquitas. Ceratum de gummi tachamaca regum Hispanorum commendant Neoterici. Paratum ex gummi tacamacha vnc. ij. balsamo Peruano gut. x. & cera nova vnc. j. Hæc ad ignem soluta,

luta, & commixta, super alutam extendantur, & applicentur.

Meum stomachale ceratum, quo plurimi nobiles amici mei senes cum fructu utuntur paratur ex mastiche drach.j. Pulvere gariophilorum scrup.j. balsamo Peruano gut. x. oleo nucis moschatæ drach.5. Terebentina & cera an. drach.15.m.ad ignem.extendantur super alutam.

Scuta etiam stomachalia in usu ponenda erunt, ex summitatibus rosmarini, corticibuscitri, cariophillis, nuce moscata, mastiche, olibano, ambra, mosco, absynthio, ligno aloes, cinamomo, crasso modo pulverizatis, gosipio exceptis. Inter duas sindones consutis, scutiformia supra ventriculi regionem applicanda.

Verum pro languido ventriculo, corruptionibus nidorosis obnoxio, cum fervidis condictionibus portulacæ usus præstantissimus fuit penès Zacutum Lusitanum lib. praxis historiarum decoquatur, & propinetur tum panatellis admixta, nec non emplastri modo regioni ventriculi admoveatur.

Mihi onfacium, ut magis humanæ naturæ amicabile arridet, potissimum in illis qui in victu calefaciente vinis generosis, alimentis plurimis aromatibus conditis deliquerunt. Maximam etenim adversus viscerum omnium fervidam intemperiem, & æstus, omphacii facultatem esse expertus sum.

Choleræ causa, & auxilia.

EXcretio ætherogeneæ, corruptæ materiæ per os, & aluum colerica affectio est; ob convulsiuos motus indiscriminatim in visceribus (sed potissimum in fibrillis ventriculi, ac intestinorum) ob vitiatam alimentorum digestionem, vel corruptos liquores aliundè venientes, & ad expulsionem per superiora, & inferiora loci archeum irritantes.

A rebus putrefactibilibus, seu cadaverabilibus ingestis. Et à stomacho legitimo fermento suo digestivo carente fieri consuevit affectus plerumque.

Hoc verò pessimi in se cholera habet, quod quidquid cholerica materia attigerit, fermento suo virulento inquinat, & in virus morbosum transmutat, quod in furorem agit pylori, & intestinorum archeum, omnia contenta, cum impetu supra, & infra dejicientem.

Ventriculi itaque acidum fermentum, (quod progeniem esse diximus succi albuginei nervosi ad glandulas medianæ tunicæ ventriculi delati) si præternaturalitèr se habeat vel in liquamem austerum, acidum, amarum, salsum degeneret, appellentia universa æsculenta, ac potulenta contaminat, ac naturæ odiosa reddit.

Non semel affectio fit, ab irritantibus liquoribus à toto venientibus, atque ex arteriis in ventriculum, & intestina suffusis.

In febribus magna facta liquorum fermentatione, turgens materia irrequieta, hinc indè vagans, dum est inepta perspirare vel impedita trasspirare aut sudore deijci ad intranea convertitur, per arteriæ celiacæ ramos ventriculi, & intestinorum cavitatibus se se inserit.

Horum viscerum, fibrillæ vellicatæ, in spasmodicos motus erumpunt, spiritibus animalibus inordinatè ac confusè accurentibus, & per superiora ac inferiora dejectiones molientibus.

Om-

Omnium tamen frequentissima causa bilis est, cum succo pancreatico vitiosè circa duodenum effervescens, ad stomachum assurgens, & ad intestina devoluta, effera, effrænis, sylvestris, absque comparjs acidi moderamine, undique fibrillas in spasmos vomitivos, & laxativos concutiens.

Non semel tamen ab acido pancreatico effræni, absque comparis bilis moderamine eadem fermè symptomata oriuntur.

Prout ab acido extraneo fermentativo stomachi fermento adversante, cui admixta bilis, aliæque alkalinæ, salinæ ætherogeneæ particulæ admixtæ sint, cholericæ affectiones quandoque prosiliunt.

Tale acidum extraneum fermentatiuum nos cum Hippocrate in fructibus horariis cognoscimus, quoniam succi incoctilem esse *de tuen. Val. in parte sexta ostendimus*. Atque fermentatione facta in locis fervidis, aciditatem naturalitèr inducere.

Particulæ itaque inter se contrariȩ, digladiantes in prima corporis regione, viscera, & eorum fibrillas irritando, omnia in confusionem adigunt.

Nam bilis acrior facta, ac effrænis, spiculis suis salinis vellicat, non tantum propriam cystim, & tubulos felleos, sed pancreatem ipsum, ejusque ductus ventriculi, intestinorum fibrillas nerveas (imò viscerum omnium) spiritusque animales incolas lacessit. Qui impetuosiùs accurrentes, motibus spasmodicis factis, vomitiones, ac frequentes dejectiones moliuntur. Criticè quandoque, sed ut plurimum symptomaticè agentes.

Tantaq; est aliquando fellis corrodẽtis Alkali malignum, quod adversus intestina sæviens, ac eadem corrodens, ad cancrenas deducat aliquando.

Auxilia.

Si de materia in ventriculi cavitate corrupta copiosa, irritante indicia adsint, vomitu procurato per antimonialia blandiora, (ut est tartarus hemeticus) vel per Gillam Teofrasti, aut sal vitrioli ad scrup. ȝ. circiter in jure pulli.

Deinde ad imbibentia ex crustaceis, aut ex ossibus parata. Postmodum nocturno tempore hora somni ad opiata, & papaverina descendemus ad laud. nep. gr. ij. vel iij. vel ad tincturam opii. aut decoctum florum papaveris vnc. iiij. cum vnc. j. syrupi ex fl. papau.

Nam impetrata quiete, ac somno, liquorum orgasmus, & spirituum impetus moderabitur, vitiosa confluentium acrium humorum effervescentia mitigabitur, & irritatio omnis conquiescet. Neque ventriculus, aut intestina ad convulsivos motus, propriæque naturæ contrarios sollicitabuntur, quibus peristalticus motus deturbatur, ac invertitur, tum vomitiones excitantur.

Diurno etiam tempore, si de magna materiæ tenuitate, mobilitate, ac effervescentia indicia constent decoctum florum papaveris cum confectione hyacintina, margaritis, & conchis margaritiferis, cum granis quinque vel ampliùs laudani nep. & canphuræ dissolutis cocleatim pluries in singulas horas propinabis.

Hac enim arte humorum peccantium impetus cohiberi poterit, & naturæ induciȩ procurabuntur, vt eosdem concoquere, atq; edomare possit, vitiosa effervescentia sedata, atque sensu fibrillarum stomachi, ac intestinorum aliqua ex parte sopito.

Idcir-

Idcircò etiam emulſiones ſeminum 4. frig.ma. in aqua plantaginis, portulacæ vel papaveris, cum ſyrupo ex floribus papaveris ad vnc. vj. ſemel vel bis in die, imò cocleatim eadem ratione propinari poterunt, additis pulveribus corallorum, margaritarum, oculorum cancri, & conſimilium &c.

Qui valida vomitoria reformidat, accedere poterit ad leviſſimum illud quod procurari ſolet oleo amygdalarum, vel olivarum ad vnc.iiij. in jure ebullito copioſo.

Si verò de materia acri tenui bilioſa ſuſpicio ſit, loco juris aqua, vel decoctum florum papaveris ſumatur, cum vnciis duabus oximellitis, vel ſyrupi acetoſi, aut aceti roſacei.

Saccarata, & dulcia, potiſſimum ſincera, peſte, & angue in hoc affectu pejora fugiantur, ventriculi namque fermentum depravatum non corrigunt; imò ejus corruptelam, ac depravationem augent, præternaturale acidum irritatiuum induentia; & cum vitioſis ſuccis in ventriculo repertis vitioſè effervefcentia.

Horum cibus paucus ſit, & concoctu facilis. Iuſcula acidis blandioribus temperata. Offa panis cum ſucco granatorum, vel alterius acidi parum adſtringentis.

Potus ſit vinum cydoniatum, vel extinctionis maſtiches. Vel alia acidula potio ſubadſtringens. Vel tinctura roſarum aut florum papaveris in aqua florum papaveris aut Nocerianæ per guttulas ſpiritus nitri aut vitrioli acidula facta.

Santallorum aliorumque lignorum decoctio non reprobatur, & ligni braſilienſis. Vel ſecunda aqua cordialis Saxoniæ acidula facta ſpiritu nitri, in qua ſæpiùs auri fruſtula ignita extincta ſint propinetur.

Ad frigiditatem aer inclinet, ideoque ſi natura talis non ſit, arte procuretur, *alibi de tuend. Val. in parte prima præmonſtrata*. Calidus enim aer bilem acriorem, magiſque volatilem reddit, acidum ventriculi diſſolvit, diſſipat, ac de ſuo tono dejicit alcalico bilis exaltato. Hinc paſſim ſani ipſi æſtivo tempore, ſtomachi languore afficiuntur, ac minus appetentes fiunt.

Sic Hippoc. *6. Epid. tex.* 10. *notat Æſtate potiſſimum cholericas affectiones fieri*. Æſtas etenim exaltando alkali bilis, acidum fermentum ſtomachi deprimere ſolet. Hinc alimenta faciliùs corrumpuntur, & ad alvi fluores, cholericas affectiones excitandas prona fiunt.

Acria univerſa, tum ea quæ facilem concipiunt corruptionem, ut aromata acria, piper &c. lac, & lactaria univerſa, fructus horarii, anguilla, caro ſuilla copioſa (quæ frequens eſt cauſa coleræ diù continuata, ut *Bianti pugili penès Hippocratem in Epid. contigit*) omninò arceatur. Archigenes præſentibus condictionibus fervidis, ventriculo aquam frigidam, linteo, vel ſpongia imbibita applicandam eſſe iubet, per horam circitèr poſtquam intepuerint lintea renoventur.

Emplaſtrum paritèr de cruſta panis, ſepius repetitum; validum auxilium erit. Videlicet cruſta panis liquoribus variis imbuta, variis etiam ſpeciebus, ac pulveribus inſpergi poterit, pro varia ægrorum opportunitate.

Imbibi etenim poterit in vino auſtero generoſo, vel ſucco granatorum, menthæ, ſalviæ, abſynthii. Pulveribus maſticis, cinamomi, diarrhodonis, tria ſandalorum, corallorum conſperſis.

Exteriùs ètiam non displicet placenta rosarum à destillatione residua, aceto, omphacio, vel succo granatorum respersa.

Vel fotus ex succis plantaginis, portulacæ, cum aceto rosaceo, & speciebus diarhodonis. Varia etiam confortantia, sacculo inclusa, in vino granatorum ebuilita cum succo portulacę aut ejus decocto, ventriculo applicita plurimum prodesse possunt.

Materiæ autem aptiores magisque usuales ex quibus varia auxilia concinari possunt, sunt portulaca, plantago, & eorum succi cum modico aceto eliciti. Conserva rosarum (potissimum vetustior) violarum, florum papaveris, sumachiorum, corniolatæ malvarum. Menta. Onphacium. Grespina. Rhibes. Cidoniorum succus. Corallia. Terra alba mutinensis virgo dicta. Bolus Crustaceorum, & osseorum pulveres &c. Corallorum tamen, margaritarum, tum conchæ margariferæ pulveres cæteris preferri debent in hoc affectu pro concentrandis acidis irritantibus.

Vitella duo ovorum, succo onfacii conspersa à cęna sumpta multos ad extrema fata raptos liberavere in aceto indurata, & pulvisculo tenui mastiches, & corallorum cooperta potissimum.

Non minori numero sanati recensentur. Qui longo tædio sævissimi affectus conflictati. Ad copiosum lac Asini (rebus fermè omnibus desperatis) accesserunt, videlicet ad libras tres, & ultra, more Hippocratico, ad alvi quandam ab utionem, ac universorum acrium liquorum attemperationem, potissimum præmisso balneo unius horæ tepido atque diaphoresi procurata. Tertia namque aut quarta vice ad sanitatis portum felicitèr continuatione facta devenere. Qui adhùc ampliora eligenda desiderat, pro vomitibus, pro alvi fluoribus auxilia consulat.

Diarrhea, seu alvi fluores causæ, & auxilia.

AFfectus, qui Græ. diarrhea, Lat. alvi fluor dicitur, dejectio frequens, copiosa, liquida excrementitiæ materiæ est. Quæ ut plurimum fieri consuevit dum stomachi fibrillæ, ac intestinorum, à præternaturalibus liquoribus irritantur, & loci archeum ad expulsionem stimulant.

Dum itaque fit talis irritatio, mox necesse est, ut intestina corrugentur, & cum eis glandulosæ texturæ emunctoria in intestinis hiantia constringantur, comprimantur, liquoresque in eis contenti, veluti ex spongia expressi inde per aluum deiiciantur.

Hunc ergo affectum concomitari putamus convulsivum motum intestinorum, & stomachi fibrillarum mordicatarum.

Mordicans verò liquor est quicumque vitiosus, acris, acidus, in prima corporis regione congestus, ex arteriis, ex vasis lymphaticis, vel ex aliis quibuscumque tubulis criticè, vel symptomaticè effusus, fibrillas intestinorum lixiviali, vel salina quacumque acrimonia vellicat. Fibrillæ à spiritibus animalibus turmatim accurrentibus contrahuntur, viscera coarctantur, & liquores peristaltico motu hinc in inde concussi, ad exitum accelerantur.

Variorum itaque, sed liquidorum excrementorum dejectio est, quæ nunquam sine irritatione intestinalium fibril-

fibrillarum contingit, ideoque cum motu quodam convulsivo, ac coarctatione nuper inventarum glandularum intestinalium. Ex quarum plexibus, veluti ex fonticulis varii liquores scaturire possunt.

Nam facta in magnis vasis sanguifluis sanguinis effervescentia, salia acria, biliosa in sanguine, & sero præexistentia manifestantur, ac fluorem adepta, naturæ spargiria, ut inutilia ad excretionum loca præcipitantur & ad tubulos qui in intestinis hiant mittuntur. Vbi intestinorum fibrillas vellicantes, spiritus animales majori impetu in subsidium accurrentes, & peristalticum motum augentes, expressiones in intestinalibus glandulis moliuntur, & undique coarctando expulsiones promovent.

Frequens tamen, & diarrhea est, quæ à vitiosa succorum in intestinis effervescentia tantumodò provenit. Sive ratione bilis acrioris alkalinæ supra acidum pancreaticum exaltatæ. Sive vice versa ratione acidi exaltati supra alkali bilis, dum utroque modo intestina præternaturaliter vellicantur.

Ab acido enim vitioso, & corrosivo intestinorum tubulos sollicitante, varii fluores alvi progignuntur. Et ab eo nigra excrementa quandoque colorantur. Validaque facta fibrarum corrugatione sua styptica condictione, magna tormina inducit.

Non semel diarrhea orta à sero per moram acidiori facto. Quod ex sanguinis massa sub forma halitus dissipari, ac evacuari solitum; densatis poris cutis stagnare cogitur; irritante idcircò qualitate indutus ad viam internæ excretionis deducitur, & ad intestina propellitur. Hinc est quod sanatio indicet morbum, atque in praxi videmus sudores, hujusmodi alvi fluores in horas tollere.

Ab obstructionibus quinimò non tantum in poris cutis introductis. Sed ab obstructis tubulis primarum viarum diarrhea producitur, dum potissimum lympha, & triumvirati liquores liberum additum invenire nequeunt.

Sed potissimum à glandulis cerebri infirmis, dum succus nutritius nervosus lymphæ plurimæ commixtus per palatum, & gulam ad ventriculum demittitur, suoque perenni impluuio humectat, laxat, debilitat, ejusque fermentum diluit. Diluta enim & corrupta alimenta ad intestina celeritèr præterlapsa deiicit.

Dilutum itaque stomachi fermentum quocumque modo, vel alienorum succorum mixtura alteratum, aut alia ratione depravatum, cruditatum parens, inde irritationes in intestinis, & diarrheæ causa potissima est.

Ideòque à succo salivali seu lympha, tum à succo pancreatico aquosioribus potissimum factis, ob copiam potus aquei, fræquens diarrhea contingit. Quæ in volucribus palustribus naturalis est, ob victum plurima aqua dilutum.

Equè igitur à nimia serosa aquea laxante humiditate, ac ab acrimonia salina irritante alvi fluores contingere solent.

***



Auxilia.

IN alvi fluoribus biliosis, aer potiùs sit refrigerans, ac tenebrosior, quietem & somnum concilians. Secus temperatus eligatur, qui potiùs ad calorem vergat, & qui diaphoresim prolectare possit. Frigidior etenim, & humidior ad diarrheas corpora disponere solet, ut benè notat *Hipp.* 3. *aph.* 16.

Cavendum etiam erit ab insessu lapidis, vel alterius loci frigidi, tum à calcando humum nudis pedibus. Noctuque benè contecti dormire debent. Nam hyeme & autumno ob imminutam diaphoram promptè in alvi fluores incidimus.

Non sic æstate, quando cutis meatus sudoribus, ac perspirationi patent; tunc enim aluus adstrictior fit, & urina minus profluit. Ideòque talis observatio docuit, quod sudorifera quocumque modo administrata in alvi fluoribus prosunt.

Sic exercitia cautè administrata utilia sunt. Somnus verò in diarrhea à cruditate non inutilis erit. Verùm in diarrhea à mordaci, salsa, serosa materia procurata, quæ cum aliqua excoriatione, ac torminibus ad dysenteriam progredi velle minatur; statim ad opiata, & papaverina confugiendum erit vesperè eundo cubitum, ad theriacam potissimum recentem ad drach. 5. vel Philonium Rom.

Imò præsente bilioso, ac frequenti fluore, ad lixivium illud acre, irritatiuum attemperandum, ac frænandum opiata conficiatur ex syrupo de papavere & aqua florum papaveris an. vnc. ij. Laudani nepentes gr. ij. matris perlarum preparatarum vnc. 5. Confectionis hyacinthinæ drach. ij. misceantur in opiatam cocleatim bis vel ter in singulas horas propinandam.

Vel si blandiorem papaverinam potionem ames, decoctum florum papaveris, cum eorundem syrupo exhibe. Aut emulsionem ex 4. sem. frig. ma. vespertino tempore ante initium somni.

In diarrhea ab acido vitriolico facta (de qua fortè intellexit *Hippocr.* 7.*aph.* 68.) in qua alkalica flava excrementa in intestinis reperta atrum induere colorem compelluntur; dentur oleosi spiritus. Vel vini spiritus, in quo variæ tincturæ ex rebus stomachicis eliici poterunt.

Aplicetur itaque oleum masticis destillatum, vel succini, vel nucistæ expressum. Absynthiaca paritèr quocumque modo adhibita summoperè proderunt. Dicit itaque eo loci *Hipp.* *Quæ cruda deorsum dejiciuntur ab atra bile sunt.* Prosper verò Martianus in comm. Hipp. de ratione vict. in acutis super hunc textum monet, *quod præsente humore melancolico, & alvo fluente, ab adstringentium usu abstinere debemus.* Exiccantia etenim præsente humore melancolico, (qui siccus est) inutilia, imò noxia sunt. Noxium etenim humorem augent, & fluori materiam præbent.

Tutior igitur erit his incrassans victus, ac attemperans, ut sunt incrassantes sorbitiones, gelatinæ alibi descriptæ. Sic jus gallinæ ventrem fluentem sistere observat Gal. de diarrhea.

Parum, & sępè nutriantur, contusis, expressis carnium assatarum, cum succo granatorum, vel onfacii, & masticHes modico pulvere. Gelatinæ ex extremitatibus animalium cum onfacio.

Cibi condiantur aqua rosarum, succo

co cydoniorum granatorum, aurantiorum dulcium. Potus sit aqua acetosę, plantaginis, portulacæ vel nocerae in qua masticis pulvis ebulierit. Vel jus propinetur taleolis cydoniorum alteratum. In prima mensa offa panis vino granatorum imbuta offeratur.

Somnus papaveraceis procuretur, à quibus fluxiones sedentur, & facto somno diaphoresis viæ aperiantur. A fructibus horariis omninò caveant, rationibus in sexta parte exaratis. Potiùs lignea cortice contecti fructus aptiores erunt.

Caveant ab æsculentis duræ digestionis, à cibis salitis, fumo, vel sole induratis. A pinguibus, dulcibus, ut potè quæ latentem acidum in se continentia, in stomacho acescunt, & hostilia, ac irritantia facta, ad expulsionem invitant.

Potus modicus semper sit. Vinum verò cydoniorum infusione, vel succi granatorum mixtione comendatur. Sed securius erit decoctum cornu cervini, mastichis, & cydoniorum.

Riverio arridet, ut uncia dimidia mastiches cum vel sine lignis bulliant in libris sex aquæ fontis pro potu ordinario. Potulenta etenim quæ calibeata pro alvi fluoribus parantur metallica, suspecta habet, ne naturæ ac nutritioni odiosa magnas turbas in corpore (& potissimum in primis viis) excitare possint. Cum etenim fortuna tulerit, quod aditum liberum non inveniant, propriis viribus sibi fores aperire nequeunt adstringendi vi prædita.

Multo verò magis præsentibus humoribus & condictionibus fervidis, à calibeatis abstinere debemus. Tutior itaque erit tinctura rosarum. Vel saccarum rosaceum vnc.j. cum succi limonum vnc.j. in libris tribus aquæ plantaginis, atque post factam collaturam (si in metallicis confortantibus fides sit) auri frustula sepiùs ignita extinguantur. Si vero aqua acidula facta fuerit per guttulas spiritus Vitrioli magis ab ignito sole irradiari, ac vigorari poterit.

Jo: Elmontius diarrheam vitio laxi pylori factam binis vitellis ovorum duris, aceto rosaceo temperatis, in cœna sumptis, eam curare edocuit.

Si de acida pasta parietibus ventriculi hærente indicia habeantur, absque cunctatione ad vomitum procurandum accedes, & peristaltici motus contrarietate, intra pauca momenta omnem diarrheam averuncabis.

Auxilia *Hippocratis in libro de affect. sunt. Lenticulæ decoctum. Horumque cibum vult esse panem assatum in vino nigro intinctum. Potum verò paucissimum, & meracissimum. Deambulationibus à cibo non utantur. Si acria dejiciantur venter lacte cocto eluatur.*

Materiæ ex quibus varia auxilia concinari poterunt, sunt Cydonia, mala punica, mespilla Atque in causa biliosa ad corrigendam bilis acrimoniam, blandè acida adstringentia, ut onfacium fructus berberis, plantago, portulaca.

Si verò nimiam in sanguine serositatem superabundare suspicemur, decocta sudorifera, vel quæ per urinam evacuant propinentur.

Si à ventriculi laxitate oleum cinamomi quocumque modo, vel balsamum Pervanum, oleum nucis moscatæ, succini vel ejus tinctura. Conserva rosarum antiqua cum pulvere mastichis, corallorum, boli, margaritarum. Diacorniolata cæteris conservis præferri solet. Plantago in jure

jure decocta multos juvit, vel portulaca diarrhea fervida laborantes.

Si lymphæ, & pancreatici succi aquositas corrigenda sit, hoc potissimum tentandum erit alimentis solidioribus, & imbibentibus humiditatem aqueam, pane biscocto, vino meraco, & pauco.

Si intestina fræquentibus ac diuturnis dejectionibus debilitata recreare animus sit, theriaca, mitridatum, alique confortantia antidota exhibeantur cum pulvere mastiches.

Si diarrhea fiat à præcedenti gravedine cum indiciis affectarum glandularum cerebri, Omni studio cerebrum roboretur, & in pristinum statum sanitatis restituatur.

Quod fiet glandulis malè affectis confortantibus, & in eis liquores acidulos contentos corrigendo. Quod citò, tutò, & jucundè tentari poterit, per suffitus vespertinos ante lecti ingressum, ex succino, & olibano ore patulo, & naribus exceptos. Mira est etenim vis ejus ad gravedines tollendas, lymphæ, & seri superfluitatem, & acidam maliciam corrigendam. Valet paritèr in tali casu cerebrum leporis assatum, fortè super cetera auxilia.

Quercetanus indiscriminatim ad omnem alvi fluorem proponit pomum excavatum, gummate arabico, & alba cera repletum, carta Madida involutum, & coctum. Epoto desuper liquore adstringente silicet emulsione ex seminibus plantaginis, & florum lambruscæ.

Quandoque in diarrhea à fervidis irritantibus liquoribus facta suffecit gummi arabicum in jure pullæ solutum.

In quo etiam casu incrassantia proficient, oriza, alica, extremitates animalium, lac coctum in quo lapides extincti vel lac coctum cum radicibus consolidæ plantaginis quatuor horis ante cibum propinetur ad unc. vj. circitèr. Aut in quo lapis hematites ignitus sepiùs extinguatur.

Lentes decoctæ cum vino probantur ab *Hippocrate libro de Morb. mulierum*.

Externa auxilia magnam habere possunt efficaciam in hoc affectu. Placenta ex pane tosto, theriaca, & vino generoso subacta, in condictionibus frigidis à Villisio valde comendatur, fossulæ pectoris applicita.

Emplastrum Riverii ad alvum fluẽtem paratur ex mica panis assata in aceto infusa, pulpa cydoniorum sub cineribus coctorum an. vnc. iiij. cum masticis pulvere ad libitum.

Gordonius ovi luteum subactum, pulveremque masticis un.v. cum modico cariophillorum pulvere, & croci extendit super lini stupam, vinoque nigro austero madentem universo abdomini applicat.

His verò multo simpliciores sunt ceratum ex gummi tacamacha cum guttulis balsami Pervani. Vel saculus ex farina lentium sale, & aceto copioso admixto in vino ebulitus, & applicitus.

In cibis verò quotidianis bestiarum hepate utantur, hic etiam à laxitate alvi fluores omnes persanat. Sale etiam martis vel corallorum ad grana tria manè in mensa utantur singulo die.

Quia verò ex *Hippocrate libro de affect. similis est lienteria, & diarrhea, & in omnium horum cura oportet defluxum à capite intercipere, vel avertere. Morbi enim principium hinc est*.

Ideo

Ideo qui longis diarheis conflictatos sanare aggreditur super omnia, glandularum cerebri providentiam sibi ante oculos proponat, & catarrhi curam nostram consulere non dedignetur, prout monita alia quæ infra de alvi fluoribus jam jam subnectemus.

Dysenteriæ ac tenesmi causæ, & auxilia.

VEteres pro causa immediata vulcus intestinorum agnoscunt, pro remota verò humores acres.

Chymici putant à sale fieri ressoluto, intestina instar ignis occulti, seu aquæ fortis corrodente.

Plausibiliorque opinio est, quòd ab acido ventriculi depravato, corrosivi spiritus, seu aquæ fortis naturam induente vulcus fiat.

Dum itaque succus omnium præstantior (nervorum serum nutritium) qui spermaticis partibus apponi debuisset, juxta naturæ institutum, à crasi sua dulci, ac temperata deycitur, atque vitiatur, veluti fluorem passus à nutritione rejicitur, ac in massam sanguineam effunditur, qui naturæ odiosus ad expulsionum loca ablegatur, atque per vasa celiaca ad ventriculum, & intestina transfertur, perque eorum oscula in internam capacitatem transudat; ubi scindentibus spiculis armatus undique vulnuscula infligere, & fibrillas intestinorum discindere aggreditur.

A bile etiam acriori, & succo pancreatico acidiori exulcerantur intestina. Exulcerationis tamen actio potiùs ab acido humore fit, quàm à bile præternaturali corrupta, & maligna facta.

Sal enim lixivium bilis acerrimum ad gangrenam excitandam prævalere potest potiusquam vulcus. Est etenim vulcus acidi, & non lixivii affectus.

Acidus tamen acris humor, nisi jungatur bili, disenteria non fiet. Silicet acriores sanguinis particulæ salinæ acidæ, & alcalicæ in primis viis herentes archeum lacescunt, de natura aquæ fortis scindentes intestinorum fibrillis vulnera inferunt.

Huic affectui sepè præcedit in sanguine orgasmus, in quo separantur ab invicem liquores. Acidum corrosivum est illud quod vulcus infligit, Bilis corrupta, est quæ sordidum illud efficit, ac innatum calorem mortificat. Ideoque frequentèr sfacellantur, ac moriuntur in parte vulcerata intestina postquam ipsorum glandulæ separatoriæ dilaceratæ fuerint, cum tubulis suis sanguinem, & liquores omnes profundentes.

Epydemica dysenteria ab aere infecto à pravis miasmatibus fit. Qui fermenti vitiosi vicem supplentes, suæ maliciæ contagia in succum potissimum albugineum nerveum insinuat.

Auxilia.

AEr temperatus eligatur, vel potius ad calidum vergens, à quo cutis meatus aperti servari possint, & universum ad sudorem aliquo modo disponatur.

Quies, atque ab omni motu cessatio omninò imperanda. Imò somnus omni arte procurandus. A motu enim, & vigiliis omnium liquorum fluores concitantur, sanguinis massa acrior fit, & vulcera exasperantur.

Per quietem verò, & somnum fluores omnes compescuntur, atque evacuationes omnes (excepto sud[illegible])

frænantur, dolores mitigantur, atque vires reficiuntur.

Hinc est quod absque opiatis, ac papaverinis, vix commodè dysenteriam curare poteris.

Nostris verò assertionibus Zacutum Lusitanum habemus patrocinantem qui libro *secundo prax. hist. ait : Ex arte faciunt qui in ventris fluoribus opiata exhibent. Rasis enim notat lib.8. continent. Capite primo, quod nulla medicina proponitur in capite ulcerum intestinorum, quæ opium, hyosciamum, & narcotica non contineat. Hæc enim exiccant, consolidant, sensum stupefaciunt, & ventrem constipant.*

Non desunt tamen viri in arte celebres, quibus opiata suspecta sunt, dicentes quod licet somno dolorem levare videantur, & ventrem firmare. Attamem humores in unum collecti deindè impetum facientes, sine intermissione dejiciunt. Capiteque gravato, & viribus labefactatis, ventrem deterioris condictionis reddunt.

Quibus respondemus, quod indiscriminatim opiata, ac narcotica in magna dosi non exhibeantur; sed solumodò in condictionibus fervidis, atque constantibus viribus. Et pulsu celeri, angusto, humili non existente. Atque doloribus, vigiliis, & frequentibus dejectionibus urgentibus. Prout expressis verbis Trallianus paritèr monet. Tunc etenim absque hæsitatione non solum tutum est propinare opiata, ac papaverina imò necessarium, atque sine eis vix commodè consimiles dysentericos curare poteris.

Qui validiora reformidant, saltem vesperi ante somnum decoctionis florum papaveris cum unc. j. conservæ rosarum antiquæ collatæ assumant. Vel emulsionem unc. v. seminum papaveris in aqua eorumdem florum cum unc. j. syrupi paritèr papaverini.

Expertissimus Tomas Villis singulis vespertinis horis ante initium somni satis magnam laudani opiati copiam (ad gr. v. & ultra) exhibet, absque noxa. Observat etenim, quod vis medicamenti narcotica à fermento acidiori ventriculi retunditur. Neque ad caput ledendum promptè defertur; quoniam deorsum opiatorum particulæ involutæ rapiuntur cum cæteris liquoribus ad intestina confluentibus, ut per sedem ejiciantur.

Non minor etiam controversia est circa enematum usum, adeò in his affectibus frequentem, tum necessarium, verum cuncta circumcidentes, diximus, rem totam circa dysenteriæ tempora, vel condictiones versari; ob quas enematum variatio facienda, nam quæ aliàs proficua, paucis mutatis damnosa esse observantur.

Si itaque dolores valdè vrgeant, & frequentes dejectiones cum condictionibus ferventibus; illicò ab initio anodyna refrigerantia, narcotica, sistentia absque cunctatione adhibenda sunt; certa potissimum spe quod si exulceratio, vel abrasio in intestinis sit, clysteribus magis quam aliis auxiliis sanetur teste Galeno passim vbi dysenteriæ sanationem tradit. Tunc opiata magno cum fructu exhibentur, decoctum florum papaveris cum granis opij, canphuræ.

Nostra verò observatione (centenis aliorum medicorum periculis facta) olea in clysteribus pro inflammatis ac dolentibus vulceribus intestinorum summoperè detestatur, cum præceptore Hippocrate, qui expressis verbis

bis *in lib. de af. monet*: *Pinguia ad vlcera inflammata non conducunt, neque ad ea quæ sunt impurgata, neque ad putrescentia. Sed ad inflammata conferunt frigida, & ad impurgata, & putrescentia acria, & quæ mordicationem aliquam inducendo purgant.*

Potius igitur ad decoctum plantaginis, portulacæ cum summitate quercus, gallarum. In quo drach. 5. salis Saturni & scrup. 5. canphuræ dissolvatur accedes.

In progressu ad acidum materierum affluxum corrigendum, & ad robur laxis partibus indendum decoctum in lacte paretur summitatibus, & floribus cum seminibus hyperici, radicibus consolidæ.

Si autem curanda dysenteria suscipiatur quæ in progressu sit, & cum vlcere sordido, tunc terebenthinæ vnciæ tres circitèr cum tribus luteis ovorum ad ignem misceâtur superfusa libra una succi expressi cancrorum fluuialium cum drach. j. balsami sulphuris succinati & scrup. j. canphuræ.

In fine tandem perfectam agglutinationem decoctum summitatum hypericonis, cum copioso sale saturni, & pulvere stibii impetrare posse observabis,

Hæc tamen potissimum de crassorum intestinorum vlcerum curatione protuli, de quibus *Gal. in 5. de loc. aff. hæc habet*: *Si cum abrasionibus aliquid pingue dejiciatur tunc in crassis intestinis vlcus esse credes. At si abrasionis materia, vel sanguis omninò permixtus fuerit in intestinis tenuibus stabulatur. Conducit verò locum affectum cognoscere, quoniam superior vlcus medicamento epoto faciliùs sanatur, inferior clysteribus.*

Securiora itaq; erunt enemata pinguedinosa, quando affectis tenuibus intestinis ad vlcus ascendere nequeunt ut sordidum reddant, sed acerimas irritantes materias, jam à superioribus intestinis delapsas sui blanda ac leni mixtura attemperare atque naturæ tollerabiles reddere possunt.

Hujus itaque farinæ sunt enemata ex decoctione capitis, & pedum, sed potissimum intestinorum vervecis, quæ cum vitellis ovorum, oleis masticis, cydoniorum, hypericonis, balsamo Peruano & consimilibus unctuosis in capite quorum venerabilis antiquitas sebum hyrcinum esse jubet.

In vulcere itaque supernorum intestinorum potiùs medicamentis per os exhibitis pugnare aggrediemur, impetumque fluentium acerimorum liquorum frænare aggrediemur ut superius innuimus opiatis, papaverinis.

Quia tamen in vehementi dysenteria ut plurimum subest venenata caussa. Ideò alexipharmacis pugnare semper tutum reputamus, nempè lapide bezordico, perlis, stybio diaphoretico, terra sigillata, terra virgine alba Mutinensi, vel dulcificante Alegri Veronensis, oxalide, pentaphillo, pimpilla. Non omissis etiam testaceis.

Grassante etiam endemica dysenteria, cujus miasmate liquores tenuiores à massa sanguinea abscedentes corrupti ad excretionum vias ablegantur ad viscera præmunienda conducet sepiùs etiam in hora summere cocleatim oleum amygdalarum dulcium succo citri admixtum, & per aliquot dies continuatum.

Nobis opiatam ex decocto florum papaveris, syrupo ejusdem & confectione hyacinthi, pulvere corallorum, & gra-

& granis canphuræ magis arrideret. Sic emulsiones ex sem. frig. maj. seu lac artificiale consimile cocleatim sumptum efficacissimum est.

Major interim spes in optima servata vivendi ratione, quam in aliis auxiliis reponenda est. Quoniam de morbo primarum viarum agitur.

Itaque à valdè intemperatis omnibus summoperè cavendum erit. A saccaratis, mellitis, & dulcibus omnibus, potissimum sinceris, ut canis à nilo fugiant. Occultum enim acidum in sinu gerentia, promptè in ventriculo nidoroso, & suo legitimo fermento destituto corrumpuntur.

Atque eorum succi ad fermentationes proni, ad massam sanguineam pervenientes illam præternaturali fermentatione turbant, & alvi egestiones inceptas augent, ac deteriores reddunt. Pulvis dysentericus Lancii celebris est in hoc affectu.

Cibi itaque conducent potius temperati, vel insipida aquositate prædominantes, & qui blanda viscositate præditi difficultèr acorem contrahunt, vel alias irritantes condictiones suscipiunt. Sed obvios acres succos diluere, ac sui mixtura attemperare possunt, inter quæ oriza, amylum, hordeum, & hordeata in fervidis condictionibus aliis eminere certum est, admixto semper modico succo citri, vel aceti pro stomachis laxioribus.

Ciborum paucitas ideò comendabilis est quia per inopiam membra avida facta suos liquores nutritios firmiùs detinent. Tum quia dum pauca excrementa stercorea conficiuntur, intestina minus molestantur.

Qualitas etiam subadstringens, neque acida, neque acris, sed epiceraustica emplastica, coctu facilis in cibis commendabilis est. Ideò Aetius laudat orizam cum lacte. Nos saltem lacte artificiali dilutam, & potissimum seminibus papaveris paratam commendamus.

Galenus xi symplicium, ova in sartagine aceto conspersa exhibet. Nos potius in aceto indurata, deinde separato albumine, ovi lutea aceto modico conspersa cum pulvere mastícis offerimus. Oribasius succum granatorum quocumque modo. Hippocretes, & Aetius lentem, ejusque decoctum. Avicenas portulacam, cydonia, sorbas, pyra laudibus suis in hoc affectu decorant.

Notat insuper *Hippocrates lib. de affect. 27. quod tenesmus egrè inediam tollerare potest, nam per ciborum præsentiam minor intestino mordicatio infertur.* Cavendum tamen erit ne per nimium cibum cruditates, & viscositates augeantur.

Potus sit aqua Noceriana, vel in qua boli copiosa pulvis agitata in fundo subsideat. Vel ex vasculo Constantinopolitano ex terra sigillata conflato, aqua pentaphilli, acetosæ plantaginis, pimpinellæ, hauriatur. Vel decoctum hordei, cum cornu cervino raspato.

Vel decoctum pulveris masticheS, & talleolarum cydoniorum. Calibeata verò, non sine aliqua ratione suspecta sunt, ut potè mineralia, ideò nutritioni, ac visceribus infensa, quæ stomachum infirmum, & aluum turbatam magis infirmare, ac turbare possunt.

Ideò pro firmioribus stomachis dura medicina commodior erit, & si liquores aliquo metallico extincto indigere videantur, ex. gr. aquæ cordiales Saxoniæ acidulæ factæ spiritu Vitreoli, ignitis auri frustulis res peragatur.

Emul-

Emulsiones amygdalarum, ac seminum frigidorum non incommodę erunt cum pulvere corallorum, concarum margaritiferarum, & consimilium.

A vinis omnibus, & potissimum à generosis omninò cavendum puto. Tum ab omnibus quæ fermentationes, & turbas in sanguine commovere possunt. Vnde facto impetu, vasorum extremitates dilatare, & oscula aperire valent, exinde sanguis cum tenuiori sero vbertim per intestinorum glandulas debilitatas, ac dilaceratas effluat.

Vel si vinum propinandum sit, in declinatione, mastiche, & lentisco medicatum exhibeatur. Ad bilis acris correctionem emulsio ex seminibus papaveris albi, plantaginis, & portulacæ in aquis eorundem plurimum commoda erit, si etiam succi cydoniorum vnc.ij. vel granatorum addantur.

Materiæ auxiliorum, ex quibus variæ formulæ pro indigentia concinnari poterunt præcipuæ hæ sunt. Sanguis leporis adeò ab Elmontio decantatus quocumque modo adhibitus. Imò sanguis cujuscumque animalis recentèr occisi, & per clysterem injecti plurimis sanatio fuit. Vitella ovorum. Caseus antiquus. Vinum cydoniorum, granatorum, amarenarum. Corallia. Sal saturni plurimos desperatos ad gr. vij. cum ovi luteo exhibitus mirabiliter restituit.

Si humorum valdè acrium, irritantium obliniendorum intentio valdè vrgeat, exhibeantur gummi arabicum, tragacanthum, amylum cum lacte amygdalarum, vel cum decocto florum papaveris noctu post cœnam.

Interdiù verò ventriculi roborationi, omni arte insistendum erit, per corallia, plantaginem, mastichem & per hepata bestiarum, quæ in omni alvi fluore sunt magnifacienda.

Tum per interiorem tunicam ventriculorum pullorum gallinaceorum, quæ exiccata, & pulverizata laxos stomachos mirabilitèr firmant, & omnibus alvi fluoribus auxilio sunt.

Fœces sanguini mixtæ pulvere copioso sympatico inspergantur, vel etiam sola vitrioli Romani pulvere cooperiantur. Multorum etenim experientia mihi constat, quod dysentirici aluum exonerantes supra pulverem vitrioli, ex insperato sanati sunt.

Magna semper cautio servanda, atque præ cæteris omnibus vitium sanguinis erit emendandum. Acer enim, tenuis, biliosis, serosus, vel alitèr malè affectus corrigendus, atque attemperandus.

Ex portulaca obsonia æstivis temporibus commendantur cum vitellis ovorum, & casco ovilli seniori contrito. Conserva rosarum antiqua in fine prandii cum pulvere mastiches.

Oleum amygdalarum cum æqua portione olei ex seminibus papaveris, & jure pullæ pro doloribus demulciendis epotum, vel infusum nunquam fefellit.

Verum quoniam vias excrementis sordidas relinquit pro eradicativo remedio, nos vomitu utemur potissimum quotiescumque circa ventriculum, & primas vias mineram foventem esse suspicamur.

Nos in longa dysenteria magno cum fructu usi fuimus lacte in quo igniti lapides extincti sint. Nisi enim febris valdè urgeat præstantissimum auxilium est lac coctum, ad acres liquores in primis viis sua mixtione at-

temperandos, ac innoxios reddendos. Absque verò periculo oriza in lacte partim naturali, partim artificiali administrabitur.

Externa tandem auxilia tentanda restant, inter quę panis tostus contritus subigatur cum aceto, pulvere rosarum rubrarum, masticis, boli, & caphuræ. Vel cataplasma ex mica panis in vino, & aceto cocta ad pultis consistentiam multo bolo admixta universo abdomini applicetur.

Ad tormina verò pacanda plurimum confert omentum arietinum, aut vitulinum adhùc calens, ex animali recentèr mactato extractus, & applicitus. Si verò tenesmus etiam urgeat, extremitas podicis assiduè foveatur decocto verbasci in vino facti. Nec non ejus portio per sifonem ad unc. iiij. post mundificatum vlcus iniiciatur.

Verum si rectum intestinum dolor infestet, lacte benè tepente cum granulis opii sedabitur. Per suffitus verò ex succino, mastice, olibano, floribus verbasci exiccatis vulceris agglutinatio, ac sanatio promovebitur.

Tunc verò (declinante affectu) theriaca cum sale martis propinata omninò sanat. Ab initio verò fotus administretur ex plantagine, portulaca, pulvere rosarum corticum granatorum in vino nigro austero, & aceto. Sola etiam portulaca contusa, & admota plurimos sanitati restituit.

In endemicis, multoque magis in epydemicis alvi fluoribus magna cautio esse debet, ut alvi excrementa singula vice exportentur, ac abyciantur, ne suo miasmate morbus foveatur in ægro. Vel etiam sani ipsi (in eodem potissimum vase dejicientes) inficiantur, eodemque affectu corripiantur.

Si plurimæ materię aquosæ dejectiones appareant, cogitandum erit, ut copiosum serum sanguinem diluens, sudoriferis ac diureticis eliminentur. Postmodum per austera tubulorum osculis laxatis opem ferre contendemus.

A nimio interim aqueorum potulentorum usu cavendo. Vinum ipsum (absente febre) in pauca quantitate offeratur, atque cydoniis, vel masticis ac santallorum pulvere medicatum, myrtique baccis alteratum.

Inter eximia auxilia ab Elmonc. proposita sanguis leporis est, canum venatione defatigati, & exiccati, in vino propinatus.

Gelatinæ paratæ ex cartilaginibus animalium ac potissimum quadrupedum sylvestrium, in aqua plantaginis, vino, & aceto, tum horà prandii, tum cocleatim deglutitæ valent.

Pinguia enim, & oleosa actu sive per os propinata, sive per clysteria injecta rarò profecisse observavimus. *Et Zecchius notat consf. 37. quod olea, & pinguia imò vitelli ovorum injecti vlceris in intestinis curam impediunt, dum vlcerata loca sordidiora reddunt.* Idcirco cautè & non nisi magno vrgente dolore adhibeantur.

Vomitoria, & vomitus summoperè convenire poterit in ęgro nauseabundo, vomitibus assueto, & humoribus ad ventriculum aliquem impetum facientibus, sic enim contrarius motus peristalticus cum fructu excitabitur. Ideò decantata *Hippocr. doctrina est in 6. aph. 15. a diuturno alvi profluuio correpti, spontaneo vomitu excitato liberantur. Et Gal. de arte cur. ad Glauc. in omni alvi profluvio vomitum excitari jubet.*

Lien-

Lienteriæ. Fluxûs hepatici, & consimilium alvi fluorum causæ, & auxilia.

SIcuti diarrhea, a lui deijectio frequens est copiosa, liquida, materiæ excrementitiæ. Ita dysenteria vlcus intestinorum est ex acri materia cum dolore, & alvi fluore.

Tenesmus autem vlcus intestini recti, ex acri materia, cum frequenti alvi dejiciendi cupiditate.

Fluxus autem à veteribus hepaticus dictus (putantes epar sanguificare) alvi dejectio variæ materiæ est (sed potissimum cruentæ) ex varijs naturalibus visceribus malè affectis.

Lienteria celer dejectio est alimenti nondum mutati, vitio potissimum pylori ventriculi, atque superiorum intestinorum.

Cœliaca tandem passio dejectio intempestiva alimenti est, aliquo temporis spatio retenti, ideoque aliqua ex parte in chylum mutati.

In fluxu hepatico, cruor lympha copiosa, ac sero albugineo nervorum nutritio, tum aliis icorosis liquoribus admixtus, ab alvo prodit veluti aqua, modico sanguine imbuta, seu ut aqua loturæ carnium.

Estque affectus qui fieri consuevit à sero, lymphaque copiosa modico sanguini admixta, naturæ odiosa vasorumque orificia laxante, ac aperiente.

Depravatur itaque atque his præternaturalibus liquoribus contaminatur sanguis, per vitia tam potissimum potulentorum assumptionem, in quantitate, vel qualitate. Æquè enim à nimio vini meracioris potu, vel spiritus, ac ab aqueis, frigidis, putridis potulentis invalescit affectus. Inde sanguifluorum vasorum omnium infirmitas, & viscerum naturalium tonus fermè dissolvitur.

Atque non venæ sunt, sed arteriæ quę inter circulandum per diapedesim, anastomosim, vel rexim aperiuntur, & cum particulis quibusdam sanguinis, sero copioso admixtis contentos liquores profundunt, & per spongiformes carunculas, ac glandulas intestinales exonerantur. Ita ut à dysenteria non sit affectus alienus; sed solum differentia intercedit secundum magis, & minus.

In cœliaca autem affectione, chyli motus præter naturam vitiatur. Cujus causa obstructio venarum lactearum est, & crustæ panosæ dictæ intestinorum, à neotericis glandularum textura mirabilis. Fermentum verò ventriculi vitiosum (seri soboles) in causa est, ut cibi non satis dissolvi possint.

Non negamus tamen, quod quandoque à languido calore vitali, tum ab imminuto, vel denegato animalium spirituum influxu circa orificia potissimum ventriculi, laxatio, & imperfecti alimenti expulsio, non subsequatur.

Contractis etiam spasmodicè fibrillis in glandulis intestinorum, vasa lymphatica, tum chylifera, & quicumque ad aluum meatus, & emunctoria constringuntur plus, minus. Inde remorato contentorum transitu, stagnatio fit, atque tumefactio, quæ tandem apertis denuò viis affatim evacuatur.

Non infræquentèr etiam à sale resoluto fit, sua acrimonia ventriculi pylorum, & intestina lacessente, dum eorum fibrillis, vel glandulis hæret.

Saporistæ non sine ratione opinantur,

tur, quòd dum improportionatus acidi pancreatici, & fermenti, bilisque congressus in intestinis fit, ob dissensum, & horum exorbitantiam, chylus corruptus, mucosus, vel alienis condictionibus imbutus, naturæ exosus per aluum demittatur.

Et hac ratione quicumque humores acres, serosi, biliosi, corrupti in sanguinis massa fluorem passi, ad vasa cæliaca translati, versus stomachum, & intestina propulsi, atque vitiosæ cum chylo effervescentes, cæliacam affectionem progignere valebunt.

Auxilia fluxus hepatici.

QUoniam in hoc affectu corpus valdè absumitur ob corruptos nutritios spermaticarum partium liquores, & imminutam nutritionem, Ideò restaurantia varia alibi descripta in apendice prima valdè vtilia erunt, Sed potissimum carne viperarum, testudinum caudarum gamarorum parata. Et alia &c. quę pro tabe.

Super cætera fortè cogitandum erit de copioso sero sanguinem diluente eliminando. Ideòque sudorifera, tum diuretica in usu ponenda erunt.

Postmodum securiùs per austeriuscula, & confortantia, etiam terrea & fixa, tubulis laxatis, ac visceribus infirmis opem fere contendemus.

A nimio interim aqueorum potulentorum usu cavere debet æger. Sed vinum in pauca quantitate offeratur. Illudque cydoniis medicatum myrthi baccis, santalis, mastiche &c.

Vel si febris vrgere videatur, potus sit aqua noceriana. Terram enim Samiam, ejus alveus continet, alvi fluoribus omnibus sistendis accomodatam.

Obsonia semper cum ligno cydonii, vel cum cydoniorum taleolis concisis, & mastiche, vel ligno lentisci condiantur. Ex fructibus rhibes, mala punica, lambrusca, onfacium, sumacchia, mirtilli berberis, gallæ, tamarindi, pruna, cydonia, poma austera, vel acida, cornus, mespilla, olivę, sorbæ habentur, quæ pro varia exigentia, variis auxiliis materiam suppeditare possunt, alvi floribus sistendis accomodatam. Æque in usus internos, ac externos.

Nam succo cicorei, malorum punicorum, vel prædictorum facto, venter universus foveri poterit.

Quia tamen quandoque subsunt obstructiones atque adstringentia terrea fixa, tuta non sunt. Ideò cum lenibus aperientibus adstringentia spirituosa admiscenda sunt, ac tenuia, ut est tinctura vitrioli martis, essentia martis vini spiritu elicita, & circulata.

Inter esculenta bestiarum hepata in ferculis commendamus. Nec non gallinaceorum ventriculos concisos coctos, & expressos. Tale enim expressum jus latentem acidum in se continet acido nostro stomachico valdè familiare.

Si vigiliæ infestent (quod frequentèr contingit, nam hi fluores noctu magis ingravescere solent) ad opiata confugiemus. Potissimum pulsu vivido, & viribus constantibus. Nec non si de materia tenui, calida indicia adsint.

Inter externa auxilia ceratum de gummi tacamacha cum balsamo Peruano. Vel inunctiones oleo mastichino destillato, & carabes, cæteris fortasse præferri poterunt.

Au-

Auxilia pro lienteria & aliis &c.

SI de capitis, tum ventriculi humida intemperie indicia constent, jus columbæ cum lignis sassafras, guajaco, visco quercino, & simplicibus cephalicis exhibeatur.

Si in ventriculi cavitate, & primis viis humores contineantur, vomitu purgentur ante cæterorum auxiliorum administrationem.

Revulsis etenim humoribus ad superiora per convulsivos motus in vomitu factos & peristalticas vndulationes contrarias, pylorus adstringi edocetur, ac vigoratur.

Cibi universi, aromaticis condiantur, & potissimum nuce moscata, & cinamomo. In pauca vero quantitate sit cibus, & euchimus. Vinum pariter paucum, sed meracum.

Masticis grana tria vel quatuor ante cibum devorentur. A cibo vero cydoniatum, conserva rosarum antiqua. Mespila. Sorbæ & alia, alibi recensita offerantur.

Diacorniolata antiquorum celebre auxilium est. Conserva vero florum malorum punicorum (summachiorum viridium) neotericorum utile inventum est, in his alvi fluoribus.

Vinum in quo myrthi baccæ infusæ. Vel flores lambruscæ, nullis auxiliis ventriculum adstringentibus cedunt.

Exteriora interim auxilia spernenda non sunt. Mentam viridem, cum salvia contusam, fermento veteri salito, & pulvere mastichis, aceto, & malvatico vino subige, atque ventriculum fove. Si autem simpliciorem emplastrum efficax requiras, crustam panis assatam in succo granatorum imbibe, & cinamomi, mastiches ac nucis moscatæ pulvere consperge.

Si alvi fluor adeò immodicus sit, vt vires dejiciat, opiata exhibeantur, à quibus somno conciliato, & animalibus spiritibus consopitis expultrix torpet, cibus retinetur, & concoquitur. Modo itaque vires constent, & valida sit vitalis facultas, in universis alvi fluoribus ab opiatis noctu ante somnum exhibitis summum semper auxilium consequeris.

Hemorrhoidum causæ, & auxilia.

DUm sanguis neque copia, neque sua prava qualitate molestus naturę est, intra vasa sua sanguiflua pacificè continetur. Verum si aliquo excessu præternaturali imbuatur; tunc intra claustra sua detineri recusans, in hemorrhagias hinc inde erumpit, & veluti damnatus ad scalas gnomonias, ac sterquilinii deductus in hemorrhoidum fluxu ablegatur.

Dum itaque sanguis nimiæ fermentationis vigore dissolvitur, icorosior, acrior fit. Ressolutisque blandis, dulcibus, temperatis, tenuibus, spirituosis particulis, crassior, terrestrior, intemperatus factus, tum deturpatus veluti exuvias suas in cœnosum locum depositurus, ad anum per circularem motum perveniens inspissatus ex arteriis hemorrhoidalibus in venas ejusdem nominis transire impotens fit. Ideò partes ani tumefacit, distendit, tubulos dilatat, atque veluti aneurismata producit.

Videlicet dum à sanguinis motu arietante, ac exitum querente, solvitur hemorrhoidalium tubullorum continuum. Tenuiores etenim arteriæ capillares sunt, simplici tunica constantes (ut benè notat Silvius) quare

sibi portam aperiunt, & sanguis tum in copia congestus, tum ob moram acrius redditus viam invenit, vel per rexim, vel per dierhesim, aut per anastomosim.

Cujus tamen remotas causas multiplices esse posse fatemur, videlicet pletoram, sanguinis tenuitatem, serum nutritium nervorum depravatum, vel cruoris crassitiem, viscinitatem, vel acrimoniam salsam sulphuream. Vel orgasmum in sanguine. Vel à fęcibus induratis comprimentibus intestini recti vasa.

Vel ob validum conatum in dejiciendis excrementis alvinis, vel in partu difficili facto, quorum causa ut diximus veluti aneurismata in tubulis hemorrhoidalibus producuntur. Non desunt etiam alimenta, tum venena quædam cathartica potissimum, & aloeticam naturam sapientia, quæ sedi inimica, in hos affectus sanos ipsos præcipitant.

Auxilia.

QUoniam in hoc affectu aluus pigra fieri consuevit, magno cum ægrorum incommodo. Nec non fæces indurantur atque in conatu duriora excrementa pellendi, dolor exasperatur, tumores, & aneurismata majora fiunt. Quare bonum consilium erit cogitare de alvo emolliendа variis artificiis alibi de tuend. val. propositis. Vel saltem lactis iniectionibus.

Humorum insuper acrimoniam demulcire cogitabimus in condictionibus fervidis, emulsionibus sero asinino potissimum factis, cum seminibus papaveris, vel aliis frigidis, & humidis. Præ cæteris itaque vitium sanguinis emendare aggrediemur, nisi enim acer, biliosus, tenuis, serosus, attemperetur. Vel crassus corrigatur, alia multa incassum tentabuntur.

Et quia ut plurimum lues Cæltica subest, nisi alexipharmacis luis pugnaveris victoriam vix reportabis. Ideoque decocta lignorum horum affectuum cura, & prophilaxi sunt præcipua reputanda auxilia.

Dolorum symptomati variis artificiis occurrere poterimus. Oleum etenim expressum ex seminibus jusquiami, vel papaveris cum copiosa canphura, brevi dolorem mitigat Oleum paritèr nucum (aut persicorum, seu armeniacorum) in quo mille pedes ebullierint, his afflictis magnum solamen est

Quibus oleosa inflammatis his locis suspecta sunt pulverem simplicem scarabeorum applicitam proponimus.

Cremor lactis in mortario plumbi agitatus, cum plurimo sale saturni, & canphura summum his doloribus fortè auxilium erit.

Vel saltem linimento meo omni unctuositate suspecta experte utantur. Videlicet ex succo plantaginis, verbasci, seu tapsi barbati, & cerusa copiosa cum granis canphurę.

Lac tamen tepidum cum oleo seminum papaveris dolores intra breve tempus mitigat potissimum si in eodē lacte verbasci flores incocti fuerint.

Quibus verò dolores adeò infesti non sunt, fotus validior in vino austero erit, si eidem verbasci flores incoquantur.

Adeò vero sanandis hemorrhoidibus verbascum cæteris simplicibus emineat, ut quocumque modo adhibeatur, efficax auxilium præbere observetur. Fortè ob plantæ signaturam, quæ antequam flores in folia erumpant, hemorrhoidales tumores gestare videtur.

Valet

Valet ergo succus, foliorum, florum pulvis, decoctio, & si quid aliud. Ejusdem farinæ herba hemorrhoidibus sacra scrofularia est, quæ paritèr radices suas racematim dispositas, in morem hemorrhoidum gestare observatur. Hæc de collo monitu meo appensa multos adhùc viventes amicos meos ab hac molestia præservat.

Portulaca verò contusa admota, sepè præsentem dolorem sedat, tumorem imminuit, vulcera consolidat, & excrescentias absumit.

Memento quod statim vnguento Comitissæ illiniendi erunt isti, per universam spinam & renes, ad humeros ipsos ascendendo.

Si verò unguento sandalino, & rosaceo plurimo sale saturni, & canphura admixta usus fueris, voti compos fies.

Si autem in copiosiori sanguinis profusione exorbitet, adhibito pulvere sympathico moderari solet. Vel reperta vena fluens, caustico balsamo meo attingatur.

Certaque res est quod aliquos animi fortis viros præ manibus habui, qui diù ab his tortoribus hemorrhoidum cruciatibus molestati cum periculo ne calosæ fierent ac perennes, vel malignæ, passi sunt semel hoc caustico per horam circitèr se submittere cum dolore tollerabili, & post quadraginta horas decidente per assiduum butyrum escara, futuris temporibus raro & sine molestia ingenti ab hemorrhoidibus tentati sunt.

Potissimum si in fine unguento de tutia per aliquot dies usi fuerint. Quod etiam antequam hemorrhoides superveniant adhibitum semel, vel bis in mense, adeò locum munit, ut ab hemorrhoidum invasione tutus persistat, vel pacificè profluant.

Si autem circa podicem ab his exulceratio contingat, balsamo sulphuris terebenthinato adhibito solo, vel cum oleo hypericonis, citissima sanatio continget, postmodum unguento de tutia adhibito.

Toto tempore quo dolores, ac inflammationes hemorrhoidum vrgent, victus in doloribus ac inflāmationibus premostratus adhibeatur. Multa etiam quæ dysentericis & alvi fluoribus utilia proponimus, his affectibus inutilia benè eligentibus non erunt.

Hoc denique monens quod si quis ab hoc affectu se præservatum cupit, præter victus sui refformationem (solent enim isti in aliqua re non naturali gravitèr delinquere) debent bis, vel ter in anno per sanguinis missiones, naturæ deponentis excretionem anticipare.

Si autem verè, & autumno per vomitoria purgati fuerint (potissimum per antimonialia) nisi gravitèr in ratione victus peccaverint, ab his fœdis emissariis securi erunt.

Icterica causa, & auxilia.

Affectiones ictericæ universalitèr originem suam ducere consuevere à bile in hepatis colidocis vasculis secernenda. Dum ob vias obstructas, vel alitèr malè affectas partes, per quas transire, ac percolari deberet, vel omninò, vel in parte impeditur, ne ad vescicam felleam deducatur. Quare resorberi, seu in massam sanguineam regurgitare compellitur.

Varia igitur impedimenta, ac obstructiones, in incerniculo hepatis, & ductuum biliariorum in causa sunt, ut bilis tum separatio à cæteris liquoribus massæ sanguineæ non contingat, tum recipi in suo folliculo deinde in

intestino duodeno exonerari non possit. Sed regurgitans cum cæteris massæ sanguineæ liquoribus miscetur, per venas circulari motu ad cor delatus, ex corde per arterias in universum corpus dispensatur, nutritionique inepta, ut rejectamentum tenue, irritans, mobile, ad extremam cutem transmittitur dejiciendum, verum ob crassitiem & lentorem in eadem infigitur, suique colorem imprimit.

Illa enim viscíditas quæ in hoc flavo humore obstructionum causa in hepatis tubulis fuit, hæc eadem in tenuissimis vasculis glandularum miliarium cutis, imò universi corporis habitus est in causa stagnationum, obstructionum, & fœdi auriginosi coloris.

Hinc est quod propriè loquendo hepar non semper intemperie calida. Sed solum obstructionibus biliariorum ductuum laborat. Corpus verò in ambitu, & potissimum ob tubulos cutis inviscatos, minusque perspirabiles afficitur.

Experientia etenim docuit, quòd ut plurimum affectus iste ab intemperie frigida fieri consuevit, & quòd causæ procatharticæ sunt frigidorum usus, videlicet aquæ potus, & viscidorum alimentorum abusus.

Quandoque icterus fit à particulis acribus sulphureis, aut venenatis (ut in morsu viperæ contingit) quando copiosiores fuerint, atque massæ sanguineæ comixtæ, turbationem ne præternaturalem fermentationem eidem inferentes, ex valida conquassatione, butyrosior, & dulcior pars sanguinis ressolvitur, pars in bilem transit, quæ caudam excrementitiorum, viscidorum humorum secum trahens, in vasis colidosis (in quibus naturalitèr à probo sanguine sequestrari deberet) inviscata hæret, neque ad receptaculum suum deferri, neque per vas breve ad intestinum duodenum exonerari ipsi conceditur.

Fieri etiam potest, quod quandoque ob aliquam violentam procatharticam causam (vehementes ac repentinos animi motus potissimum) ob impetus factos spirituum animalium in orbiculares fibrillas folliculi fellis, spasmodicè constringendo folliculum, sit in causa vt bilis universa versus venam portæ pellatur, & sic ad sanguinis massam regurgitando, eandem fellea qualitate imbuat, & cutem inficiat.

Venenum anodynum, progressiuum liquorum motum in visceribus naturalibus impediens tum forinsecùs advenire potest, tum à pessimo liquorum omnium (atrabile silicet) per mœrores produci consuevit. Atque fermentantis veneni in morem, sanguinis massam in flauum virus commutans, est in causa tetri, ac horridi icteri.

Fieri etiam potest affectio, quandocumque in tanta copia bilis in massa sanguinea progignatur, ut pro eadem secernenda vasa cholidoca sufficere non possint, sed regurgitans à repleta cysti fellea, & annexis tubulis, in venas remeare cogatur, inde partibus solidis nutriendis infixa, iisdem suam tincturam imprimat.

Fræquentius tamen fit ob impeditum transitum bilis ad intestinum duodenum, vitio ductus cholidoci obstructi. Vel ob succum pancreaticum nimis viscidum, bilem in suis ductibus ligantem, obstructionum parentem.

Non infræquentèr bilis in cysti sua diutiùs immorata, notabilem mutationem subit. Ob quam testudineo

motu

motu incrassata postmodum versus intestina movetur, ut secernatur. Vel impetuosiùs prosiliens, ad massam sanguinis contaminandam erumpit, cum qua circulans, nutritioni inepta, naturæ odiosa, dum per tubulos cutis evacuari tentat, eosdem cum solidis corporis partibus suo colore inficit.

Quandoque à sale volatili, nimisque spirituoso, aut à bilis pinguedine sulphurea nimis accenditur sanguis ac fermentatur vitiosè, inde præternaturalis bilis secreta, vitiosè, paritèr cum succo pancreatico congrediens, est in causa, ut chylus à scoriis alvinis non benè secerni, neque debito modo ad proximam sanguificationem disponi possit. Inde nutritionis vitiatæ succorum vitio, flava stygmata visibilia exponuntur.

Omnium infræquentiores causæ esse consuevere austerum melancolicum vel esculentum circa orificia vescicula fellis, vel vasis brevis in intestina se se exonerantis à quo constrictiones, & oppillationes fiant.

Raro paritèr à calculis, à vermibus contigit.

Nigri icteri causa liquor albugineus nervorum nutritius est, quandocumque acidiori vitriolica natura indutus, cum alcali bilis congrediens, intra sanguifluos tubulos atramentum conficit, quo universa membra nutrienda horridè inficiuntur.

Auxilia.

Ab aere frigido præcaveantur ægri. Hic enim poros cutis obstruendo, ac bilem incrassando, pertinaces obstructiones firmare, ac parere potest. Procul absint universi cibi crassi, frigidi, pituitosi, viscidi, corruptibiles, ut sunt carnes fumo, sale induratæ, muria, aceto condita, pisces cartilaginei, crustacei, & malæ notæ legumina, fructus horarii.

Tum quæ in corruptionem acidam, vel biliosam prona sunt alimenta, ut mellita cuncta vel saccarata, atque aromatica, nimisque spirituosa ac inflammabilia, ut vini spiritus vina generosa fragrantia.

Hæc enim sanguinem ad vehementiorem fermentationem cogunt, & bilem exaltant, quæ postmodum fluorem passa promptè à massa sanguinis in tubulis cholidocis hepatis divortium facere atque separationem moliri affectat, nisi impediatur.

Vtantur in victu capparibus, endivia, radicibus petroselini, apii, fœniculi, aliis aperientibus incidentibus, de quibus ampliora verba in prima apendice fecimus.

Præcipuæque auxiliorum materiæ haurientur à cicoreo, seminibus peponum, sero lactis, cremore tartari, agrimonio, lupulo, capilvenere, asparagis, eringio, anonide lingua cervina, gummi amoniaco, tamarisco, millepedibus.

Si tamen primæ viæ sint cruditatibus infarctæ, absque vomitorio antimoniali, parum vel nihil cæteris auxiliis pugnando, proficere poteris, deinde diuretica, & diaphoretica felicitèr succedere poterunt.

Hac etiam arte, bilis à viscida pi-

tuita se se extricare poterit, atque à sanguine faciliùs secedere, facilemque transitum, ac percolationem per ductos cholidocos inveniet. Simulque dilutior, ac tenuior facta, per urinas, ac sudores eliminari promptè poterit.

Paucis vero, universa necessaria auxilia perstringit *Hippocratis in 7. epid. 35. sic*: *Regio morbo correpto prodest laborare, sudare, parum edere, & bibere, caput multa calida, tepida lavare, vinum album bibere. Somno non multo uti, neque multum bibere. Vinum vero absynthite his accommodatissimum est*. Vtor decocto absynthii, aut herbæ theæ, aut aperitivorum superius enumeratorum. Aut vino in quo limatura martis ignita aliquoties extinguatur.

Si de tophaceis, ac lapidosis obstructionibus per longum, & pertinacem affectum suspicio sit, lac asini cum Aetio validum auxilium adhibeatur.

Vrina pueri impolluti, vel etiam propria summo manè diù epota, innumeros à pertinace icteritia liberos fecit.

Avis calandrina dicta venerabilis antiquitatis celebre auxilium, ad hæc usque tempora decantatur, quocumque modo adhibita; sed potissimum incinerata.

Oleum succini, à Crolii experimentis celebratur.

Ab aliis tartarus potissimum vitriolatus. Galenici multum in absynthiacis confidunt. Recentiores in lumbricorum, vel millepedum pulvere, vel liquore. Tum in stercore viridi Majali anserum juniorum. Nam omnibus desperatis, facto pulvere magna auxilia reportarunt. Cinis tamen alaudæ combustæ, pro civilioribus personis magis commendabilis est. Et loco urinæ simplicis, spiritu urinæ utantur cum suo sale, & succo marubii, vel radicum ononidis, aut ex aperitivis simplicibus expresso, aut ex cicorco, admodum in hoc affectu commendato.

Sic emulsiones ex seminibus peponum, in decocto cicerum rubrorum, vel alio aperitivo proderunt. De morbo regio *Hippocr. in lib. de affect. hæc habet. Purgantia pituitam, & bilem in hoc affectu periculosa sunt, & culpæ medentibus imputantur. Et ideò hæc quam maximè vitabis*.

Paracelsus paritèr, licet in validissima purgantia satis pronus, de icteritia in eandem venit sententiam, atque per experientiam suam satis apertè insinuat quod in his affectibus, per purgantia parum proficitur.

Ideòque per araneam avellanæ inclusam febrem, & icterum curare edocuit sic: Aranea sit viva in testa nucis avellanæ suspensa de collo ad foveam pectoris deligata per quinque vel sex dies usque ad mortem araneæ, & morbus abibit.

Quoniam icterici liquores absque longa præparatione vix obtemperantes inveniuntur, ideò apozemata ex cicoreò, sonco, endivia, vitriolo albo, cinere cardui benedicti parentur. In quibus infunde rhabarbarum, guajacum, chinam, salsam, liquiritiam absynthium, & sic viscosam pituitam à bile solves.

Vitriolum martis cum sale absynthii, & dicto decocto plurimis profuit. Aliis vrina pueri cum pulvere lumbricorum. Experientiæ meæ satis felicitèr succeßit sal ex capite mortuo vitrioli extractum, diù adhibitum, interpositis etiam vicibus cum sale

vrinę, & aliis salibus volatilibus (in causa pituitosa) ut succini, cornu cervi, viperarum &c.

Pauperibus cum vrina, vel spiritu vrinæ grana aliquot salis amoniaci admixta, ex insperato salutem tribuere potuere.

Quia verò quando ex molesto transitu per cor fellei liquoris à secretione impediti, lypothimia contingit. Ideò his exhibeantur spirituosa, tenuia. Ut est tinctura croci, cinamomi, rasura eboris, cornu cervi, sed potissimum sal cornu cervini volatile, quæ misceantur, atque cocleatim exhibeantur.

In nigro ictero decoctio absynthii cum sumitatibus hyperici valdè commendatur.

Ad acidum in primis viis absorbendum martis limatura integra, ad drach. j. exhibeatur cum oculorum cancri æquali portione. Amara incidentia, atque splenetica alibi commodè haurire poteris, ac seligere aptiora.

Inter externa auxilia præter Paracelsi araneam, sunt qui ad sydera tollunt tincam (naturali aurigine tinctam) vivam apertam atque supra jecoris regionem applicitam.

Cachexiæ, ac hydropis causæ, & auxilia.

SErum nutritium nervorum, quod cum cruore in vasis sanguifluis circulatur, & ad glandulas depurandum deportatur. Postquam impuritatis suæ ratione à nutriendis partibus spermaticis albis, ut improportionatum reijcitur & postquam semel à consortio vitæ rejectus, communi vitæ spiritu frui impeditus, excrementi naturam subit neque amplius parens legibus circulationis sanguinis, sursum, ac deorsum pergens; ductus à proprio pondere adinstar aquæ deorsum properat. Ideòque primò cachexia in tibiis conspicua fieri solet.

Dum igitur partes albæ spermaticæ malè afficiuntur, vel glandulæ, seu viscera separationi, ac depurationi seri albuginei nervorum nutritii (ut est lien potissimum, pancreas, & glandularum major pars) intemperie, mala conformatione, vel alio vitio laborant statim serum negligunt, ideoque à venis ut improportionatum non resorbetur, neque ad sanguinis penetralia circulando admittitur. Sed ut inutile excrementum extravasatur, atque ab incipiente cachexia, caput hydropis initium summit.

Serum etenim salsum, amarum, impurum facili negocio à natura spernitur, ac extravasatur. Ideòque facies nonnullis manè turgida ob tale serum nervorum nutritium sudoris crassioris forma ad cutem propulsum, in locis potissimum laxioribus, & à corde caloris fonte remotioribus apparet. Vel vesperi in tibiis observatur qui noctu à positione situs in lectulo parum elevati vel æqualis, iterum à venis sensim resorberi potest, & sic crura detumescunt in lecto.

Nostra itaque coniectura est non à lympa, non à sero urina dicto, sed à sero albugineo nervorum nutritio cachexiam equè, ac hydropem fieri. Nam pluribus vicibus per ignem examini subjecimus aquam ab hydropicis per paracentesim elicitam, vel à cadaveribus extractum, & eandem rationem habere comperimus, ac serum albugineum supernatans in sanguine per venam sectam extractam, namque concretiones, & alia phenomena consimilia donat.

Nisi

Nisi verò esset liquor albugineus (succus rectificatissimus, & imputris) tibyarum tumores & alibi ad putredines, & malas corruptiones citò pervenirent.

Causa vero continens proxima, ac immediata extravasationis seri nervorum nutritii, multiplex esse consuevit. Quandoque etenim ob apertionem vasorum (per rexim, dieresim, vel anastomosim) potissimum circa viscera naturalia, & in mesenterio contingit.

Hæc etiam aperiuntur quandoq;ac dilacerantur à frigida potione affatim hausta ob densatos ac impeditos tubulos regurgitante.

Idem contingere potest à vitiosa exoticis salibus prægnante lympha. Idem à chylo impuriori. Copiosioribus crassioribus, vel impetuosiùs motis, vel acrimonia erodenti præditis.

Idem quandoque contingit obstructis potissimum tubulis glandularum mesenterii, quare arietanti sero albugineo nervorum nutritio, per vim tandem portæ disfractæ aperiantur, neque ab appellentibus pravis liquoribus consolidatio, & restauratio permittitur.

Lympha igitur quantitate, vel qualitate peccans, nimio potu, vel pravo, cœnoso adaucta. Tum eadem ratione vitiatus chylus. Tum serum albugineum nervorum nutritium, ad naturalium viscerum tubulos tenuissimos, simplici tunica donatos perveniendo, ac stagnando, vel ob acrimoniam anexam vasa repleta, ac distenta disrumpendo. Sunt in causa, ut in abdominis capacitatem, & viscerum interstitiis, & alibi liquores isti soli, vel aliis comixti cadaverizentur. Inde stagnando in dies majorem corruptionem subeant, facultatem ipsam invadant, ac tandem interimant.

Serum tamen albugineum liquorum omnium præcipuus consuevit esse, quod ex massa sanguinis corrupta, & soluta separatur, & scisuris tubulorum suorum inventis, extravasari cum lympha, chylo, & aliis liquoribus gaudet.

Hinc est quod tanta in hydropicis emaciatio, & in spermaticis partibus jactura conspicitur. Nec non quod in sanguine extracto ab hydropicis paucum admodum serum albugineum observetur, sed cruor nigerimus appareat. Ideò etiam ob defectum hujus seri albuginei (verè irrigatoris spermaticarum partium) fit inextinguibilis sitis, & urina intense ruffa eodem torrefacto, & in salem verso.

In hac itaque aqua, seu in hoc corrupto sero albugineo viscera immersa, tabe quadam afficiuntur, seu nutritione sua sensim privantur, & contabescunt.

Dum interim universæ glandulæ, seri depurationi destinatæ albuginei, nervorum nutritii, ab opere suo impeditæ tumidæ apparent, stagnante sero repletæ, vel confractis vasculis suis tenuissimis flacidæ ac laxæ conspiciuntur.

Hac eadem ratione factis stagnationibus ob scyrrhum lienis, vel hepatis, vel ruptis, aut exesis aliquorum viscerum tubulis, serum albugineum continentibus hydrops consequitur.

Vexiculæ illæ (hydatides dictæ) quæ frequenter in cadaveribus hydropicorum reperiuntur sunt stagnantes ichores inter unam, & alteram valuulam contenti in tenuissimis tubulis potissimum mesenterii, dum à solito suo ac necessario circulationis motu impediun-

diuntur. In quibus meram lympham contineri facta evaporatione ad ignem observavi. Non igitur à solis tubulis serum albugineum continentibus, sed à vasis lymphaticis, vel etiam chyliferis difractis, & ab effusione variorum liquorum hydrops fit.

Solum in anasarca serum fermè sincerum ex arteriarum osculis, in cutaneas, & externas corporis partes effunditur, & est albugineus spermaticarum partium liquor, aliqua de causa depravatus ex cujus etiam innundatione, membranarum omnium & spermaticarum partium extensiones, ac tumefactiones observantur, vera autem nutritione labente.

Obstructiones ab humore crasso, viscido fræquentiores sunt hydropis causæ, dum in vasis obstructis lymphæ, chyli, seri stagnatio contingit, hinc vasorum distentio, mox ruptio, atque effusio, & in unum locum amplum congregatio.

Crudus, viscidus, acidus, nec ritè volatilizatus chylus sanguini infusus, est in causa ut sanguinis massa crudior aquosior fiat. Nam ob acidum prævalens principia potissimum volatilia deprimuntur & sanguis improbus fit, ex improba deinde cordis sanguificatione, pessima fit serificatio in glandulis cerebri, silicet depuratio seri albuginei, qui spermaticarum partium nutritioni inservire debet. Quod impurum existens, à natura facili negocio extravasatur.

Frequentèr contingit à suffocato vel imminuto viscerum calore, & à spiritibus animalibus mortificatis vel elumbatis.

Sic experientia multorum sæculorum edocuit celebres meracioris vini potatores in hac aqua, tandem vitæ naufragium pati. Sic potatores aquæ vitæ, obruto innato viscerum calore, Lethis aquam hydropici bibere coguntur.

Cessante verò animalium spirituum influxu in viscera naturalia, & hac ratione languentibus earum fermentis, atque expultrice, sanguinis massa etherogeneis ac impuris liquoribus contaminatur. Spirituosarum particularum fræno orbata, serum nutritium nervorum, acidius factum manumittere cogitur. Hoc libertate sua donatum, depuratorias glandulas, earumque tenuissima vascula baccanti indignatione difringit.

Nostrisque conjecturis adstipulantur hydropes quæ post icterum succrescere solent, tum post febres. Post copiosas qualescumque evacuationes, vel suppressiones. Post scyrrhos &c.

Auxilia hydropis atque cachexiæ.

QUoniam præcipua hydropis cura peragi consuevit adstringentibus, roborantibus, confortantibus, vulnerariis, atque laxas, difractas glandulas consolidantibus, ac restaurantibus. Ideo hos affectus à debilitate, laxitate potissimum fieri, magna indicia præbentur.

In condictionibus potissimum frigidis ad calidum inclinet aer. Frigidus verò, & nebulosus semper vitetur.

Victus ratio ob nutritivam facultatem languentem & maciem, optimè nutriens esse debet. Ratione frigidorum humidorum excrementorum reddundantium ad calidum, & siccum inclinare debet. Idcircò *Hippocr in. 5. epidem. docet. Hydropicum laboribus fatigare oportet, sudare, panem*

panem edere calidum caput tepidè lavare. Vinum album tenue, & somnus auxiliatur.

Alibi verò *de ratione vict. in acut.* insinuat. *In hydropis curatione multa bona Fortuna est opus. Potissimum verò ærumnis, & fomentis, & temperantia (ærumnis silicet remotis per bonam Fortunam) atque edat sicca, & acria. Sic enim potissimum vrinam ejiciet, & plurimum viribus valebit. Quam minimum bibens, & quam plurimum laborans, & carnes suillas carnosas edens cum aceto coctas, ut adversus acclives deambulationes remitti possit.*

His monitis Hippocraticis confisus memini quod jam tribus annis circitèr, duo fratres fabri lignarii ad Arbores Montagnanæ eodem tempore desperato ascite, & anasarca laborantes, à me sola victus ratione, integrè curati fuere, nam summo manè sumpta bucella panis in vino generosissimo intincta, tota die in onerum gestatione, & violentis exercitiis ad emissionem animæ (ut ita dicam) constantèr perseverantes, parum carnis suillæ assæ edentes, & minimo ac meraco potu contenti. Cum intra tres, vel quatuor dies se profecisse observassent, animus ad majora tolleranda increvit, nec frustra, nam intra mensem sani, & hilares ad me venientes, gratias monitorum tulere.

Solo modico usu vini malvatici, & indefesè laborando plurimos cacheticos sanatos vidi in vallibus Castri Laureti, ab aqua læsos.

Secus edulia & potiones diureticæ, ac aperientes in his affectibus probantur. Videlicet cum radicibus, & seminibus diureticis paratæ.

Cavendo ab acidis, vel à nimis salitis, à pinguibus, viscidis, oleaginosis, à lacticiniis. Et uno verbo ab omnibus quæ cruditates, corruptiones in primis viis facere, & obstructiones, viarumque impedimenta augere possunt.

Nocent ergo legumina, pisces crustacei, vel malæ notæ, aves pallustres, carnes duræ, annosæ & universa quæ melancolica, flatulenta dureque digestionis esse reputantur.

Valent è contra quęcumque facili negocio à ventriculo superantur euchima, & laudabilis nutrimenti, tenuia, & potius amaricantia. Ideò absynthiaca in his affectibus commendantur, & alia multa, quæ in nostra appendice prima protulimus.

In potulentis instillatæ quatuor, vel quinque guttulæ spiritus vitrioli, nutante natura ad vrinas, cum suspicione calidarum materierum proficuæ semper fuere. In quibus etiam à vini spiritu, & valdè spirituosis cavendum erit, observatione facta, quod qui his profusiùs delectantur, frequentèr immedicabili hydrope correpti moriuntur.

Notissimæ historiæ sunt, quæ passim leguntur penes Marcellum Donatum, & alios de integra abstinentia ab omni potu, solis ferculis humectioribus contenti, qua se ab ingenti hac aquæ mole liberarunt, præter omnium spem.

Innumeri sunt illi (ex quibus multos, & ipse numerare possem) qui diù, ac pertinacitèr manè propria vrina, vel pueri epota, ab omni cachexia, immò ab hydrope ipsa se se extricarunt, & obstructiones, ac impedimenta universa tollere potuerunt, largiùs vrina profusa.

In condictionibus autem fervidis, per oblatum succum, & aquam plantaginis, saxifraggiæ, & ebuli, cum lapide prunellæ eximiè sublevantur.

Aqua

Aqua verò ad alvum quandoque inclinans, tertio quoque die innocenti pulvere cornachini, vel etiam granis septem magisterii mecoacæ sollicitari poterit.

Panis biscoctus, cum victu aliquo calore exiccante, & attenuante exhiberi poterit, absque sitis formidine. Pro qua mitiganda tum sal prunellæ cum aliquo potulento, tum spiritus salis, super cætera auxilia commendantur.

Pro potu verò jubet *Hippocr. in lib. de af. Si hydrops à liene fiat vinum austerum Coum, nigerimum potent, & à dulcibus omnibus abstineant. Si verò exurgere possit æger, luctetur*. Libro enim 4. de morbis docuerat: *Cibos, potus labores, ambulationes constituito, à quibus gracilis, & siccus fiat*.

Galenus de arte cur. ad Glauc. *moventia urinas summoperè commendat*. Vina idcircò radicibus, ac seminibus aperientibus medicata, tum lignis fraxini, sassafras, tamarisci optima erunt.

Lixivium etiam epotum, ex prædictorum lignorum combustorum cineribus, vel ex salvia, Cardo-benedicto, absynthio. Sed potissimum ex stercore bovino usto ac incinerato inter hydropis celeberima auxilia numerandum venit.

Quercetanus verò lixivium cinerum juniperi magis effert, si potissimum cum cancris combustio fiat. Qui etiam vinum claretum ex rebus aromaticis ægris istis commendat.

Auxiliorum etiam materiæ esse possunt absintium ponticum. Caro erinacei terrestris, betonica, anonis, tartarus, agrimonia, radices apii, fæniculi, asparagorum, eringii, caparorum.

Joannes Elmontius, qui renes clavem gerere hydroticam pro evacuatione aquæ hydropis promulgavit. In potu propriæ urinæ multum confidit, vel pueri impolluti, nam ob sal annexum volatile, citissimè per angustissimas vias additum sibi facit.

Forestus hydropicum vidit desperatum, in mari navigantem qui dum maris metu merces, & in ventre contenta vomitu projiecisset, vitam à domestico naufraggio liberavit.

Zacutus Lusit. *lib. 2. praxis hist.* memorat quod per cauteria, vel vexicantia toto ventri, imò tumenti scroto affixa universa aqua hydropica evacuari potest. In quo casu balsamum causticum meum nullis cedere debet.

Verum totum negotium versatur in hoc quod ut plurimum per longam moram, & stagnationem liquoris cadaveracei, viscera tandem corruptionem subeunt. Ideoque nulla paracentesis liberare potest istos.

Quamobrem consultiùs erit, vel citò hæc auxilia administrare, vel omittere serò. Securiùs verò auxilium est, atque secretum Jo: Baptistæ Dolobellæ Veronensis, quo multos deploratos hydropicos Venetiis persanavit aqua nucum Majalium: propinata per 30. dies ad uncias quatuor cum uncia semis tartari albi Bononiensis.

Elycitur verò aqua ex nucibus exiguis, mense majo collectis, & viridibus contusis, & in Balneo Mariæ destillatis cum cortice (& non solo succo expresso.)

Sit fides Empirico Neapolitano qui retullit, se multos persanasse incocta radice brioniæ eodem penitùs

modo, ac diacitonitum Videlicet cum melle, ac aromatibus. Hydropem etenim potissimum ab induratis, ac oppillatis visceribus ortam felicitèr tollere posse suspicor. Hanc itaque singulis tribus diebus ad uncias tres circitèr exhibebat. Interim brioniæ radicem in vino coctam emplastri forma, supra universum abdomem extendebat.

Saxonias lumbricos terræ, vel erinacei carnem combustam proponit. Per quæ dum liberalius urina profunditur, aqua hydrotica felicitèr ad renes trahitur ac educitur.

Narrat *Avicenas in capite de cura Ascitis*. *Mulierem copiosissimo malorum punicorum esu, à se ipsa sanatam*. Varignana refert vetulam cocto in olla succo plantaginis, depuratoque hydropem curasse. Quæ fortassis Silvii intentionibus quadrant. Nam lactearum ruptionem, lymphaticorum vasculorum ac seri, hydropis causam esse declamat. Ideoque vulneraria decocta propinanda esse insinuavit.

Et hac ratione lumbrici terræ, erinacei combusti pulvis à Saxonia propositus. Tum aqua à nucibus destillata, cum eximia vulneraria sint, & unitates solutas restaurantia, huic operi in hydropicis felicitèr inservire poterunt.

Pro illis verò qui per urinam evacuari posse creduntur Elmontius spiritum vitreoli, cum liquore tartari, per triginta dies proponit.

Mihi tamen arriderent potius millepedum, vel lumbricorum cineres cum aqua anonidis, vel in vino anonide medicato. Vel in lixivio ex cineribus absinthii, juniperi, cardui benedicti, scordii, sassafras, seminum dauci, erismi infundantur pulveres mille pedum, & lumbricorum in vino albo parato. Quod singulis diebus manè ad unc. iiij. per plures dies exhiberi poterit.

Si vero post factum lixivium, etiam antedicti simplices decoquantur in eodem, multò efficacius erit.

Decoctum ex lignis cum sudore in balneo sicco, vel spiritu vini accenso procurato, cum anexa dieta exiccante, non displicet in illis qui absque multa viscerum labe, sola redundantia frigidorum humidorum, laborant, & in quibus Cælticam subesse luem suspicamur.

Sacculus ex aromaticis lignis, seminibus, ac radicibus, cum sale tosto copioso ac cineribus simplicium cephalicorum in vino albo Cretico modico ebullitus, & calidè aplicitus, iteratis vicibus, magni emolumenti erit. Prout cocleæ cum testis contusis, & sale applicitæ.

Pro evacuanda vero hydropicorum aqua vix aliud auxilium in arte inveniri poterit præstantius Mercurio cum auro præcipitato; quod legitimum inventum Paracelsi veri hydropicorum sanatoris, (ut constat ab epygraphe sepulcrali sua Salisburgii) à nostro Veronensi Bovio Herculis nomine juremerito insignitum, malorum Lerneam Hydram in aquis stabulantem, occulto igne suo exterminare valet novem diebus ad gr. iij. exhibitum.

Si viscerum durities, altæque obstructiones subsint, Artes infra de scyrrho ostendendæ non inutiles erunt. Tunc enim vina calibeata, tum radicibus gentianæ medicata, comis absinthii, radicibus brioniæ, enulæ inservient.

Sed ciathum vini albi potentis, in

quo cineres cardui benedicti, juniperi, absynthii, lumbricorum singulis auroris, tum quatuor horis ante cœnam efficacissimum reperies.

Hydropici adhùc incipienti martialia auxilia validissima sunt. Ita ut sola limatura martis ad drach. j. cum conserva absynthii pluribus diebus adhibita multos restituerit. Hæc eadem limatúra cum corticibus fraxini, tamarisci, juniperi, sassafras sacculo inclusa in vino infundatur, ejusque ciathum æger in prandio hauriat.

Si urina intensè rubra sit, succus plantaginis exhibeatur cum spiritu salis, vel sale prunellæ per aliquot dies ad uncias tres circitèr.

Scyrrhi lienis, ac obstructionum causæ, & auxilia.

QUoniam lienis usus est inservire pro depuratorio viscere seri nutritii nervorum, acido sapore nimis imbuti. (Eadem fermè ratione quo hepar pro collatorio viscere inservit cruoris amaro sapore nimis imbuto) hinc est, quod si tale serum albugineum spermaticarum partium nutritium, crassius, atque viscidius sit, facili negotio stagnans per viscerum calorem magis incrassatur, prout in experimentorum examine facilè à calore incrassari observamus. Eoque magis si particulis terrestribus, vel salibus crassis, ac rigidis prægnans sit. A quibus tubuli, ac glandularum lienis poruli infarciuntur, ac obstruuntur.


Particulæ enim terrestres, salinæ, incrassatæ, hoc facere queunt, & sensim aggeruntur in obstructiones, dum præternaturales atque crassiores, se se illis tubulis accommodare nequeunt, ac remorantur. Et sic glandulæ à materia viscosa tenaci, terrestribus particulis mixta occupatæ, in tumores assurgunt. Si autem prædominarentur salia, in abscessus cancerosos degenerarent. Verum quia particulæ terrestres prædominātur, ideò in scyrrhos abeunt.

Pororum igitur obstructio, atque lienis notabilis induratio, à sero acido heterogeneo, crasso stagnante producitur. Glandulęque lienis tubulorum suorum obstructione impeditæ, liquorum inibi appellentium motum impediunt; & sic non solum circulationi incommodæ fiunt, sed seri albuginei nervosi depurationi spermaticarum albarum partium necessariæ.

Tantaque est quandoque hujus acidi coagulatoris, ac fixi qualitas, ut liquores in parte contenti in gypseam fermè naturam abeant.

Ob pravam itaque qualitatem ab externis causis introductam, serum præternaturale factum, & à cruore secedens ut in liene depuretur, tubulos sua crassitie permeare impotens, est obstructionum, ac scyrrhorum causa. Atque post tubulos, dum etiam lienis poruli obcæcantur, atque tenuissima capillaria vascula impervia fiunt, inde magna in tota animali œconomia conturbatio subsequitur, ob magnam portionem circulationis humorum ablatam, vel impeditam, & seri albuginei nervosi depurationem magna ex parte sublatam.

Cujus causa postmodum pedum tumores ædematosi, cachexia, hydrops, aliaque seri albuginei depravati symptomata, tabes, & mors ipsa subsequitur.



Auxilia scyrrhi, ac obstructionum.

INimica sunt his affectibus universa dulcia, tum lacticinia, & uno verbo quæ nos sub titulo incrassantium alibi recensuimus.

Potius verò conveniunt amara, acria, salsa, ac tenuium partium. Nec non potus parcissimus.

Panis sit benè fermentatus, ac salitus, seminibus fœniculi, anisorum, subactus. Cappares cum aceto mulso, sint vespertinum in cœna acetarium.

Manè in prima mensa jusculum varijs simplicibus alteratum, pro varia exigentia offeratur, nam pro alvi stypticitate malva, mercuriali alteretur. Pro induratis obstructionibus borragine.

Omni studio à cruditatibus caveant, & ab iis quę crassos succos accumulare possunt.

Quies hoc vitium fovet, & auget. Ideòque cursibus atque exercitiis matutinis potissimum vexatos, plures se sanatos vidisse narrat Aetius.

Sicuti verò ante cibos exercitium pro istis comendabile est. Ita à cibo sumpto summoperè cavere ab eo debent. A crudiori enim chylo transeunte per vibrationes fibrillarum motricium in exercitio factas, obstructiones augentur. Cujus magnum indicium sunt dolores circa hypocondria, quando exercentur à cibo.

Pro istis *Hippocr. in lib. de aff. jubet, ut victus ratio exiccans instituatur, attenuans, cibis potionibus, vomitionibus, exercitiis plurimis, atque deambulationibus. In 7. Epidem. narrat quod Eudemus spleneticus, qui cibos, & potus parcè sumpsit, atque deambulationibus usus est, sensim augmento facto. Cum vinum nigrum tenue bibisset, sanatus est.*

Recentiores multum in vinis medicatis tribuunt si potissimũ infundantur radices enulæ, eringii, simul cum calibe, rhabarbaro, & tamarisco.

Cælsus verò *de re medica jubet ut validè moventia urinas (ex. gr. semina erismi, dauci &c.) cum universis cibis & potibus semper admisceantur.* Hippocratem imitatus 7. *Epid.* 20. *qui hoc Bionis exemplo declarat.*

Vascula ex tamarisco fabrefacta, in quibus vinum per aliquod tempus manserit, lienosis satis validum auxilium donant. Cavendum tamen ut parcissimè bibatur, ne illud accidat quod cuidam sycophantæ evenit, qui vinum, ex hoc tamarisci vasculo haurire edoctus à medico, & plurimum haurire, ut citiùs convalesceret festinans, citissimè extinctus est, facetum Epytaphium Lauredani calami emeritus.

Cum exercitiis matutinis, frictiones in fine supra regionem lienis ante cibum, & linimenta ex unguento artanitæ copioso mercurio admixto, præcipua esse auxilia reputamus.

Interim omni industria aluus lubrica servetur, & potissimum aloeticis ante cœnam sumptis.

Vinum aqua fabrorum percolata, (vel calibeata spiritu salis prius acidiuscula facta) diluatur. Observat etenim Cælsus animalia apud fabros educata, exiguos lienes haberet.

Ex simplicibus commendantur cappares, apium selinum, fęniculus, malva, borrago, amoniacum tamariscus, fraxinus, lien hinnuli equini, vel etiam bovis splen, lumbrici, millepedes & innumera quæ aperientium vel diurecorum nomine veniunt.

Cavendo tamen à valdè calidis, & siccis

ſiccis, ut potè quæ tenuiores partes fundere, ſolvere. evacuare, craſſiores, ac terreſtriores fixas, & induratas relinquere ſolent.

Quamobrem ſemper tuta erunt, quæ blanda humiditate, acidum diluere, ac attemperare, craſſum, viſcidum occulta acutie incidere, atque à vinculis ſuis diſſolvere valent. Cujus farinæ eſſe creditur decoctum lignorum, cum radicibus caparorum, ſalſæ, fraxini, & tamariſci. Lixivium quinimò ex tamariſco, cortice fraxini, lumbricis, & abſynthio, nullis auxiliis, pro acidis coaguis ſolvendis lienis, locum cedere debet ad uncias tres circitèr propinatum.

Sale viperarum pro ſale communi in menſa utantur vel ſale tartari volatile, aut cornu cervini.

Vitriolum vero Martis, vel ſal de capite mortuo vitrioli extractum ad gr. v. bis in hebdomada cum diuretico potulento propinetur.

Jus galli cum calibe, & aliis ab auctoribus propoſitis, dum præceptor Raimundus Janſortis ſua experientia parum proficere obſervaſſet in ſyrrhoſis tumoribus, potiùs ſuadet decoctum ſalſæ atque ſudoriferam dietam qua certum eſt tumores univerſos induratos diſſolvi, imò gummata Gallica ipſa perioſtiis agglutinata tolli.

Sic Thomas VVillis in hac eadem intentione concordat, & obſervat quod hi affectus tantumodo curantur per ea, quę ſanguinem valdè exagitant (ut decocta ſudorifera, valida exercitia) tum per ea quæ veluti coagulo infuſo liberaliùs urinam provocant.

Hæc tamen cautè admodum in emaciatis, picrocolis, melancolicis, & pravi habitus adminiſtranda ſunt. Atque potius conſilio Aetii. & Avicenæ acquieſcendum erit. Videlicet lac aſinini pro exiccatis, obſtructionibus ac rebellibus, diù propinetur in copia. Nam caſeoſa, ac butyroſa ſubſtantia carens, valdè permeabilis, eaſdem humectare, atque humectatas, & mobiles factas, ad excretionum vias deducere poteſt.

Per obſervationes Jo: Zechii deſtillatio hujus mali origo, & fons à cerebri glandulis venit. Ideò niſi in ſua radice exiccetur, omnia fruſtra tentantur. Circularitèr etenim invicem procedunt ſerum nutritium nervorum alienis ſalibus inquinatum, & lien præternaturalitèr affectus. Sibi invicem manus præbentes cerebrum lieni, lien cerebro.

Pro depurgando itaque ſero inquinato, & cerebri glandulis reſtituendis, decocta, ſudoriferaque dieta cæteris anteferri debet. Poſt uſum deinde decoctorum, & ſudoris, lactis uſum cum Avicena rationibus præmonſtratis laudamus.

Adminiculantia poſtmodum auxilia eſſe poſſunt ſal abſynthii, cardui benedicti tamariſci inter ſalia fixa vel ſalia Conu cervi urinæ, viperarum volatilia. Tincturæ aperientium in ſpiritu vini factæ Tinctura tartari, ſtybii. Conſervæ capitales betonicæ, ſtecados, ſed potiſſimum abſynthii. Lienes vituli repleti petroſelino, fœniculo, aſparagis, ſemine dauci, eriſmi, petroſelini, cum pane craticula contrito, quæ ovi albumine ſubigantur, inde coquantur, & commendantur, jure etiam epoto. Sed tinctura ſtybii cæteris præferatur.

Urina propria epota, vel pueri impolluti abſque aliis auxiliis multos ab his compedibus liberavit. Vel ſi urina abominabilis videatur, lixivium paretur ex cephalicis aromaticis, ac aperien-

rientibus amaris carduo benedicto, absynthio, fraxino &c. atque manè cum granis salis volatilis ingurgitetur per plures dies.

Acetaria vero ex acutis radicibus, foliis erucæ aceto parentur in quo fraxini cortices infusæ fuerint. Sed capares aceto conditi, tum fœniculus, asparagi monialium cæteris anteferendi.

Mercurialia quascumque aciditates coagulatrices absorbendo attenuant. Atque per summam sui tenuitatem, ac penetrationem per quosvis poros, & meatus sibi vias inveniunt. Dum verò acidum coagulatorem destruunt, concreta, & indurata, consistentiam suam amittunt, atque in liquamina soluuntur, ut postmodum per glandularum tubulos, & convenientia cribra transcolari; inde ad loca excretionum duci possint.

Hinc est quod in syrrhosis, & induratis affectibus mercuralia, tam inuncta, quam intrinsecùs sumpta, efficacissima esse experimur. Nam incidunt, ac educunt viscositatem sale acido coagulatam, per glandularum tubulos (viscosis enim eliminandis forsan nullæ in corpore equè sunt aptæ viæ) dilatatos, atque rotundis mercurii particulis spicula acida, acutiora extra solitam superficiem eminentia educuntur. Ad crassos igitur pertinaces humores educendos vix par auxilium mercurialibus invenies.

Atque salivatio per mercurialia, validissimè omnem ferè succorum putredinem equè acidam, ac salsam, visciditate coniunctam, per ductus salivales evacuat. Et dum multum acidi intra suos porulos mercurius assumpsit, & glandularum porulos ampliores reddidit, efficit, ut major humidi copia per eos transiens, particulas acutas, acres eluat, & viscidas solvat.

Intèr præcipuà igitur mercurialia auxilia præcipitatum cum auro, Herculem Bovii, Corallinum Paracelsi numeramus. Verum sine molestia pro delicatioribus mercurius sublimatus dulcis, ab omnibus vitriolatis salibus liberatus opus suum felicitèr peragit cum gr. novem circitèr magisterii mecoacę. Fit enim inani alkali, quod trahit id cum quo concordat, videlicet acida coagulantia in sero nutritio nervorum reperta eaque in sinu suo recepta, foras secum arripit, & hac ratione induratorum, ac obstructionum fit validissima medicina. Sic flores salis armoniaci martiales.

Et quod mercurius caduceo, atque alis impetrare in hoc affectu nequit. Mars invicto furore frequentèr assequitur. Calybs ergo quocumque modo per os exhibitum obstructionum vincula diffringere valet, per accidens aperiendo. Videlicet absorbendo acido errante coagulatore. Sanguinem præterea exagitans, ac commovens, cordis micationem majorem in cor suscitat, fræquentiorem cordis pulsationem promovet. Exinde copiosiores spiritus ex sanguine suscitantur. Per vitriolicum verò spiritum suum, pravas in sanguine tincturas præcipitare valet. Atque massæ sanguineæ jam effetæ ac languenti, volatile igneum quoddam fermentum ceu calcar addit, à quo animales spiritus antea sopiti restaurantur, & excrementis compressi, ac ligati, à compedibus soluuntur.

Hinc est quod in oppillatis, fœdè coloratis, & clorosi laborantibus puellis, ab assumptis calibeatis paulò post pulsus celerior fit, & facies rubicundior.

Com-

Commodè itaque in substantia propinari poterit calibs ad scrup. j.& ultrà manè jejuno ventre, imperato exercitio ad sudorem usq; horis quattuor ante cibum syrupus scolopendrii compos. Fernelii valdè efficax est.

Vinum etiam extinctionis calibis, vel aqua calibeata pro obsoniorum usu, magni usus erit in istis. Omissis pro delicatioribus, tincturis innumeris quæ passim nunc temporis venundantur. Circulata tinctura calibis D. Hieronymi Rizzeti à pręceptore Raimundo Janforte nunquam satis deprędicata, à me paritèr sanationum conteste non ommittetur.

Monendo quod dum martialibus istis pugnamus, aliquod purgans per intervalla quinque, vel vltra dierum interponendum erit.

Nec non consideratio sit, quod calidis condictionibus præsentibus, magis tutum erit ad diuretica accedere, & à calybeatis abstinere. Quæ frigidis condictionibus præsentibus tutò, & magno cum fructu exhibeatur. Est enim certum ac evidens acidorum absorbens. Ideò limatura martis in aceto, vel alio acido liquore imposita, post paucas horas talem liquorem omni acóre spoliat.

Hac eadem ratione acidulæ martiales vitriolatæ in cronicis affectibus melancolicis excrementa biliosa alkali referentia, atramenti forma secum abrepta prodire cogunt.

Experientia infallibilis etiam edocet, velocissimam esse martis igitionem, atque in scintillas conflagrationem limaturæ calibis super candellæ flammam projecti. Imò spontè per ignitionem in fornace fabrili in scintillas erumpit. Satis rationabili coniectura ostendens quod mars copiosis sulphureis particulis inflammabilibus constet, quorum mobiliores, ac tenuiores, ad intima penetralia nostra subeuntes, in corde vitalis sanguinis accensionem augeant, flammam de se veluti concipientes. Inde sanguinis rarefactio major, cordis pulsatio, calor, spirituum denique cohortes duce marte augentur.

Memini quendam medicum febrem acutam cum ingentibus obstructionibus in visceribus naturalibus curare aggressum. Dum calibem frigidum reputaret. Singuloque mane cum syrupo propinasset. Mecum conquestum fuisse quod post secundam circitèr horam sæva cordis palpitatione corriperetur. Frustrà desistere hortatus, continuata intempestiva martis exhibitione, vidit tandem à viventium libro deleri strenuissimum virum, in martialibus campis olim invictum.

Colici doloris causæ, & auxilia.

FErmentum fellis, quod juxtà naturæ leges chyli aciditatem subigere debet, atque in tertiam naturam, videlicet in salsum volatilem liquorem convertere, si quandoque præternaturalitèr se habeat, tunc vitiatur chylus, qui in pravam mucilaginem degenerat, in qua acor se manifestat.

Nisi igitur intestina valido insurgente motu peristaltico ab initio à se eam repullerint, per eorum inertiam sensim adhæret. Tandem vel mole nimis onerosa, vel qualitate mordicanti molesta, ad sui expulsionem intestinum colum potissimum invitat, quod excussionem talis mucaginis à se non facilè obtinens corrugatur, convellitur, & hoc violento, ac præternatu-

rali

rali motu ſæviſſimos cruciatus excitat.

Salia ergo triumviratus acida, niſi ab alkali fellis regantur, ac ſubigantur, doloris colici cauſæ fiunt. Videlicet cauſæ occaſionales, à quibus inteſtinorum archeus in convulſivos furores agatur.

Non negamus quod eorum alterutro exaltato colici dolores inſurgere poſſint, ſed ut plurimum à mucis acidis pertinaciùs inteſtinorum plicis hærentibus fieri conſuevere.

Quandoque indurata ſtercora huic affectui anſam dedere. Aliquando dum acidum, cum tenaci liquore effervescens, in flatuoſum gas vertitur, in tunicis inteſtinorum, ſæpiſſimè verò in plexu nerveo meſenterico ſævit, & horrendos cruciatus excitat.

Bilis per hoc præternaturale acidum, ſepè ita mutatur, ac corrumpitur, ut aquoſior effœta, expulſioni fæcum improportionata fiat Ideòquæ in hoc affectu, ut plurimum alvum adſtrictam habent.

Quę verò doloroſæ criſpaturę inteſtinorum fiunt, ab acido, acri, vitioſo proveniunt, craſſo, flatulento inteſtinis hærente. Raro ex inflamationibus dolor colicus contingit.

Fit quandoque à fæce melancolica flatuoſa. A grumo ſanguinis collo inteſtino herente. A vermibus. A lapidibus. A ſtercore indurato. A venenis. A purgantibus validis, de ſceptica natura participantibus. Ab acore præternaturali cibi, vel potus. A ſale acido in liquoribus exaltato. Quo vero humor peccans acidior fuerit, dolores etiam intenſiores erunt.

Vides ergo, quam variæ ac multiplices eſſe poſſint cauſæ proximæ doloris colici, nam inteſtina, tubuli ſunt ampliſſimi, ac emiſſaria communia univerſorum liquorum, ac excrementorum.

Pro cauſa verò immediata, irritatum Archeum facultatem ſenſitivam, cum ceteris doloribus, colicus quoque dolor agnoſcit. Ideòque non ineptè inter affectus nervoſi generis reponatur; imò inter affectus cerebri, quando liquor albugineus nervorum nutritius, in excrementum acetoſum degeneravit, & cum lympha per æſofagum (titulo pituitę) ad ventriculum deſcendit, vel à viſceribus (lien, pancreas, glandulę, &c.) ad inteſtina feſtinavit. Ubi mordicans, atque fibras ſenſibiles diſtendendo, ac ab invicem divellendo in corrugationes dolorificas, & convulſivas animales ſpiritus erumpere facit.

Talis ſuccus vitioſus à cerebri glandulis per nervorum tubulos ad infimum ventrem deſcendens, juxta meſenterium potiſſimum, & partes dolentes deponitur ac congeritur, facta verò plenitudine, per longam moram magis aceſcens, acrior factus, ſponte turgeſcere, & in campum certaminis deſcendere poteſt ſpiritus etenim animales ab eo irritati, impetuoſiùs influentes, criſpationum, ac dolorum veræ ſunt cauſæ.

Motu potiſſimum ordinario intermiſſo, meſenterium, aliaſque partes ſenſibiles membranaceas tumultuosè inflantes, contrahunt fibrilias, explosionibus ſuis interpolatos dolores concitantes.

Particulę tamen non ſimplices, & homogeneę, ſed etherogeneę, ſalinę, terreſtres, ſulphureę, &c. circa meſenterium, & inteſtina herentes, irritantes, ac veluti inflammationem minantes, ſunt ſpinę Helmon-

montianę, Archei, qui universorum symptomatum protomotor postmodum est; nam vomitus, ac aliorum viscerum subversiones, à motibus spasmodicis ab animalibus spiritibus irritatis veniunt. Ideòque alvi dejectiones etiam frequentes apparent quandoque, & tamen colici dolores perseverare observantur.

Veteribus non repugnamus qui bilem dolorum hujusmodi causam esse reputarunt. Nos enim fatemur causarum multiplicitatem in hoc affectu, atque inter cęteras numerari bilem potissimum pinguiorem, quę cum succo pancreatico acidiore potentèr, ac vitiosè effervescens, fit horum dolorum fęcunda mater, dum incrassata, intestinis hęret, jisdem reluctantibus.

Idem tenuis humor biliosus, salinus, mordicans, tenuitate sua inter coli intestini membranas inseritur, & pertinacem affectum, exitum tardè inveniens producit quandoque.

Auxilia adversus colicos dolores.

ANte omnia, cum quo liquore pugna committenda sit advertere debemus. Si etenim adversus bilem acrem, tenuem pugnandum sit, occurremus acidis, austeriusculisque onfacio, succo granatorum, &c. tum oleosis emulsionibus ex amygdalis, seminibus papaveris, melonum. Tum alimentis glutinosis, bilem incrassantibus, ut sunt gelatinæ ex animalium extremitatibus, vel ex ebore, & radicibus consolidæ cum ossibus contritis.

Præservatiuum, atq; validum confortatiuum adversus colicam, vinum ex junipero est, àcoro, & cimino. Non minus verò à tota Germania vinum aromaticum absythio infuso alteratum commendatur.

Alii sassafras in vino commendāt, & pro condendis ferculis assiduò zinzibere utuntur.

Acida universa peste, & angue in hoc affectu pejora fugiantur, quando de acida incrassata mucagine indicia appareant.

Fructus idcircò horarii, & quæ sunt facilis corruptionis omninò arceantur. Æquè à vino acido, ac à dulci averte faciem. Qui sine febre, senex est, vino Hyspanico sed modico uti poterit, in condictionibus frigidis.

Archei intestinalis furorem mitigare solet, holocaustum omenti arietini, vel vitulini, aut vervecini, alteriusque animalis recenter occisi, ventri appliciti cum vel etiam sine oleis camomelli, violarum, anethini, & pulvere florum camomelli.

Rebus omnibus desperatis, ad balneum ex solo oleo olivarum deveniemus, vel ex equa portione decoctionis intestinorum vervecis, & herbarum antedictarum anodynarum, & oleo olivarum.

Aliis cataplasma placet ex farina hordei, lacte subacta, & vitellis ovorum cum pulvere camomelli. Calefacientia etenim, atque spirituosa semper suspecta esse debeat, ne spiritus in ἀταξίας promoveant, & in inorditiones majores erumpant.

Fila canabina in lixivio cocta, ventri calentia applicita, per alcalicam energiam coagulata acida solvendo magnum afferunt levamen. Sacculi verò ex furfuribus sale, aceto, & floribus camomelli vino albo incocti, & appliciti incrassatam bilem dissoluunt.

Si verò de condictionibus fervidis absolutè constet, validissimum auxilium centies à me expertum, cum infallibili fructu est fotus ex aqua frigida sola repetitis alternatim petiis frigefactis per horam circitèr.

Si verò etiam copiosum nitrum in eadem frigida solvas, efficaciorem reddes, & omnem flatum ac effervescentiam sedabis, prout nitri spiritus epotus facere solet.

Clysmata ex lacte, decoctione malvarum, oleo amygdalarum dulcium, decocto capitis castrati, & consimilia in condictionibus fervidis usurpantur, prout ex oleo seminum papaveris, amygdalarum, olivarum, aut lini.

Verum in frigidis condictionibus ex decoctione carminativa, floribus camomelli. Sed efficaciora sunt ex propria urina, vel lixivio cephalicorum; aut ex vino albo cum drach. 5. croci metallorum. Vel ex radicibus elenii, carduo benedicto, absynthio in lacte coctis, addito vitello ovi, & oleo camomellino in quo castorei modicum dissolutum sit, & extractum baccarum juniperi.

Sacculus ex furfuribus cum cimino copioso, sale communi, floribus camomelli, baccis juniperi in vino incoctis, calens applicitus, à materia flatulenta ortos dolores valdè compescit.

Zacutus Lusitanus testatur quod lupi stercus de collo gestatum non solum dolores colicos sanat, sed ad eos arcendos magnum prophilacticum est. Nos lupi venatione capti intestinum ad drach. j. exhibitum citissimè dolores colicos sopire potuisse observavimus non semel. Antiquata etiam meorum observatione, qui semper in hunc usum pro pauperibus asservatum dispensabant.

Vecherus de secretis asserit. Et Cardanus de subtilitate confirmat; quod umbilici infantis portio præcisa post partum, in annulo argenteo gestata, ut carnem tangat, summum curatiuum, ac præservatiuum dolorum colicorum est.

Sicuti in causa frigida externam umbilici illitionem zibeto commendamus, interiùs verò aquam vitæ juniperinam, & absynthii. Sic in causa calida gelidam ventri affatim per petias repetitis vicibus affusam, semper profecisse vidimus sufficienti etenim torpore inducto, dolorem sedare observat *Hipp. 5. aph. 25. fermentatione sopita, ac spiritibus retardatis.*

Pro qua indicatione obtinenda, opiata nullis cedere debent, quia non tantum symptomata sanare, sed causam tollere valent. Nam calidum succum refrigerando, tenuem, mobilem incrassant. Ideòque naturæ obedientem reddunt.

Imò si intimiùs res examinetur etiam in causa frigida, urgentibus doloribus omninò adhibenda sunt opiata, atque papaveracea. Ex magnis etenim doloribus arguere debemus materiam peccantem magnæ activitatis esse, tenuitatis, & acredinis, quæ per sola opiata mirè infrænari, ac coerceri potest. Ad infrænandum insuper spirituum animaliũ impetum in partes sensitivas, ac membranaceas intestinorum, vix excogitari possunt auxilia opiatis paria.

Valet igitur potissimum tinctura opii, vini spiritu extracta, vel laudanum nepentes, aut saltem decoctio florum papaveris, vel emulsio seminum papaveris vesperi tempore somni.

Si verò affectus ab acido pancrea-

tico fiat, seu à causa melancolica, atque à sero nervorum nutritio acidiori facto, tunc opiata alcalicis, & absorbentibus maritentur, margaritis, cornu cervino, lapide bezoardico, pulveribus testaceorum &c. in progressu deinde ad usum lactis descendendo.

Verùm in calidis conditionibus, cum ardore, calore circa viscera naturalia, siti, vomitu biliosorum, alvi dejectionibus, dentur absque hæsitantia in aqua vel decocto florum papaveris, vel camomelli laudanum opiatum ad gr. iij. circitèr cum guttulis spiritus nitri. Atque emulsiones opiatæ, ex seminibus papaveris vesperi non intermittantur. Ut sic inducias habeat æger, & acres irritantes particulæ corrigantur humorumque ac spirituum impetus moderetur.

Quoniam ob alimenta improportionatis salibus prædita, vel ob medicamenta irritantia, purgantia, sæpè recurrit dolor. Ideò anodyna semper tuta judicantur, & à quibus irritationes, ac nervorum contractiones mitigantur, inter quæ oleum amygdalarum eminere consuevit, solum, vel cum decocto florum camomelli, aut papaveris, vel etiam oleo ex seminibus papaveris expresso admixto.

Nam quantum fieri potest adversus dolorem pugnandum est. (Dolor enim contractiones facit. Contractiones vicissim dolores pariunt. Sicque dolor est causa doloris) secus materiam peccantem inobedientem auxiliis cæteris invenies.

Paracelsus sagaci satis indagine notavit, quod à cibis stypticis, ponticis diù, vel in copia usurpatis hujusmodi dolores insurgere solent. Ideòque adversus naturam stypticam, vel ponticam unctuosa pugnando victoriam reportare possunt; per oleum potissimum amygdalarum, vel commune ad uncias circitèr quinque in decocto florum camomelli, vel etiam aqua simplici ebullitum.

Sed super cætera olea, illud comendat, quod ex seminibus papaveris expressum est. Olea etenim universa ferrè attrahunt, ac absorbent in se acida morbifica velicantia, dolorum causæ.

Vmbilicum zibeto inungere docet, spinam verò dorsi vino albo generoso cum oleo camomellino. Ad flatus verò sedandos à materia ferventi elevatos, papaveraceis utitur. Item aqua simplex bulliat, eique ferventi adde quartam partem olei communis, & grana aliquot piperis crasciusculè triti. Capiat æger semiciathum calidè quantum ferre poterit, atque dolor in momento sedabitur.

Oleum itaque amygdalarum ad unc. vj. sumi poterit cum vino albo aromatico, & syrupo de papavere.

Pro attemperando verò sero acido, frigido, melancolico à liene, pancreate, glandulis veniente, tum oleosis, tum aqueis insipidis pugnabis, tum papaveraceis, quæ etiam simul mixti efficaciosa fiunt.

Purgantia autem tuta non sunt, nisi prius humor acidus attemperetur.

Vrgente admodum siti, & calore, ne timeas aquam frigidam propinare, animatus Galeni monitis *lib.* 12. *meth. cap.* 7. *Ejusque usu testatur Amatus Lusitanus se talem dolorem subitò incantamenti ad instar sustullisse*. Eadem felicitate se usum fuisse tum assumpta, tum exteriùs frigida ventri admota testatur Septalius, *duabus historiis lib.* 7. *animad. practicarum*.

Universalitèr curatur dolor colicus bilem pinguiorem attemperando per suboleosa, & potissimum per opiata, & papaverina, quę oleo expresso ex seminibus papaveris, vel decoctis floribus, vel forma emulsionum & syrupi, cocleatim semper adhiberi poterunt absque noxa, donec imminuto dolore, somnus subsequatur.

Galenus enim 12. meth. monet nos cautos esse debere in calorificis exhibendis, etiam levibus. Humores enim liquare possunt fermentationem inducere flatus inde elevare, atque sævissima tormina concitare, nisi ignis, & flammæ adinstar morbificas materias resolvere possint, ac discutere. Ut faciebat Galenus, qui in rusticis allium loco theriacæ exhibere solebat.

Tutiora idcircò papaverina blanda, aut oleosa. Observat enim Galenus 5. *de loc. aff.* quod tum colici tum nephritici doloris curatio communis utrique est ab initio. Videlicet per dolorem mitigantia. Verùm in progressu diversa esse debet &c. Ideoque spreta omni alia intentione, de torpore inducendo sollicitus in *lib.* 12. *meth.* æstivo tempore siticuloso colico per solum frigidæ potum oblatum illicò sanitatem donavit.

Dolorem colicum à causa frigida exortum sanavit Gordonius oleo amygdalum dulcium oblato cum vino malvatico, modica theriaca, & castoreo. Ad attemperandam enim acidæ incrassatæ pituitæ acrimoniam, nullis auxiliis cædit castoreum potissimum si tinctura, extractum in spiritu vini, vel succini tinctura, aut salis armoniaci exhibeatur.

Ad effervescentem flatuum mineram citissimè cohibendam, spiritus nitri cæteris anteponi potest in jusculo, vel decocto florum camomelli propinatus.

Vel in colica flatulenta exhibeantur vini malvatici unc. j. s. aquæ vitæ Matt. unc. 5. ol. amygdal. dulc. unc. j. laud. opiati gr. ij. canphuræ gr. iij. croci gr. vij. spiritus salis scrup. 5. syrupi de papavere unc. v. Misceantur pro uno haustu, vel etiam coclеatim assummantur.

Lac paritèr coctum cum allio consimiles dolores potentèr tollit. Vel lac cum multis floribus sambuci coctum, matutino tempore haustum. Si vero etiam oleum amygdalarum dulcium, cum gr. iij. canphuræ addideris, efficacius reddes.

Adminiculantia auxilia ex quibus variæ formulæ postmodum concinari poterunt sunt semina anisorum, vel oleum anisi destillatione elycitum. Semina fæniculi carvi, coriandri saccaro cooperta, quæ adversus pastam acidam incrassatę pituitæ pugnare valent.

Prout amygdalarum amararum oleum. Alaudæ cinis, vel etiam carnes comestæ. Oleum amygdalarum persicorum, vel nucum, vel etiam olivarum cum vino malvatico. Sed efficacius est oleum ex seminibus papaveris, & jusquiami cum croci, & canphuræ gr. iij. Ceræ oleum, vel cera dissoluta ptisanæ forma cum farina seminum lini quam calidissimè epota. Jus copiosum, plurium limacium elixorum, alvum solvendo dolorem, & doloris causam extirpat si potissimum cum drac. j. salis prunellæ propinetur. Galerita avis combusta in potu data.

Validior tamen à me experta est talpa in clybano exiccata, & pulverizata ad drac. j. in vino propinata, Gusmerinæ domus Veronensis sc-

secretum, quo afflictos pauperes sublevare gaudet. Spiritus salis cum potulentis diureticis. Cortices aurantiorum conditæ pro frigidioribus stomachis. Dulcia, pinguia oleosa cum papaverinis. Decoctum florum camomelli solum, vel aqua florum camomelli cum syrupo de papavere, & spiritu nitri. Vel cum ana emulsionis seminum papaveris. In spiritu rosmarini, lumbricorum pulvis, vel viperarum exhibeatur, & corpus ad sudorem disponatur cum oleo succini ad gut. vij.

Si de viscerum imbecillitate magna suspicio sit, magnæ antidoti non omittantur theriaca, mitridatum, aqua cinamomi, elixir vitæ Matt. perlarum pulvis cum aqua florum aurantiorum. Confectio alkermes cum oleo succini. Balsamus Orientalis, vel Pervanus cum salearmoniaco. Oleum amygdalarum dulcium cum copioso spermacæti (ad acida attemperanda) in vino malvatico, vel jusculo.

Quibus nil proficientibus ad usum lactis devenies papaverinis ebulliti. Tum ad balneum aquæ dulcis, vel lactis vel intestinorum animalium mactatorum, oleo olivarum, & decoctione radicum altheæ liliorum alborum, foliorum malvæ, florum camomelli, sambuci.

Fotus ex oleo copioso ranarum, vel insessus Montagnanensibus facilè parabilis est cum magna utilitate, eo enim in lucernarum usum abutuntur. Quo etiam bis cataplasmate ex cæpis incoctis in dicto oleo deploratos colicos restitutos vidi.

In defectu vero olei ranarum semel in oleo scorpionum cæpas incoxi, & mihi cum Galeno hæsitanti de dolore colico vel nephritico, fæliciter res successit acida pituitosa pasta soluta, & per copiosam urinam profusa.

Illiaci doloris, ac volvuli causa, & auxilia.

INflammatio intestini ilei, archeo partis, & animalibus spiritibus negocium facessens est in causa alvi stypticitatis, vomitus esculentorum, dolorum, &c. Ob hunc itaque orgasmum, ac furorem animalium spirituum in tenellas coli fibras orbiculares, transitus liber coarctatur, peristalticus motus invertitur, & in membranosis ilei sentientibus partibus immanis dolor excitatur.

Talis itaque angustia originem habere solet ab humoribus intra tunicas ilei hærentibus. Quibus angustiatis impurus chylus crassioribus suis fæcibus commixtus, liberè transire nequit, vel ejus tenuioribus partibus præterlabentibus, crassiores ad ventriculum regurgitant.

Quandoque non ileum, sed proxima intestina ab humoribus pravis intra membranas suas impactis, & per moram, & caloris actionem acrioribus factis vellicantur, & convelluntur, dum ab archeo irritato animales spiritus in subsidium vocantur, atque turmatim advolantes, contractionum, crispationum, ac Convulsionum sunt causæ.

A qua sola convulsione quandoque intestina angustiari, & immanes dolores excitari consuevere. A motu verò peristaltico intestinorum inverso alvinarum fæcum vomitus subsequi solet.

Contractiones verò excitantur, dum spiritus animales è tendinosa me-

mesenterii fimbria, in annulares fibras carneas, tum in longitudinales pariter fibras carneas prosiliunt, quas tumefaciendo, breviores, ac contractiores faciunt.

Spiritus ergo animales sunt, qui spasmos, & corrugationes dolorificas promovent. Inde intestini affecti motus peristalticus (a quo alvi fæces, versus sedem provehuntur) inhibetur, imò prorsus, invertitur.

Immediata ergo dolorum causa animales spiritus irritati sunt (seu efficiens proxima) Plures vero causæ materiales esse possunt. Nam quandoque vermes. Frequentèr pituita conglobata. Non semel caruncul æ in tenuibus intestinis adnatę. Ordinariè à fęcibus alvinis induratis, sine irritatione, aut acredine fit. Ab inflammatione, ab obstructione intestinorum qualibet. A stercore acido. Ab humore incrassato acido. A flatu. Ab alimentorum corruptione, & cruditate. Ab esu fungorum, vel conchiliorum, vel sorbarum, vel venenatorum, & corruptorum ciborum. A tumore insigni, vel inflammatione progressa ad sphacellum alicujus sive tenuis, sive crassi intestini. A fęcibus in duodeno, vel ileo induratis. Ab ingressu intestini in partem proximam, videlicet dum pars inferior in superiorem, vel superior in inferiorem protruditur. Hoc enim mediantibus flatibus, intestina violentèr pellentibus quandoque acidisse à viri fide dignis relatum est.

Volvulum etiam factum ex inflammatione non solum ilei, sed etiam coli multi viderunt. Dum enim fibrę carnosę violentèr, ac convulsoriè contrahuntur, fęces ab inverso peristaltico motu versus ileum repulsę iliacam passionem seu volvulum horrendum faciunt. Potissimum si inflammatio ad sphacellum progrediatur.

Auxilia ad Iliacam passionem, ac volvulum.

Ante cętera, tenuissimus victus instituendus est, & qui nil habeat acrimonię nec irritamenti (à cibo verò somnus procuretur) Pręcipuumque curationis negotium in ciborum abstinentia reponatur, non secus ac in vulneribus intestinorum. Sic enim vomitus pręcavebitur, qui morbũ auget, morbi causam exasperat, inflammationem, & tormina majora facit.

Adde quòd alimentum exhibitum, nullum affert ęgro solatium, quoniam neque probè concoquitur, neque cedere potest in nutrimentum, sed planè corrumpitur. Atque chylus cum excrementis commixtus, atque detentus pręternaturalis fit, nidorosus, vel acidus, & horrendos vomitus excitat.

In potu major potest esse libertas, nam morbo contrarius eligi potest, neque adeò promptè corruptibilis, ut aqua hordei cum sale prunellę, serum cum emulsionibus. Oxicratum cum rob fructuum. Vina artefacta, aliaque multaquæ alimenti ac medicamenti vicem gerant. Jus, vel expressum ranarum vel camarorum. Serum in copia alteratum, plantagine portulaca, circa initia inflammationis. Cydonia in jure incocta. Plantago in aceto, & jure.

Multaque hoc loco referri possunt quæ pro acutis morbis obsonia destinata recensuimus. Saccarum rosatum,

vel

vel ejus tincturam, ſed potiſſimum aquea, inſipida edulia commendamus, cremorem ptiſanæ, panatellas cum portulaca con...a, in emulſionibus factas. Et pro potu aquam hordei, vel emulſiones ex 4. ſem. frig.ma.

Interim vitare debent frigida, cruda, flatulenta, & ſalſa, pinguia, aliqua inſigni qualitate prædita, vel moleſta condictione irritantia, quæ dolores, ac inflammationem augere poſſunt.

Si ergo ab inflammatione affectus fiat, aer potius eligatur frigidus. Si à fœcum induratione, potius humidus, qui obſervatione *Hippocratis in 3. aph. 16. aluum laxare ſolet*. Idem dicatur de cibis, & potibus. In inflammatione etenim cibi refrigerantes ſint. In fœcum induratione emollientes.

Et ſicuti in inflammatione, & volvuolo ab hernia facto quies, & ſomnus conducere poſſunt magis. Ita in volvulo ab impedito libero tranſitu inteſtinorum motus, & modicæ vigiliæ commendabiliores ſunt.

Externa auxilia ſedulò in uſu ponenda ſunt namque ſi à fæcibus induratis, vel à copioſa mucagine (vitrea pituita olim dicta) acore incraſſata inteſtinorum vias obſtruente fiat affectus. Exteriùs omentis recentèr ab animalibus extractis applicitis, vel in oleo roſarum, violarum, liliorum, nenufaris teporem adeptis pugnabis adverſus tormina, ac inflammationem.

Senſim ad majora aſcendendo, videlicet ad fotus cum ſacculis malva, alteæ radicibus ſeminibus lini in lacte incoctis, & applicitis, cum pinguedine vulpis, cati, mirmenti. Tandem ad balneum ex ſolo oleo, vel mixto cum decoctione emollientium deveniés.

Familiare fomentum meum ex floribus camomelli, ſambuci, radicibus altheæ foliis malvarum, cum oleis expreſſis ex ſeminibus papaveris, & hyoſciami, ac liquore lumbricorum fit quæ etiam cataplaſmatis formula, cum farina hordei, & lentium applicantur.

Animalium quorumcumque catuli vivi diſecti, & loco dolenti applicìti, loci archeum laceſſitum ac indignatum ſuo ſacrificio placant. Validiùs quam animalium omenta in oleis camomellino, papaverino, & conſimilibus fervefacta, & applicita. In quibus (ut verum fatear) ipſe, & alii parum frugis ſemper collegiſſe fatebimur.

Sed potiùs certa victoria, in condictionibus fervidis Galeni poſca frigida ventri applicita pugnavimus, atque inflammationes incipientes, dolores, univerſa ſymptomata, imò cauſam ipſam, frequentèr eradicatam vidimus. Nam facta alvinarum fęcum depoſitione per introductum refrigerium, motus periſtalticus ad ſuum naturalem motum reſtitutus eſt, & ad ſanitatis armoniam omnia compoſita.

Hoc anno evenit medicinæ doctori Coniliano quod cum abſque ſubligaculo ad viſitationes proceſſiſſet, tantus fuit inteſtini prolapſus, dolor, & inflammatio ut de volvulo periclitaretur. Cum ergo de repoſitione varia cogitarentur. Sola frigida cum petiis iteratis applicita dolor, inflammatio ceſſavit, inteſtinum intra pauca minuta retroceſſit, & die ſequenti ad ſuas viſitationes abiit.

Qui igitur frigidæ uſum externum, imò & internum noverit (ut ſuperiùs innuimus) in his affectibus curandis portento ſimilia facere reputabitur.

Si vero efficaciorem aquam reddere optes, nitri bonam quantitatem ei admiſcebis, vbi flatuum minera cohibenda ſit, & ingens æſtus de repentè extinguendus corpore introducto.

Enemata etiam cum opiatis eximia auxilia in hoc affectu ſunt, & potiſſimum inferioribus inteſtinis laborantibus. Tunc enim ſal Saturni, vel oleum ſaturni. Cum lacte naturali, vel artificiali ex ſeminibus potiſſimum papaveris, & oleo ex iiſdem expreſſo intra breve tempus dolores, & univerſa ſymptomata tollere poſſunt.

Ab oleo etiam amygdalarum dulcium, vitellis ovorum, oleo ceræ non abhorrebis, & ab vnctuoſis, modo quæ per vomitum, & aluum dejiciuntur valdè bilioſa non ſint, tunc enim ab oleis univerſis, atque ab vnctuoſis tutius eſt abſtinere. Hæc enim Hippocratis obſervatione, ad inflammata minimè conducunt.

Decantatum auxilium in volvulo penès neotericos invenio, & potiſſimum penès Jo: Helmontium, globulos plumbeos devorandos. Quos tamen venerabilis antiquitatis inventum eſſe fatemur. De quibus expreſsè Trallianus meminit.

Pareus verò Mercurium currentem ad libras tres, & ultra cum aqua proponit. Quo ſolo auxilio, multos jam morti proximoſce ſanaſſe fatetur, dum intra pauca minuta his alvus ſolvitur, & mercurius cum moleſtantibus exit.

Jo: verò Elmontius claro ſatis ſermone teſtatur ſe neminem volvulo perire permiſiſſe. Sed exhibitis moſquettorum globulis (duodecim circitèr) ſolo pondere vrgentibus, moleſtantia in inteſtinis contenta per alvum citiſſimè depulſa fuiſſe. Quo verò plures hauriuntur, & majores, eo tutior, atque velocior ſanatio ſubſequetur. Modò poſt eorum ſumptionem ſtet, ambulet, vel ſaltem rheda, lectica, vel alitèr erecto abdomine vehatur.

Franciſcus Silvius hæc eadem propriis experimentis confirmat. Jubet verò ut plumbeas pillulas cum oleo amygdalarum deglutiant.


Verum multo promptior, ac expeditior eſt mercurii currentis ſorbitio, que etiam ad libram circitèr fieri poteſt, cum juſculo pingui, ne vſquam inteſtinis hęreat.

Ex Riverio, affectus ſi à fęcum retentione procedat, balneis emollientibus, etiam ex oleo ſolo, tum potione copioſi olei amygdalarum dulcium ſolius, vel cum vino albo, aut ſi dolor vrgeat, cum ſyrupo de papavere ipſum ſanare docet.

Si itaque res ſiccæ adſtringentes aſſumptę fuerint (cum ſorbę meſpila, cidonia imatura &c.) quæ fæces in inteſtinis inertes, incraſſatę reddiderint, per hęc oleoſa, ac pinguia oblata certa ſanatio ſubſequetur.

Quoniam ab intenſo dolore, & à motu periſtaltico inteſtinorum inverſo hujus affectus cardo conſiſtere ſolet, idcircò ut hæc ſedentur ad opiata confugiendum, ut ſpaſmodicæ contractiones deſinant, ſpiritus ad naturales motus, ac ordines ſuos redigantur eaque ſubſequantur, quę fuſiùs de dolore colico exaravimus.

Sic emulſiones opiatæ, ſyrupus ex floribus papaveris. Laudanum opiatum Oleum amygdalarum cum decocto, & ſyrupo ex floribus papaveris, accommodata auxilia ſunto.



Lumbri-

Lumbricorum causæ, & auxilia.

GEneratio lumbricorum, neque in stomacho, neque in duodeno peragitur. Imò si diutiùs in stomacho persistunt, per modum cibi conficiuntur, ac dissoluuntur. Vbi ergo fermentum bilis non assurgit, ibi lumbricorum patria est. Fiunt enim ex alimento semidigesto. Atque opponitur fellis fermentum lumbricorum generationi, putret enim citissimè chylus, nisi fellis balsamo, ac sale condiatur.

Stercorea itaque putrefactio, vermium causa reputanda est (& potissimum cadaverosa carnium ac assumptorum corruptio) activis particulis spirituosis igneis avolatis, vel suppressis, humidis verò, ac passivis exaltatis, ac prævalentibus cum tepido calore.

Cœlum etiam, atque exteriùs advenientia verminationis seminaria ad hanc vitalem putrefactionem, vermium matrem concurrere possunt, non secus ac in caseo, qui potissimum mense Iulii, & Augusti vermiculosus fit, non sic aliis temporibus, & potissimum hyeme. Qui adeò insectis adversatur, ut in Moscovia, Tartaria, & aliis algentibus regionibus nusquam reperiantur, cum neque æstate vigente compareant,

Absentibus igitur balsamicis salibus, vividis spiritus, atque activis igneis particulis compressis. A loci tepore, alimentorum dispositione corruptibili, extrinsecis adminiculantibus, sal ab aliis principiis separatur, atque supprimitur, putredo exinde manifestatur. Sal enim vinculum principiorum est, mumia, & rerum balsamus, à quo universa in vita servantur.

Iu verminatione itaque idem evenire rationabile est, quod evenit eis qui panem, & mel in certa proportione componunt anni temporibus non admodum frigidis, & post aliquot dies inde vermes progeneratos fuisse observant. Sic in homine tales compositiones fieri possunt, quæ externis adminiculantibus (tepore ventris absentia bilis, & hyemis) in verminationem erumpant manifestam.

Cum igitur insectorum generatio æquivoca sit, neque universa ab ovo, neque universa à putredine oriri certum est. Imò quædam sunt quæ neque ab alio animali, neque à putredine oriuntur, sed ordinaria naturæ lege, ut sunt insecta illa quæ in variis plantarum fructibus semper reperiri observavit solertissimus D. Franciscus Redi.

Ideò credibile est equivocam paritèr in homine vermium generationem esse. Atque putredinosus, ac præternaturalis quidam calor, respectu nostri, respectu lumbricorum vitalis, & naturalis, eos ad vitam vocatos, lactare valeat.

Causa materialis antiquorum pituita dulcis, putredinem concipiens credebatur. Verum quia ut pluririmum post abusum dulcium, vel post prauum victum, & corruptibilem, vermes in campum erumpunt; ideò immediatè (absque eo quod in varias formas liquores mutentur) per solam alimentorum corruptelam vermes generari possunt, ut plurimum.



Auxilia adversus lumbricos.

CArdanus in libello suo de malo medendi usu errorem putat cum saccaro quidquam exhibere in affectionibus verminosis. A saccaro etenim vermes augentur, ac foventur. Error est etiam copiosè cibare. Cruditates etenim in primis viis lumbricorum sunt causæ.

Quare omni studio optimæ concoctiones procurandæ erunt. Cibique omnes medicamentosi, atque cordiales, putredini resistentes esse debent, qui idcircò croco, malis citriis, aromatibus condiri debent.

Si adsit alvi fluor, neque clysteria, neque medicamenta purgantia locum habere debent. Sed vermes necantia adhibeantur, austera acida, amara, acuta. Ut absynthium, scordium, semina santonici, succus citri. Vinum absyntite.

Verum præsente febre acria, amara, acuta lædere possunt, & calorem febrilem augere. Imò vermes jam enecatos putrefacere, & sic majorem putredinem, ac fermentationem augere; idcircò omittenda sunt. Et eorum loco potius acida, frigida, austera eligantur, succus limonum vel portulacæ, acetosæ &c.

Pro ordinario potu, aqua cordialis aliqua offeratur in qua mercurius currens agitatus sit, vel saltem in eadem ebullierit. Ego verò in ignito crucicibulo impono mercurium, & ebullientem ac fumantem in aquam portulacæ, vel saxifraggiæ, rutæ, rosarum scorzuneræ, galegæ, citri, vel cordialem Saxoniæ sufficienti spiritu vitrioli acidiusculam factam mercurium currentem proijcio. Ratus quod nisi ignis calore rarefiat densissimum mercurii corpus, & aqua acidiuscula sit, modicum de sua virtute, eidem communicare possit.

Absente febri, potens est vinum in quo scordium per horas 24. infusum fuerit.

Vitent ægri fructus horarios, & res facilè corruptibiles, tum carnium æsum nimium. Atque cruditates omnes peste, & angue deteriores reputent.

Corpus ad sudorem usque exercitiis fatigent, ante cibos. Amaris potissimum delectentur, atque attenuanti victu utantur.

Si sumpseris cineres scordii, absynthii, & lumbricorum simul crematorum vnc. j. & in aqua portulacæ vel alia cordiali decoxeris, ut fiat lixivium, cui addas deinde oleum amygdalarum amararum, vel persicorum ad vnc. ij. circitèr, in vnc. iiij. lixivii. Statim lactis formam induere videbis, ut statim hauriri possit. Et validum auxilium habebis, quod vermes, & mineram verminosam si quod aliud extirpare valet. Solis enim cineribus ordinariis, & aqua puteali facto lixivio, & addito oleo communi, in rusticolis deploratis, mira effecisse sæpiùs expertus sum.

Si exhibueris aquam cordialem inauratoribus, ut amalgama suum factum ex auro, & argento, saltem tribus vicibus extinguant, habebis adversus febrium malignarum putredinem, tum adversus verminationem validissimum auxilium.

Si adsit alvi fluor, plurimum valere reperies acida imbibentia, cornu cervinum, ebur præparatum, corallia, margaritæ, os de corde cervi & crustacea cum decocto, & succo plantaginis & portulacæ, nec non ab earum seminibus expresso. Et hæc etiam

etiam præsente febre. Nam febre absente calidiora, ac amara usurpari poterunt quæ infra dicentur.

Oleum commune, suo lentore animalium illorum, quæ sola transpiratione vivunt spiracula occludere potest, & sic lumbricos interficere valet. Verum præsente febre, non sic tuta est inflammabilium oleosorum, in stomacho corruptelis prono exhibitio. Vel si propinetur, amygdalarum sit, cum copioso succo limonum, vel granatorum.

Hæc autem animalia, quoniam à ventriculi imbecillitate, atque ab ejus depravata cõcoctione fieri consuevere. Ideò universa, quæ pro ventriculi imbecilitate proposuimus hoc loco recenseri possent.

Raimundus Janfortis commendare solitus aquam rosaceam, cum acido citri, vel limonum. Quæ si organis plumbeis destillata fuerit, aptior erit. Cibos vero aceto, & succo citri conditos apponere jubet, santonici semine aspersos.

Inter vermes necantia, maximam prærogativam, aquam cordialem Saxoniæ habere, ab omnibus una voce conclamatum est. Ejus tamen energiam potissimum in spiritu vitrioli fundari suspicamur, per quam mucositatibus, & corruptionibus adversatur. Ita ut quelibet aqua, cordialibus potissimum, vel ex simplicibus cephalicis elicita eadem præstare possit.

Inter elmintica auxilia (ex quibus auxilia varia parari possunt) eminere videntur portulaca, ejusque semem. Graminis radices decoctæ. Cinis eorundem lumbricorum combustorum. Succus limonum, aurantiorum, citri, spiritus vitreoli acetum, oleum, cappares in aceto. Oleum amygdalarum amararum, vel persicorum. Caro pariter, ac pulvis viperarum. Succus majoranæ, rutæ, aut horum semina sed potissimum hyperici. Balsamum orientale. Petreolum. Oleum Abacuchi. Monacorum Sanctæ Justinæ. Dictamum. Scordium. Allium. Scorzonera. Contrahierva Tormentilla. Terra sigillata. Stibium diaphoreticum.

Amatus Lusitanus proprio experimento super cætera Santonici semen saccaro coopertum deprædicat. Quod re vera magni est usus apud Italos, tum Zedoariæ confectio, vulgò Zenoina dicta, indiscriminatim usurpata.

Nephritidis ac lithiasis causæ, & auxilia.

ARenulæ equè ac lapides in homine concrescere solent, non vi caloris externi liquantis, deinde exiccantis (ut multi arbitrati sunt) sed potius ad instar lapidum in terræ gremio, dum glutinosa materia mercurialis, volatilis, congrediens cum acida sulphurea, A terrestri salina proportione in matrimonium copulatur (quibus pro vinculo inservire non recusat) Et sic tertia natura concretorum ressultat, arenularum, vel lapidum.

Hinc est quòd omnes humani calculi, equè ac lapides tum metalla ab optimo spiritu nitri solvuntur, tum ab aquis fortibus, à salibus elicitis) dum vincula cognatorum salium difringuntur.

Fit ergo calculus ab acido, salino coagulatore. Qui inveniens pinguem tartaream, fixabilem, volatilem substantiam (chylum indigestum, nec probè fermentatum, etherogeneis particulis prægnantem) fa-

cto nuptiali vinculo lapidem pessimum in homine monstrum in partibus generationi destinatis procreat.

Ex minutarum tamen arenarum sensim facta appositione, calculus primò exiguus in prægrandem molem excrescit, dum glutine quodam conjunguntur, atque à spiritu acido coaangulantur. Videlicet serosa materia viscosa sensim in duritiem lapideam acido mediante concrescit.

Tale verò acidum ab insito renum fermento depravato venire rationabile est. Nec non rationi consonum valdè est, serum nervorum nutritium, in coagulationes pronum, hoc depravato renum fermento acido adinvento, tum loci calore præternaturali quandoque in durissimam lapideam materiam concrescere. Cum certum sit synoviam articulorum (quæ est ejus soboles) in durissimos tophos in podagra coagmentari.

Spiritus tamen acidus, volatilis necessarius est ad lapidis generationem, & concretionem, quem Neoterici lapidificum spiritum appellant, & causam efficientem. Sicuti causam materialem præcipuam serum nutritium nervorum reputamus. Minus verò principalem causam, atque remotiorem chylum non optimè præparatum, in nostra sententia judicamus.

Nostræ vero opinioni consentient universi, qui hypostasim, nubeculas, atque in urinis contenta (per quæ signa decantata cruditatum vel coctionum habentur) non à chylo venire perfecto vel imperfecto, sed à nutricio succo spermaticarum partium fatentur, prout, & nos suo loco monstrabimus.

Sic mucus, qui præsente magno calculo in vexica assiduò dejicitur cum urina, succus nutritius membranosæ ac nerveæ vesicæ est, qui dum læditur à molesto hospite, partem sui alimenti assiduè plorare compellitur, & novum alimentum semper exposcere. A spermatica etenim parte rejiectus succus nutritius, in mucosam indolem degenerare observatur, quæ postmodum in concretiones prona est, ut superiùs innuimus.

Nephriticus igitur dolor, fit à tentata solutione continui, ab inhærente materia aspera (sabulo, vel calculo) & inde facta dolorosa crispatione fibrillarum renum, & ureterum.

Per ductus itaque nerveos ad renes albugineus succus deductus, ac in eorum cavitatem effusus acido præternaturali fermento adinvento, post factam effervescentiam concrescit.

Hunc albugineum nervorum succum sale prægnantem Paracelsistæ mucilaginem tartaream dicerent, in lapidis generationem pronam, videntes quod urina ad matulæ parietes (instar tartari vini ad latera doliorum) concrescit.

Sal ergo solutum quod in succo albugineo ferè semper continetur, eundem ad concrescendum in duritiem lapideam disponit.

Et hac ratione considerata, si materiam calculi tartaream esse dixeris non aberrabis. Dum silicet à potulentis vel esculentis, aut aliis procatharticis causis adducitur id quod turbare potest probam quartam concoctionem in membris, & potissimum in partibus spermaticis. Hac turbata atque ablegato sero nutritio, impuro, ætherogeneo, acido, ad loca excretionum, & ad renes malè affectos, acido præternaturali instructos,

sali-

ſalibus cum particulis etherogeneis, vinculo acido mediante, in lapides concreſcere cogitur.

A copioſis verò ſalibus concretionem fieri magnum indicium eſt quod in urina ſatis clara atque perſpicua materia arenularum, vel lapidum ad tempus inviſibilis eſt, quæ per evaporationem calore mediante, vel per refrigerationem tandem in fundo, vel in lateribus vaſis manifeſtatur, ut in ſalibus ſolutis evenire obſervamus, non ſic in terreſtribus particulis.

Auxilia adverſus arenulas.

IN univerſis morbis recta dieta inſtituta ſemper proficua eſt. Verum pro calculis, tum avertendis, tum eliminandis adeò neceſſaria eſt, ut ea contempta, fruſtra univerſis auxiliis pugnabis.

In primis itaque ab acribus abſtineant effervefcentibus, fætorem urinæ imprimentibus, nec non à vinis generoſis.

Aetii præceptum eſt pro calculoſis, ut à cœna vomant, atque à diureticis abſtineant. Vomitus autem pro præſervatione bis in menſe ſufficere poterit. Semel verò in hebdomada parciſſima cœna unius ſaltem diei comendabilis eſt.

Decipiuntur itaque illi, qui ad valdè attenuantia intentiones ſuas dirigunt, quæ ut plurimum irrita fiunt, nam inflammant, atque ſaburrę partem ſubtiliorem reſſolvunt, parte craſſiori reſtitante, magiſque concreſcente.

Craſſæ ſubſtantiæ tamen alimenta, & ea quæ difficultèr concoquuntur vitanda ſunt, ut caſeus vetuſtate exiccatus acris (ex acido coagulo prædominante factus) verminoſus; carnes ſalitæ, fumo induratæ, & uno verbo quæ cacochyma eſſe reputantur.

Si quandoque cruditatibus aggraventur, ſomno longiori indulgeant. Neque tamen ſuper plumas dormiant, à quibus, renum fervor foveri atque augeri poſſit.

Quibus acida paſta frequentèr ex cruditatibus hæret in primis viis, abſynthiaca familiaria ſint.

Verum cruditates omnes, veluti peſtis fugiendæ in his affectibus, qui crudam mucilaginem calculorum, & arenularum mineram, & matrem agnoſcunt. Idcircò ſi ſemel tantum in die cibum ſumpſerint iſti, ſaluberimum eſſet. Sin minus novem, vel decem horarum intervallum ſit inter prandium, & cœnam. Nil etenim his deterius, quam commeſtio ſupra indigeſtum ex Avicenæ monitu.

His nocere ſolent univerſa lacticinia (potiſſimum ſine arte adhibita) hæc etenim ad calculi generationem plurimum conferre notat Hippocr. *lib. 3. de morbis ſec. 5.*

Acida ſtypticantia, ſua adſtrictione his affectibus parum convenientia eſſe conſuevere.

Parca ſemper ſit cœna. Vinum album potius quam nigrum auſterum bibere expedit. Atque à diureticis non abſtineant, pręſente calculo in vexica.

Vinum infuſionis radicum ononidis ſummum præſervativum à Nephritide eſt. Secretum olim Illuſtriſſimi, ac Excellentiſſimi D. Franciſci Donati quo amicos ſuos renum calculis pronos ſuo munifico dono præſervare gaudebat. Hæc ſolum præſcribèns, ut in menſa ciatho ſui vini ſemper uterentur, Cœna parca,

&

& optimis cibis. Quibus bona fide testor plurimos præservatos semper vidisse.

Formula verò vini conficiendi erat, mense Augusti, luna plena radices ononidis colligere colligendas esse curabat. Vindemiæ verò tempore pro singulis centum libris (circitèr) uvæ expressæ uncias tres radicum anonidis fermentandas in vase imponebat. Si vero extra vindemiæ tempus vinum parandum fuisset duplam quantitatem radicum adhibebat.

Atque ut verum fatear non minorem numerum recensere possem eorum, qui vino infusionis baccarum juniperi usi fuere cum fructu (meo monitu pro frigidioribus temperamentis) Vel vino passularum, & liquiritiæ pro emaciatis, & plurimis acribus liquoribus reffertis.

Eligant proni ad hos affectus super cætera vina optima. Et sunt, tenuia, nullis insignibus qualitatibus prædita, in apricis locis natis, vel sabulosis, & non petrosis.

Verum me paradoxa dicere quis verebitur, & tamen certa experientia testari possum quod vinum raspatum (graspia Italicè dicta) silicet vinum secundum, post transfusionem musti, seu primi vini (quod linguam mordicat, super cætera diuretica infallibile diureticum est, quod intra horam urinam dejicere cogit) si in mensa assiduè bibatur, ab omnibus arenulis, & calculis tutissimos reddit. Modo proba vivendi ratio in cæteris consentiat.

Imò (quòd mirum esse videbitur) dum calculi, & podagra sint cognati affectus, & ab eadem causa silicet sero nutritio nervorum depravato proveniant, amboque Gorgonem lapidificam secum gestent, Hoc tenui Bromio vini raspati suffulti se se à diris podagricis compedibus liberare possunt. Atque à se jactis lapidibus, morbos, dolores, & mortem ipsam arcere solent.

Verum abstinere debent à lactariis. Seque continere à satietate, ab esu pinguium, à piscibus dura testa contectis. A carnibus suillis, annosis salitis. Ab extremis, & à visceribus animalium. A piscibus malæ notæ, vel sine squamis. A palustribus avibus. A condimentis acribus aromaticis, pipere excepto, & cinamomo.

Diuretica valida, & ducentia ad urinas procul absint, in illis qui præservari cupiunt. Imò in prima mensa jus pullæ alteratum malva adhibere debent. Vel more Polonum unciam unam vel alteram recentis butyri, cum bucella panis recentis assummant.

A cibo verò cydonium, vel grana duo, aut tria masticnes devorent. In plumis non dormiant. Atque omni arte procurent, ut venter laxus sit, atque cruditates omnes ad aluum ducantur.

Cavendo à carne suilla quavis arte condita. A caseo quovis. A fructibus acidis stypticis. Ab cleribus, fæniculo, selino, asparagis, raphano, tuberibus, fungis. Eduliis ex pasta. Vino albo generoso. Non dormiant supini. Jejuno ventriculo exerceantur. A cibo quiescant. Intemperies calida, & prava renum dispositio refrigerantibus, confortantibus, & specificis quantum fieri potest avertenda. Passulę his familiares sint, potissimum in prima mensa ad alvi, & urinæ simul, & ad viarum lubricitatem procurandam.

Ne renes incalescant, tegumentis, pon-

ponderosis neque exercitio vacandum erit. Vel exercitium leve, corpore à cruditatibus vacuo faciendum erit.

Amicus meus se à calculis, & arenulis immunem fecit, facta infusione ligni nephritici in decoctione, vel aqua ononidis, qua cerulea facta, ad diluendum vini ciatum unum, aut alterum in singula mensa utebatur. Quo auxilio etiam multos se sanasse gloriabatur.

Multo fortè rationabilius quam *Galenus 3. de alim. fac. 15. qui coturnicis carnem lapidem frangere insinuavit*. Cum tamen viri principes, & qui in quotidianis deliciis corturnicibus abutuntur, sunt rusticis cæpis victitantibus, his lapidibus à sorte percussi frequentius, & vehementius.

Ruricula quædam vetula magnum consequta nomem in his affectibus tum curandis tum præservandis. Sola facta infusione globulorum cynosbati crassè contritorum, & seminum dauci in vino. Quo in prima mensa ad unc. vj. singulo die uterentur, mane & vesperi. Non solum etenim arenularum copiam dejectos, sed crassos lapides vexicæ confractos cum urina profusos fuisse, per hoc auxilium gloriabatur.

Pro calculi præservatione somnus potiùs sit prolixior, quam brevior, nam primarum viarum cruditates maximè concoquit. Exercitium (potissimum pilæ ludus) ante cibos commendatur, post cibos vituperatur. Calculum enim (in vexica potissimum) ex voracitate generari, & motu post cibum violento Tralian. & Paul. asserunt.

Alvus lubrica servetur. Alvo etenim benè procedente, puriora lotia proflunt. Quare utile consilium est in prima mensa semper jus pullæ passulis alteratum summere, quandoque mixtum tartaro.

Solo vomitu Ægyptii præservabantur. Videlicet semel circitèr in hebdomada vomentes à cœna, inde vacuo stomacho obdormientes. Manè verò absynthii conservam, vel decoctionem bibentes, fræquentèr etiam amaricantibus gaudentes. Nihil enim equè cruditates à renibus divertere potest, quam vomitus.

Si quandoque diuretica ob renum mundationem, vel ad deturbandum lapidem adhibenda sint, corporis motibus potius, quam quieti indulgendum erit.

Memini in nobili viro quod diueretico propinato, dum rheda veheretur saxis agitata, lapillum à renibus deturbatum felicitèr in eadem mingendo dejiecit. Rheda verò pro hac intentione par auxilium non habet in dejiciendis calculis.

At pro præservatione ambulationes, & exercitia modica commendantur. Otium etenim cruditatum, atque fæculentarum subsidentiarum pater est; quæ in progressu immotæ acescunt atque incrassantur. Ab exercitio verò spiritus, & fibrillæ sentientes exagitantur, illi ad viscera, & ad membra universa uberiùs confluentes, excretiones moliuntur excrementorum.

Intempestiva Venus, fortè super omnia nocet; nam renum nutritios liquores exagitando, corrumpit, vel deteriores facit. Renesque præternaturalitèr incalescere faciendo, insito spiritu, & calore privat, vel imminuit.

Externa auxilia omittenda non erunt. Nam ad dolores lithiasis demulciendos, post factam externam inun-

inunctionem cum oleo scorpionum, & à seminibus papaveris expresso, injiciatur lac recens cum granis canphuræ.

Semi cupium verò ex decoctione florum camomelli, parietariæ, asparagorum, equè pro doloribus nephriticis, ac pro lithiasi inservire potest. Vel etiam ex solo oleo olivarum parato.

Enemata pariter in dolore potissimum nephritico medicamentis purgantibus præferri debent. Dolorem enim leniunt, & fæcalia excrementa, renibus contigua, quæ ipsos opprimere, ac gravare possunt evacuant. Loca circumsita emolliunt, ac dolores leniunt, peristalticumque intestinorum motum ad dejciendum vndique stimulant, ac accelerant nihilò secus ac medicamenta purgantia.

Lapis Jsatis qui Venetiis apud Armenos mercatores frequens est, supra renes alligatus valdè efficax esse creditur.

Cataplasma ex cæpis parietaria, & oleo scorpionum pubi applicitum, in lythiasi quandoque mira protullit. At in nephritide laxationi, ac emollitioni ductuum urinariorum super cætera incumbendum est. Ideò exteriùs oleo liliorum alborum, amygdalarum pugnandum erit.

Frequentibus clysteribus alvus sollicitetur, ne intestina fæcibus induratis distenta, renes magis præmant. Sint vero enemata emollientia ex lacte saccaro, & butyro. Vel ex decocto malvarum, florum camomelli, radicum altheæ cum additione olei liliorum alborum. Terebenthina verò soluta cum vitellis ovorum, deinde lacte admixto non ebutyrato, efficax auxilium his donat emoliens.

Oleum expressum ex seminibus papaveris, & hyosciami, & amygdalarum dulcium ana ad uncias duas injectum, intra breve tempus dolores omnes consopire consuevit, omnem flogosim tollendo. Syrupus altheæ compositus Fernelii valdè commendabilis est. Opiatorum insuper mira est efficatia in cura potissimum nephriticorum dolorum, quando lapillus ad renis infundibulum, vel ureterum principium pervenit, tunc enim irritando dolorificus factis contractionibus convulsoriis, ac crispationibus in fibrillis sentientibus ureterum, eosdem angustiendo, lapillis transitum negat. At per opiata, dum quies spiritibus impetratur, & dolores sopiuntur, omni tensione cessante, liber transitus lapillis, arenulis, aliisque renum excrementis conceditur.

In paroxismo ergo nephritio, vrgente dolore, vigiliis, detur emulsio ex sem. frig. ma. cum pulvere oculorum cancri, & grano uno, aut altero laudani opiati. Vel decoctio alkakengi cum tinctura opii rasura Cornu cervini, liquiritia, & fructibus cynosbati.

In lythiasi si dolores & conatus vrgeant, in lacte dissolvatur drach. j. philonii Romani cum gr.x. canphuræ. Quia semper diuretica calorifica, in his suspecta sunt (& potissimum in naturis calidis) ideò refrigerantes emulsiones, & quæ de diureticorum refrigerantium numero sunt (ut lapides cancrorum, alkakengi &c.) semper tutiora reputanda, cum papaverinis potissimum usurpata. In dolorumque vehementia nunquam oleum amygdalarum dulcium ommittatur ad unc.v. cum unc. j. olei ex sem. papaveris expressi.

Emulsio itaque in decoctione hordei,

dei, ex amygdalis, sem. papau. & portulacæ, ter in die propinari potetit. Atque ab aliis narcoticis abhorrendum non erit, à quibus sanguinis & liquorum omnium effervescentia retundatur.

Atque ut verum fatear, dolores à calculo in renibus excitatos, à solis opiatis, & papaverinis commodè leniri potuisse tantumodò observavi. A quibus non impeditur, imò cæterorum litontripticorum vis promoveri solet, spiritibus, & sanguine modificatis.

Jo: Elmontius salis marini usum calculosis proficuum esse insinuat his verbis. Virum sexagenarium à calculo renum immunem servavi annis 16. (calculis enim obnoxius erat) longo salis marini usu. Sal etenim marinus vrinæ injectus impedit ne arenulæ lateribus vasis coagulentur. Ressolvit etenim materiam, paratam coaguli. Insalubris est etiam victus absque sale. Nam sal ressolvit excrementa stomachum suo mucore gravantia. Putrefactiones impedit, mucilagines dissolvit, arenulas pellit. Ita ut utile sit sal calculosis, tum in suo corpore, quam in suo spiritu.

Uteri itaque saxipari infundibuli renum, & Gorgonici fermenti petrifici vera curatio, & lapidum ressolutio desideratur adhùc. Prosunt tamen humectantia althea, malva, oleum amygdalarum, non ut putant scholæ amplificando vreteres, sed spasmum demulciendo eorundem.

At Paracelsus *in lib. de morb. tartareis* Pro prophilaxi calculosarum affectionum docebat: *Curandum ut nutrimenta tartaro careant quantum fieri potest. Nec non cum stomachi officium sit concoquere, & separare. Dum hæc munia rectè facere nequit adjuuandus est. Videlicet ut tartara concoquere, & ressolvere possit. Quod fieri poterit per confortativa, & rectificativa acetosa, esurina. Quæ duplicia sunt. Naturalia sunt fontium, vt acidulæ. Artificialia sunt acetosa vitriolata. In sola etenim aciditate potentia digestiva consistit. Aqua verò Valtelinæ Sancti Mauritii cæteris omnibus efficacior est. Per hanc enim stomachus adeò roboratur ut tartarum digerat nihilo ignaviùs, ac struthio ferrum.*

Arenosa materia si quandoque à renibus removenda sit, ac abstergenda. Hoc frigidiusculis, vel temperatis saltem facere tentabimus, succo limonum, cum decoctione malvæ, & liquiritiæ per plures dies. Vel in aqua aut decocto portulacæ, plantaginis emulsiones fiant potissimum seminum melonum, ac papaveris cum sale prunellæ.

Exteriùs verò albumina ovorum duo quassata cum aqua rosarum, & succo citri sale, & alumine, nec non modico sale saturni, panò lineo excepta, regioni renum applicentur.

Omnium efficacissimum litontripticum à Raimundo Janforte censetur cæparum albarum succus cum vino moscatello albo ad vnc. iiij. quod semel exhibeatur, & duabus horis ab hoc haustu levitèr ambulet, vel saltem pedibus stet.

Pro delicatioribus ipse jubere soleo tres, vel plures magnas cæpas, pulvere seminum dauci ad vnciam semis consperſas, & saccaro pulverizato ad vnc. iiij. circitèr coopertas. Super craticulam ligneam, suposita patina, paucis post horis liquor præciosus descendit. Qui solus ad vnc, iiij. vel cum unciis duobus vini albi propinari vtilitèr poterit etiam repetitis vicibus. Et

Bb post

post horam vectio rheda inter saxa fiat.

Renum intemperies tantoperè à veteribus decantata saxifica causa, à nobis aptiori fortè vocabulo imbecillitas renum appellabitur, qua mediante dum succi nutritii portionem suam allabentem probè assimilare non possunt, eandem plorare coguntur, ac variorum excrementorum forma in matulis deiicere conspiciuntur. Hæc ergo intra renis infundibulum alimentum delatum aliquo acore imbutum, per moram incrassare, ac tandem ad tophaceam imò lapideam naturam deducere valet, ut in podagra.

In nostrarum assertionum testimonium experientias universales adducimus, eorum omnium, qui in aliqua corporis parte, manifesta imbecillitate laborant; ibi enim facili negotio de doloribus, de laboribus conqueruntur, & quod valdè considerabile est, de magno calore, & æstu queruntur in eadem parte imbecilliori, falsò se valdè biliosos esse reputantes, quare aquam bibentes, & ad refrigerantia valida conversi, magis læduntur.

In hanc choream facilè ducuntur senes illi, qui ob hanc imbecillitatem frequentèr in tibiis erisipelatosis affectibus tentantur, qui oleosis, & frige factoriis sepè ad cancrenas deducuntut, sale verò, aut vino generoso, ac roborantibus sanantur.

Talis igitur calor morbosus ab imbecillitate, seu à calore nativo partis marcescente potius fit,(& non ab adaucto) propter quam portionem sui succi nutritii alabentis in propriam sui substantiam vertere nequit, sed per moram depravat, & corrumpit. Qui postmodum hostilis factus partes sensitivas lacessendo spiritus, sanguinem cum calore ad se vocat.

Eadem penitùs ratione me de renibus verba facere possem magna parasylogia. Verum intelligenti pauca. Atque sufficiat veram, & legitimam causam lassitudinis circa lumbos, dolorum obtusorum premonstrasse, & molesti caloris in regione renum, ut putent decepti patientes se Etneam fornacem in visceribus continere;ideoque Mediteranei aquas eidem circumponere amarent; cum tamen de sola confortatione, & apto nutrimento eorundem sollicici esse deberent Juvenes etenim, & robustiores partes raro ab erisipilate tentari observantur.

Non negamus tamen quod præter hanc confortationem calculis obnoxii procurare omni arte debent, ne crassæ, viscidæ materiæ copia in corpore accumuletur. (Nos fortè aptius diceremus ne succi albuginei nervosi impuri copia in corpore succrescat) hæc etenim ad renes debiles nutriendos delata, facili negocio depravatur.

Vomitus per antimonialia procuratus, verè & autumno valdè his commendabilis est, crassos enim peccantes liquores à tubulis universis primarum viarum cum magno fructu removet; ut postmodum glandulæ omnes, & universa viscerum collatoria, liquorum depurationibus vehementius, & liberiùs incumbant. Nec solumodo biliosas tenues inviscatas; sed crassas, & longa mora coagulatas saburras removere possint.

Si quandoque blandis attenuantibus diureticis opus sit. Decoctum petroselini, saxifraggiæ raparum, asparagorum, cicerum, radicum anonidis seminum dauci, erismi, non infimum locum obtinebunt.

Si autem ad vesicam ducentium ac lapidem frabilem frangentium vires

exoptes

exoptes. Cinis scorpionum, vel cicadarum, vel vermium terræ cum emulsione 4. sem. frig. Vel cum aqua in qua per noctem lignum nephriticum infusum sit propinetur.

In emaciatis lactis asinini usum præ cæteris commendatum reperies penès Hippocratem. Et re vera ad renum mundificationem, & ad intemperiem, & calorem eorundem tollendum (succo nutritio nervorum albugineo dulci ac nutritioni apto præparato) vix in arte par auxilium reperietur.

Avellanarum assiduo usu quidam calculosus omninò liberatus fuit, penès Amatum Lusitanum. Verum parce singula vice his vtendum erit, sunt enim crassi nutrimenti, & difficilis coctionis. Ut suo loco in lib. de conf. val. exaravimus.

Quoniam in transitu calculi potissimum angulosi ureter contrahitur, atque præ dolore crispatur. Ideò diuretica exhibenda sunt, quæ simul anodyna dolori, & antispasmodica contractioni renitantur, atque convulsivos illos motus placare possint. Ut oleum corilli, seu avellanarum, & nucleorum persicorum. Vel gummi cerasiorum.

Oleum etiam succini (balsamum Europeum dictum) cum spiritu salis inunctum exteriùs in regione renum, tum per os exhibitum, nervosarum partium dolores mitigat, atque à renibus calculos deturbat.

Spiritus vero salis diureticus litontripticus est, mucilaginem potentèr dissolvens, dolores mitigat cum spiritu, vel oleo terebenthinæ, vel quocumque modo adhibitus.

Cancrorum etiam oculi facultatem habent per vrinam pellendi, arenulas, calculum deturbant. Nullumque in homine tartarum adhærere sinunt.

Spiritus tartari pro eccellente litontriptico à Paracelso deprædicatur. Imò à legitimis tartari præparationibus tartareorum morborum sanationes sperari posse declamat.

Adversus verò vexicæ calculum varias nugas, ludique Paracelsi garitus inter medicos audias mirifica promittentes. Fides sit apud espertos lapidum alborum fluuialium præparationem. Vel lapidis ab humana vexica extracti. Nos enim potius in optima lapidum cancrorum pręparatione spem, & operam impenderemus. Prout velamentis suis Paracelsus, in tractatu de serpentibus innuere nobis videtur.

Ex ligno paritèr nephritico, cristallo, sale marino, succino, borace, sabina, myrrha, danci, & crismi seminibus, cantaridibus cicadis, scorpionibus varia præparatione validissima à viro prudenti auxilia haberi poterunt. Sed potissimum incineratione, & salificatione, vel tinctura.

Aqua destillata ex globulis cynosbati, sole in signo cancri degente, arenulas à renibus & lapides non tantum deturbare, sed calculos ipsos in vexica difringere potuit.

Ut verò validior fiat, post destillatam aquam, cum sale sui capitis mortui conjungatur.

Fructus halicacabi, radices ononidis, cæpæ, radices eringii, saxifragiæ valida suppeditare possunt auxilia aquis, extractis, infusionibusque suis.

Sal vrinæ volatile in spiritu vini, vel vino albo aromatico. Vel spiritus salis dulcificatus in ononidis decocto. Vel nitrum ab antimoniali præparatione residuum. In calculis frangendis, imminuendis, vel à suo loco de-

turbandis nullis auxiliis palmam cedere jactant.

Pulvis leporis combusti magni nominis venatoris secretum fuit, quo amicos præservare gaudebat, patruoque meo dono dedit. Ipse verò fido experimento observavi quod asellorum combustorum cinis, validissimè acidam mucaginem calculi nutricem, & quandoque genitricem difringere, dissolvere & evacuare solet; lapidem ipsum tophaceum in vexica vel dimovet, vel frangit, si potissimum etiam per externa auxilia ejus vis convalidetur ex. gr. si pubes & perineum oleo scorpionum illiniatur, lumbricorum, cum sapone, sale nitri & cantaridum pulvere in modica quantitate.

Diuretica in acessione, atque præsentibus doloribus, contractionibus, atque inflammatione periculo plena sunt, ne copiosior materia ad locum affectum ducatur, majorque in loco angustiato, & contracto infarctus subsequatur. Cujus causa ægros hujusmodi fræquentèr obijsse observavi.

Quamobrem tutius est uretes humectando ampliores reddere ut superiùs ostendimus &c. Valet itaque succus citri, gummi cerasiorum modicè sed frequentèr adhibitum.

Lapis humanus pulverizatus cum ana nitri rafinati, & tartari albi detonatus, super porphiritem in cæla ad liquescendum positus, pro legitimo duelech Paracelsi ab aliquibus deprædicatum audivi. Qui ad lapides omnes internos conterendos Herculeam clavam gestare creditur si singulo die in jusculo anonide alterato propinetur ad guttas aliquot.

Pulvis millepedum (seu ascellorum illorum qui cællarum vinariarum petris semper inhærent) lotorum, exiccatorum ad drach. ʒ. in vino albo dulci, cum urina copiosa suburram omnem, & lapidem omnem quandoque pellere potuit.

Pro viis laxandis sine intermissione gummi cerasiorum uti permissum erit, nam absque irritationis, ac inflammationis periculo blandè operatur semper.

Si quandoque magno impellente opus sit ad mercurium dulcem diureticis, vel dejectoriis admixtum (prout opus esse videatur) accedes. Tenuitatis etenim suæ ratione, undique sibi vias parat, & eximium seri nutritii incrassati depurgatorium est, glandularum vias reserans.

De stomachi validitate (ut innuimus) semper sollicitus eris. Ideò in frigidis condictionibus potissimum Chiocolata utantur.

Tincturam calcis vivæ penès multos magni fieri reperio, & re vera in acidis coagulis efficax est ultra quam credi possit. Sed non minus efficacem esse reperio longo tempore adhibitam antimonii tincturam. Vel oleum terebenthinæ ad scrup. j. adhibitum. Imò ipsa terebentina cum luteo ovi dissoluta, leniendo, ac vias dilatando simul calculos, & arenulas pellit.

Si autem majori pulsione opus sit, ad vnc. iij. olei amygdalarum dulcium, addatur guttulæ spiritus terebenthinæ, & drach. j. pulveris exiccatorum millepedum.

Dysu-

Dysuriæ Stranguriæ Iſcuriæ cauſæ, & auxilia.

GRadu tantum diferre ſecundum magis, & minus Jſchuriam (integram urinæ ſuppreſſionem) adyſuria (videlicet ab vrinæ difficultate) penès medicinæ proceres ſtatutum eſt.

Aliqua tantum variatio intercedit in cauſarum aſſignatione. Supprimitur enim quando vrina quoniam ad vexicam deſcendere poſſe prohibetur.

Supprimitur adhùc ab impetuoſo ſpirituum animalium influxu, ſphinčterem vexicæ ſpaſmodicè afficientium, à quo comprimitur, muſculuſque contrahitur cum fibris ſuis, dum materia acris, irritans illum ad contractionem cogit, & vrinæ egreſſum prohibet.

Quandoque talis affectus ob nimiam vexicæ repletionem contingit, ut in phreneticis atque vehementèr delirantibus quandoque obſervavimus.

Supprimitur tandem urina præobſtructione, vel compreſſione meatus vrinarii, ob tumores circumiacentes, vel à calculo, mucilagine, vermibus, caruncula adnata; & ſimilibus.

Stranguria, (quæ etiam urinæ ardor dicitur) in qua urina guſtatim affluit, ſenibus familiaris eſt. Ideoque magnum indicium eſt, ab imbecillitate, ac laxitate renum fieri & vexicæ propter quam alabentia nutrimenta rectè conficere nequeant, ſed corrumpant, & per ſtagnationem acriora, mordacia, irritantia fiant vrinæ vaſis.

Probabile eſt etiam, non renum ſolumodo vitio; ſed etiam totius fieri poſſe, dum ſilicet in vaſis ſanguifluis acidum vitioſum reddundans ad locum renum depurgatorium delatum, ſuorum ſalium copioſiorum anguloſitate, ſenſitivis uretræ ac vexicæ fibrillis moleſtum, irritans, doloroſum fiat.

Quandoque etiam à peculiari cauſa provenire poſſe fatemur. Cum enim fellis officium ſit chyli acidum in tertiam naturam (videlicet ſalſam) mutare. Si tantillum immutatum relinquatur, ſtranguria citiſſimè excitare valet. Hoc claro exemplo per vina raſpata, penès languidos ſtomachos Italorum fieri obſervamus. Tum in cerviſiæ novellæ potatoribus Germanis quandoque prę feſtinatione brachas humectantibus.

Fit univerſalitèr ab vrinæ acrimonia excoriante, & ab irritato ſphinctere. Fit à ſemine acri corrupto in gonorrhea. Fit à ſale acido corroſivo, membranas ductus vrinarii vellicante, à cibis, vel à medicamentis proveniente, ut à cantaridibus &c.

Diabetis, & mictus involuntarii cauſæ, & auxilia.

PRæternaturalis vrinæ dejiectio, vel ratione ſubſtantiæ alienæ ab vrina, vel ratione quantitatis nimiæ, aſſumptis potulentis non correſpondentis diabetis nomine inſignitur.

Hæc affectio à mala renum diatheſi quandoque ortum ducit, dum à cauſis internis, vel externis innatus eorum vigor debilitatus eſt, quamobrem alabentia nutrimenta in propriam ſubſtantiam commutare nequeunt, eorumque fermentum corrumpitur.

Quandoque fieri conſuevit à ſanguinis compage nimis laxa, atque diſſolvi prona, & à ſale acri ſolvente, ſan-

sanguinem à sero lympha, & aliis contentis liquoribus separante, ac precipitante.

Ideò experientia ostendit quod si vinum acidulum assumatur, copiosa urina profunditur sic per succum limonum, spiritum salis, vel vitrioli.

Fermentum paritèr renum nimis acidum, viarumque laxitas, & patuli pori, multum ad hunc affectum contribuere possunt; & potissimum in diabete legitima, in qua potulenta excernuntur prorsus immutata in odore, colore, sapore.

Spuria autem diabetes, in qua justò copiosior urina profunditur, fieri consuevit ab erroribus in cibo, vel potu. Ut evenit aquæ diureticæ potione, vel alimentis serosioribus, vel habitu corporis constipato, vel humoribus in toto corpore imò carnibus, & aliis colliquatis. In quo affectu pedum ædematosus tumor apparere solet. Atque dum corpus contabescit, sitis clamosa vexat.

Urinæ autem incontinentia, seu vrinæ involuntaria dejectio, à sero nimis acri, salso fibrillas sphincteris, & musculi vexicæ stimulante, atque ad excretionem impellente fieri consuevit, sed potissimum ab acore concepto provenit.

Quandoque tamen à narcosi quadam inducta in eodem sphinctere, & vexicæ musculo oritur, cujus causa obstupescens sensitiva facultas ad dejiciendum non insurgit. Sed eadem fermè ratione dum vexicæ musculus paralysi afficitur, vrinam spontè prodire permittit.

Frequentior tamen est quædam vexicæ & musculi ejus stupiditas, quæ ingredientem vrinam non sentit, ut ipsam retinere possit, moveatur suo tempore, vel in motu tonico persistere sciat.

Auxilia ischuriæ stranguriæ &c.

PRo Stranguria, dysuria lapides cancrorum, corallia, pulveres testaceorum, vel testarum ovorum ad drach. j. in vino albo, vel aqua ononidis auxilia efficacia esse consuevere. Salia enim acida in massa sanguinis, & undique in sero aliisque liquoribus vagentes, à crustaceorum pulveribus excipiuntur, & invaginantur.

Clyster ex solo lacte, vel ex solo oleo amygdalarum, vel ex emollientibus paratum, accommodatum erit.

Decoctum sabinæ potentèr vrinam pellere potest. In vrinæ verò suppressione, potus quantum fieri potest vitentur, ne vrinæ copia molestare possit. Atque cum modico potulento tinctura ex millepedibus, cicadis, apibus, cantaridibus in spiritu vini acuato spiritu salis propinetur ad scrup. j. Vel lapides cancrorum, cum sale prunellæ ad drach. 5. excipiantur in terebentina Veneta, ac in bolis exhibeantur.

Spiritus etiam terebenthinæ & salis, qui steterint supra pulveres millepedum infusorum validissimi in eodem affectu sunt.

Emulsio nucleorum persicorum in aqua, vel decocto anonydis facto magnifacienda est.

Exteriora interim auxilia subnenectenda erunt de quorum numero præcipua sunt cataplasmata, ex cæpis cum parietaria decoctis, & oleo ac pulvere scorpionum, & millepedum.

Aliquibus fotus cæparum in vino albo coctarum magis arridet. Cæparum vero succum cum vino albo dulci

pro-

propinatum, & guttulis spiritus salis vrinę suppressiones, ac viarum omnium impedimenta tollere potest.

Os aqua fontis frigida colluatur; nam experientia docemur, quod quotiescumque aquam frigidam in ore detinemus, si vrina in vexica adsit; ad mingendum irritamur. Eadem ratione si pavimentum aqua inspersum nudis pedibus calcetur, citissimè vrina excernetur.

Pro stranguria verò ac vrinæ ardore ob massam sanguineam acidis salibus prægnantem facto, lac asini copiosum, & diù adhibitum valere potest. Juscula vervecis, ac intestinorum vituli his inservire optimè possunt. Ova sorbilia cum gummi cerasiorum. Emulsiones ex amygdalis, pineis, cum seminibus papaveris.

Neque his inferior decoctio florum papaveris cum conserva florum malvarum adjudicanda est. Orisæ fercula, cum gelatinis suo loco descriptis ommittenda non erunt. Unoque verbo ea omnia quæ salis acrimoniam obtundere possunt in usu ponenda erunt.

A proprietate quadam succum cancrorum valere creditum est. Vel oculos cancrorum in vino albo, qui acida infestantia (potissimum splenis) imbibere solent.

Notat enim Elmontius quod vitia splenis stranguriam in senibus caussant, potissimum si languente stomachi vigore, nativæ rerum aciditates in assumptis pertinaces perseverent. Temperata idcircò, & absorbentia his opponuntur.

Valent præterea adminiculantia multa, ut passulę cum cibis, vel caricę. Succus liquiritiæ densatus deglutitus. Tragacanthum cum vino dulci, vel gummi arabicum, aut amylum, quæ attemperantium nomine in proprio capite in apendice prima descripsimus.

Præterea varia præparatione accomodari poterunt pro dysuria, portulaca in cibis Emulsiones ex 4. sem. frig. in decocto diuretico, vel in aqua plantaginis, additione albuminis ovi. Valet serum lactis in copia haustum Nimpheæ flores. Aqua rosarum cum albumine ovi quaslata, admixta conserva rosarum antiqua, vel violarum.

Amatus Lusitanus vnc. j. conservæ malvarum, cum decocto malvarum, manè, & vesperè sumpto, mulierem sanavit. Succus limonum in ferculis.

Oleum seminum melonum cucumeris, cucurbitæ, & papaveris albi ardores vrinæ à causa calida tollit.

Semen vero dauci in vino albo infusum pro dysuria fortius est omni medicina. Prout vinum anonydis, vel alkekengi infusione paratum pro stranguria.

Pro qua etiam valent crocus cum opio & opiatis, & cum canphuræ granis, & nucleis pineis pasta Succus malorum punicorum. Asparagi levitèr cocti. Cępę in obsoniis, vel earum succus. Radices apii, petroselini, fęniculi, raphani.

Absente febri in stranguria lac (potissimum asinæ) consulimus, nam detergit, dolorem omnem demulcet, humorum omnium acrimoniam attemperat.

Sed quod magis est seri albuginei nervosi generis nutritii, Vitia uniuersa felicitèr emendat. Ut exinde imbecillæ partes feliciùs nutriri possint.

Sim-

Simplici malvæ decocto, cum syrupo violarum seipsum *Forestus observat. 4. lib. 25. à gravissima dysuria liberatum narrat, & alios paritèr liberasse.* Senem verò lacte bubulo, in quo flores camomelli decoxerat sanavit. Pro potu ordinario optimum consilium erit uti malvarum decocto, cum syrupo violarum, vel liquiritiæ, vel violis, & liquiritia decoctis. Jus cicerum, decoctum camomelli. Oleum amygdalarum amararum epotum cum pulvere cicadarum, vel millepedum. Sal vrinæ in decocto aperitivo, vel aqua ononidis valida auxilia sunt.

Pro certo reputatur à neotericis non esse par auxilium pro mitigandis vrinæ ardoribus senum (etiam præsente calculo in vexica) quam spiritus salis marini, qui etiam mucilagines dissolvendo, urinam felicitèr pellit.

In tenebinthina lota alii confidunt. Non pauci in ejus spiritu. Multi in fructibus alkakengi aut in opiatis. Nos potius in lacte cum oculis cancri, vel sale saturni, aut syrupo de corallis, aut horum tinctura.

Auxilia diabetis ac vrinæ involuntariæ.

PEr sola anodyna curari posse diabetem neotericorum multi judicant, ut est oleum papaveris, vel seminum jusquiami epotum, nec non regioni renum inunctum.

Narcotica etenim renum fervorem attemperare, profluvium coercere somno procurato commodè valent.

Ideoque *Zacutus Lusitanus libr. 2. praxis hist. observ.* 80. duos diabeticos curavit exhibito lacte asini calibeato unius mensis spacio, & philonio persico ex intervallis. Hæc enim medicamenta viscerum, & renum ardorem compescunt, humoris salsi, tenuis, biliosi acrimoniam retundunt. Somnum conciliant, & vrinam retinent.

Omnia paritèr lenitèr adstringentia martialia, ut tinctura calibis in leni menstruo præparata. Opiata, papaverina, decoctiones florum papaveris erratici cum sale martis, & consimilia.

Sic corallorum præparationes, boli, pulveres testaceorum terræ variæ cum conserva rosarum antiqua.

Laminæ ex plumbo super renes non displicent, potissimum ex oleo plumbi, vel sale plumbi, & oleo ranarum, vel ex semnibus papaveris expresso. Et hæc in causa calida.

Nam in causa frigida, torpore ac paralysi, cujus gratia vrina involuntariè profluit, tunc contraria ratione agendum, tum externis applicitis castorinis, tum aliis pro paralysi accommodatis interiùs adhibitis.

Aqua etiam calcis vivæ bis in die ad vnc. v. epota, aliquos sanatos fuisse narrat inter neotericos Canalis.

In diabete vero fervidis condictionibus præsentibus incrassantia erunt usurpanda Oriza, amylum, gelatinæ extremitatum animalium. Tum quæ mucilaginosa esse judicantur, gummata, & resinosa. Accipias itaque gummi arabici, tragacanthi, saccari penidiorum ana, & fac pulverem, de quo capiat drach. bis in die.

Utantur etiam solo lacte, modo crudo, modo aqua hordei commixto. Modo coquatur cum mica panis, vel hordeo, vel orixa. Ut his median-

diantibus lentor quidam succis concilietur.

Ideò si in lacte bubulo igniti silices extincti fuerint, auxilium certiùs expectabis, serosiori ejus portione hac arte absumpta.

Pro siti verò intensa placanda spiritus nitri, vel salis cum potulentis, aut sal ipsum prunellæ sufficiet. Nam, præterquam quod sitim moderatur, validè, & vexicam refrigerando repurgat.

Venenorum in genere causæ, & auxilia.

PRoprietas veneni est extinctionem insiti vitalis luminis seu caloris nativi in parte, vel in toto, inde individui destructionem moliri. Atque exigua molle existens, (sed magnarum virium) fermentativa sua virtute, in sui obsequium, & naturam vertere laborat universa quæ sibi offeruntur. (Universa etenim venena vim fermentativam sortiuntur) Ita ut venenorum instrumentum præcipuum, fermentum sit.

Hæc tamen de venenis intelligi debent, quæ sua energia formæ, ac accidentium transmutationem moliuntur. Et non de meris corosivis, quæ calorem innatum, ac spiritum partium incolam (nomine Archi appellatum) in furorem concitant, & in anomalias adigunt; propter quas subiecta sibi instrumenta concutiunt operationes confundunt, & hospitium proprium devastant.

Difficile tamen est innumerabilium venenorum naturam, & operandi modum, ad genericam agendi orationem deducere. Sunt etenim venena, quæ nil operantur, nisi additum per dilaceratas fenestras (furium adinstar) in aperta cute adinveniant.

Cujus generis bestiarum venena plurima sunt, ut oculatissimus D. Franc. Redi in examine viperarum optimè notat, introducens viperarum venatorem Serenissimi Ducis Etruriæ, qui non semel, sed pluribus vicibus viperarum capita cum dentibus, tum fel cum hepate innoxiè coram omnibus devorabat.

Sunt venena, quæ semel assumpta, toto vitæ cursu dementant. Dum enim glandulas cerebri, vel seri nutritii nervosi depuratorias officinas malè afficiunt, atque illarum innatum calorem ac spiritum, languendo veneno contaminant, in impressi venenati fermenti sortem liquores advenientes degenerare coguntur.

In singulis brutis specificum virus numeratur, quod ineffabili quadam energia viva perseverante bestia manifestatur, eadem verò mortua occultatur. Quare penès Italos in adagium venit (morta la bestia, morto il veleno) Hoc in scorpionibus manifestissimum est.

Annoque proximè elapso à scorpione ictus, eundem conquasitum ac occisum, cum vulneri dolenti imposuissem intra horæ quadrantem omnia conquievisse persensi. Et quod mirum est, idem in spinis & plantis veneficicis vivis perseverantibus evenire relatum est. Iisdem vero eradicatis, & applicitis sanationes contingere.

De quibus procul dubio sensatas reddere rationes non ita in promptu est. Sicuti, neque ostendere rem adeò certam ac frequentem, quod silicet coram occisore occisus à vulneribus sanguinem profundat. Atque submersus (etiam plurium dierum) coram suos cognatos, & proximos

consanguineos sanguinem ab ore ve naribus fundere observatur, ut nobis ipsis evenisse fatemur.

Assumpta verò, quę humano generi veneni rationem subeunt, ut verè venena dici possint, impermutata, invictaque nullam coctionem admittere debent, parumque ab innato calore, & viscerum fermentis alterantur. Sed sui actione indomitorum militum adinstar legem universis membris, ac fermentis ponere volunt.

Prius tamen majori vel minori commissa pugna, atque agone inter fibrillas sensitivas, & veneni virus, quæ per miras symptomatum varietates in singulis venenis tragicè explicantur.

Rationabile itaque est, credere quod energiæ atque potestates veneficæ luminales sint, & operativæ radiis suæ lucis formalis mediantibus. Eadem penitùs ratione, qua luminales sunt etiam illæ medicamentorum quæ salubres sunt. Ita ut spiritali lumine à formis suis immediatè profluant. Sunt enim dona speciei, à die prima creationis à gratiarum dispensatore patreque luminum elargita; magna providentia, in summam sui gloriam directa.

Irradiant ergo suis luminibus, sed vitali nostro lumini, tum radiis animalium spirituum nostrorum adversantur, adeò ut eosdem concutere, ac debellere valeant, propterea in tali agone, in quo vitale, & animale lumen alienatur, dirimitur, ac destruitur varia insurgere symptomata observantur.

Interim veneni contagio integro, ac invicto permanente, transmutatur innatum partium formale lumen vitale, atque anomalias undique in actionibus contingere necesse est.

Auxilia adversus venena, quæ generice ternario numero complecti posse reputamus.

Auxilia enim sub corrosivorum classe militant. Alia sub narcoticorum, seu potiùs sanguinem, & liquorem albugineum nervorum nutricium coagulantium vexillo veniunt. Alia tandem quæ alicujus partis temperamentum, organa, & liquores dissolvendo, illius facultates alienare, ac immutare possunt. Primi generis sunt arsenicalia universa. Secundi sunt pestillenta contagia aliaque horrenda in minima mole coagula. Tertia sunt quæ dementantia dicuntur, ut tarantulæ morsus, canis rabidi, cerebri felis, & innumeri Hippomanes pessimarum fœminarum. Vel quę ventriculi facultatem & fermentum pessundant, aut aliorum viscerum, quæ oblivioni potius mandare pium est, quam indigitare, atque impiorum pessimam voluntatem proritare his titulis imprudenter.

Universalitèr pro venenatis omnibus electissimus victus esse debet atque euchimus, & potissimum gallinaceorum pullorum caro usurpetur, tum eorum animalium quæ innoxiè bufonibus, araneis, ac serpentibus vescuntur, cujus generis præter pullos gallinaceos sunt ciconiæ, cervi &c.

Ideòque apud aliquos ciconiæ solo sanguine venenatarum bestiarum venena tolli posse narratum est. Apud alios osse de corde cervi, vel cornu cervino, aut sanguine ejusdem parata auxilia efficacissima reperies.

Vinum interdicendum non est, imò Bac-

Baccum ab India redeuntem vitis palmite viperam mordentem interfeciſſe miſtici narrant. Vim miram adverſus venena vini indigitantes.

Somnus verò, quantum fieri poteſt, prorogetur, atque admittatur ſolumodo poſt præmiſſa valida auxilia, cum res in meliùs incipere videatur.

Alimenta ſemper exhibeantur, quæ præter nutrimentum, etiam peculiarem poteſtatem habeant adverſus venena illa (ſi fieri poſſit) adverſus buffonum virus, ranæ comeſtæ &c.

Si vero agatur de calidis, eſcaroticis venenis, ut cantharides, & arſenicalia, Lac, butyrum, jura pinguia, oleum amygdalarum, decoctum inteſtinorum, capitis, ac extremorum animalium quadrupedum.

Uno verbo ea in uſu ponantur, quæ vnctuoſitate ſua vias oppillando, tranſitum venenis intercludere valent, ſuoque vnguine ſcindentes gladiolos veneficos invaginare. Suoque molli ſinu amplectentes eorum mordacitatem obtundere poſſunt. Ideòque fercula ex animalium cerebro accommodata, tum ex eorum medulis, vel extremitatibus parata pro inutilia non erunt, & potiſſimum ex his concinnatæ gelatinæ.

Cum cibis etiam admixta acetoſa, pimpinella, ſalvia, roſmarinum, portulaca, pulegium, menta, laurus, ſerpillum, majorana, atque aromaticæ capitales ſtomachicæ plantæ proficuæ erunt. Imò aromata omnia, ac aromatica, quæ in cenſu cordialium veniunt.

Jaceant in cubili aere perflato, ac luminoſo, tum ſuffumigiis blandis flagrante, ad ſpirituum omnium refſocillationem. Quare ex ligno aloe potiſſimum, cinamomo, citro, vel aurantio perforato in aqua florum aurantiorum ebullientem vaporoſam ſuffumigationem inſtitues. Vel ſaltem ex ſolis baccis juniperinis, aut ex pulvere gagates, myrrhæ, ſtiracis.

Omni ſtudio, & arte citiſſima venenorum aſſumptorum evacuatio procuranda eſt. Ideoque ſuper omnia utiliſſimus eſt vomitus illicò procuratus, ſaltem penna, vel digito.

Si autem ab ictu ferarum venenatarum veniat, podex deplumatus duorum, vel trium pullorum gallinaceorum applicetur, atque poſt ſingulorum mortem, miraberis eximium, ac præſentaneum remedium. Quod virus ipſum peſtilentiale carbunculorum in peſte abſumere mirabilitèr valet, ſi podex pulli recentis applicetur donec ultimus pullus applicitus non moriatur. Quandoque enim ad decem & ultra vnus poſt alium moriuntur.

Dum verò hæc aguntur ſomnus arcendus, qui venenum retinere, concentrare, atque ad cor ducere valet. At vigilia è contra excretiones omnes vndique molitur.

Univerſalitèr pro venenis per diaphoreſim pellendis validiſſimum auxilium eſt apertus, atque exenteratus mulus, vel etiam equus, ita ut in ejus ventre patiens recipi poſſit, atque optimè contectus ſudet, & niſi vnicum animal ſufficere videatur, duo, tria, vel plura in eodem miniſterio adhibeantur. Hoc præclaro artificio perſanatus fuit Dux Valentinus Borgia filius Alexandri ſexti, qui dum curaret in cœna venenum quibuſdam Cardinalibus propinare, imprudentèr ſe ipſum, & patrem veneno infecit.

Pro venenis vegetabilibus inter antidota ſimplicia magnarum virium eſt

vinum vetustum aromaticum, copiosè epotum. Cinamomum, & aromata omnia. Baccæ juniperi. Citria. Limonia. Aurantia. Nuces. Nociolæ. Mespila. Pistachia. Hipericon. Succinum. Cornu cervi. Spiritus vini in quo potissimum infusa sit theriaca, vel radices aromaticæ contrahiervæ, angelicæ, zedoariæ, carlinæ, vincetoxici, baccæ juniperi, cum camphuræ granulis.

Valet paritèr vinum dulce, lac acetosum. Succus malorum punicorum, & eorum vinum. Tum succus pomorum, vel cydoniorum. Saccarum rosaceum antiquum, cum terris sigillatis, crustaceis, & absorbentibus pulveribus corallorum, cornu cervini. Valent pruna, & fructus omnes ferè acidiusculi, onfacium, rhibes &c.

Opiatorum vis pro universis venenis debellandis par non habet auxilium, si discretum medicum nanciscatur, qui opiatum auxilium veneni naturæ, & ægri, accommodare sciat. Sic theriaca genericum auxilium est, quod aliquando recens assumi debet, & illicò à principio, aliquando mediæ ætatis in mediis temporibus, aliquando vetustissimum, in frigidis, narcosim inducentibus venenis.

Lac humanum genericum auxilium est ad omnia venena. Non est etenim in natura magis amicabile pabulum periclitantibus facultatibus, ac imbecillimis, quod possit nutritio fotu supetias adducere.

Lac verò bubulum pro corrosivis domandis validius est, prout & butyrum. Valent & emulsiones potissimum amygdalarum, pineorum, & consimilium. Tum oleum ex amygdalis, vel ex variis seminibus pro opportunitate expressum. Pinei. Pistacchia, semina peponum in morsellis, pasta regia concinata. Vitella ovorum cum jure pingui, lactis humani viribus proxima sunt.

Ranæ commestæ, vel earum expressum jus, in multis casibus lactis humani vires excellunt, ut in veneno bufonum.

Malvarum mucilaginosum jus, & fercula parata in septicis venenis spernenda non sunt Cortex aurantiorum condita insidiantibus stomacho venenis obviam ire potest.

Theriaca cum succo citri æstate, vel dissoluta in vino malvatico hyeme, jejuno stomacho per tres dies genericum adversus venena omnia auxilium esse consuevit.

Cancrorum usus adversus causticá pharmaca, & sceptica vegetabilia venena nullis auxiliis palmam cedere observatur.

Pro ictibus venenatarum ferarum benè curandis ante cætera curandum erit, ut illa fera occidatur, atque ejus aliquod membrum læse parti admoveatur (sed potissimum corium) sic enim vi quadam sympatica ad se virus emissum advocare, ac retrahere credidit antiquitas. Verùm rationabilius est humani Archei, seu sensitivorum spirituum impetu facto, ad odiosum illud corium, noxia simul venena ad eundem locum propelli.

Pulsionem enim, ac fibrillarum sensitivarum vndulationem in corporibus animatis invenimus. Tractionis verò vncos adhùc nobis videndos desideramus.

Cordi epithemata ex theriaca spernenda non sunt, tum stomacho cum electuariis præciosioribus succo citri, vino malvatico dissolutis, cum pulveribus stomachicis, aromaticis, copioso croco, & modica

dica canphura admixta.

Frigidis cibis alantur, & acetosis (demorsi potissimum à cane rabido) tum acetariis, & Coctis lactucis, cum oleo copioso, & aceto. Istis balneationes in frigida calidis temporibus proderunt. Integris etiam diebus 40. suspectis in mensa semper modicum de lucio pisce assumant. Magnam enim vim habere adversus canum morsum à neotericis expertum est, non minus ac pulvis cancrorum fluvialium cum radice gentianæ penès Galenum, cujus drach. j. manè jejuno ventre summatur.

Circulatores adversus venena per os sumpta se muniunt caricis, ruta, & nucibus antea esitatis. Vel copioso citro condito. Vel theriaca. Alii lactucis copiosis cum oleo esitatis. Aut hyeme animalium visceribus cum multa pinguedine sumptis, aut lasaneis cum multo butyro. Postmodum assumunt venenum. Deindè paulò pòst clàm domi vomitum procurant. Post vomitum lac copiosum summunt, factaque morula illud evomunt. Et hoc repetunt pluribus vibus donec reliquias omnes excretas fuisse sperant.

Zacut. Lusitan. hist. 36. lib. I. *tanti fecit lapidis bezordtci vires, ut unicum esse dixerit melancolici humoris dominatorem, ac venenorum omnium generale antidotum, simplicibus omnibus potentior. Imò theriaca ipsa.* Et re vera sudorifica auxilia hujusmodi pro venenis secundi & tertii generis unica fortasis sunt. Sicuti pro primo genere, seu pro corosivis assumptis illicò copiosum oleum olivarum vel amygdalarum, præmisso bolo ex theriaca recenti, omnia paccare solet.

Universale adhùc ad omnia venena extemporaneum vbique locorum auxilium validissimum est, vrina propria, etiam pluribus vicibus epota, quę excretionum vias omnes vndique patefacere solet.

Pro venenis secundi generis, seu narcoticis (liquores coagulantibus sanguinisque circulationem sistentibus) salia volatilia potissimum viperarum, cornu cervi, succini, & consimilia, cæteris omnibus præstare penès omnes neotericos in confesso est.

Per sudoriferorum etiam ministerium medicus procurare debet, ut poris omnibus in cute patefactis virus omne eliminetur.

Peculiaria auxilia adversus venena vegetabilium, mineralium, atque venenatarum ferarum, alibi. Deo dante ampliori spacio exarabimus. Nimis enim angusta nostra mensa est, in qua tantumodò domesticorum auxiliorum apparatus, & facilè parabilium grandia nauseantibus apponitur.

Luis Venereæ causæ, & auxilia.

POst venena, ad luis Venereæ examen descendimus. Quam *Fernelius lib. 6. pathol. C.* 20. *miserabile scortatorum flagellum jure merito nuncupatus est*, Deleterius, pestilentialis affectus, Herculeus insuperabilis: Portentosa renascentium capitum hydra. Ignotum virus, quod medicorum omnium anteactorum ignorantiam manifestavit, qui singulos affectus à singulari causa produci debere putarunt.

Nam vnicum virus existens, vnamque habens sanationis viam, omnis generis morbos fœcundissimus pater

pro-

procreat (nullis exceptis) & febrium, & intemperierum, & solutæ vnitatis & malæ conformationis.

Ad coercenda hujus incontinentissimi sæculi delicta mortalibus à Deo optimo maximo immissum flagellum, ut *Manardus in sua epist.* 3. insinuat. In belvinam cupidatem flagrantibus. monstrum horrendum ingens mortalibus immissum, quod solum, tot de libro viventium in terra delevit intra duo sæcula quot universæ anteactis temporibus pestes ab orbe condito.

Quia verò immediatè generationis partibus insidiatur, easque infœcunda nisi summa æterni conditoris misericordia auxiliis incertis quandoque interfuisset, humana generatio jam nulla superstes fuisset.

Luis itaque Venereæ venenum in aciditate volatili potissimum consistit. Ejusque fermentum in viscido cum acrimonia volatili coniuncto fundatur.

Talis verò acrimonia volatilis communicatur sanguini, & sero nutritio nervorum, dum per partes genitales lege circulationis transeunt, hac enim via hoc peregrino fermento, ac veneno totus sanguis inquinari potest.

Prout à tenuissimo viperæ ictu, seu à liquore dentali vexiculæ in minima portione, totus sanguis infici solet. Penès verò majorem hanc, vel minorem infectionem, gradus majores, vel minores luis observantur.

Primi enim & minores luis gradus sunt, quando liquores tantum generationis partibus proximi contaminantur, vnde ex capsulis seminalibus vexiculis, & proximis tubulis malè affectis gonorrhea excitatur, vel proximarum glandularum fermentis, & vasculis contaminatis, fiunt bubones.

Aut viscidum fermentum in glande hærens, gallica vlcera suscitare potens est. Verùm si spirituali magis ratione, aut per negligentem moram diutius hæreat, & vires eundo circulari motu acquirat massam sanguinis, & præcipuum ejus florem contaminans (videlicet succum albugineum nervorum nutritium) est in causa gummatum, dolorum articularium, depravatæ nutritionis, & ærumnarum ferè omnium, quæ in scena hujus tragici affectus prodire in dies observantur.

Inter quas potissimum sterilitas solet esse, hinc est quod scortatores, & scorta rarò fœcunda esse observentur, & præsente contagio Celtico, ac Gonorrhea neminem fœcundum fuisse memini, nisi fortè post longam inveteratam & mitigatam luem, magna Dei miseratione familiarum, ut jam attigimus.

Fœcunditas etenim à sero, seu à liquore albugineo nervorum nutritio oritur, qui in cerebri glandulis elaboratus, à vasis seminalibus pampini formibus secernetur, ac spiritu seminali à testibus imbuitur. Illis verò malè affectis, vix fieri potest ut fœcunditatem nanciscatur.

Quare luis Cælticæ contagium, si à genitalibus partibus, ad sanguineam massam processerit, cerebrum ipsum adoritur, atque ejus glandulis conminatis, ac nervorum tubulis, ibi sedem suam præcipuam locare magno animalis incommodo solet.

Hinc est quod in his capillorum deffluvia intempestiva fieri observantur, Pustulæ fædæ in facie. Gummata cranio pertinaciùs herentia. Nocturna cephalgia, vel hemicrania perren-

rennis. Surditates nullis auxiliis cedentes. Oculorum inflammationes quæ ordinariis auxiliis exasperantur. Ulcera in capite sordida, circa vero nares, & tracheam difficilia, & maligna. Quare metropolim hujus affectus, & sedem præcipuam in capite jam locatam esse declaratur.

Cum itaque unicum virus, unica causa sit hujus horrendi affectus, symptomatum ingens varietas observari contingit. Quam in copiam, vel paucitatem materiei, in partis vigorem, aut debilitatem, & in alias accidentales causas refundimus. In quibus enim artus debiles sunt, fluxiones faciles fiunt ad artus. In quibus languida cutis, & laxa, pustulæ, vlcera aliaque fiunt exteriora mala, sese interioribus ac robustioribus partibus exonerantibus.

Vox verò populi vox Dei est, quæ gumatibus ortis morbum in suo vigore esse atque ad ossa pervenisse declamat. Signum est enim serum nervorum nutritium, ac spermaticarum, ossearumque partium nutrimentum, jam in cerebri glandulis præparantibus depravatum esse. Per acidam enim igneam spirituosam hujus veneni acrimoniam in varia coagula tartarea concrescere observatur, & potissimum in capite gummatibus excitatis, in articulis immanibus doloribus, & tophis ipsis, equè ac in renibus, & vbicumque contigerit.

Gummata ergo ab alimento osseæ partis alterato, corrupto, coagulato provenire solent. Atque indurantur ex tali sero albugineo viscoso, putrido, ex tubulis nerveis potissimum evasato, & coagulationem per moram, & calorem patiente.

Acidum enim in alimentali hoc succo depravato hospitari solet, quod indurationis est causa. Dum verò vasa ac fibrillæ nerveæ à viscido hoc liquore obruuntur, spiritibus ad hanc partem denegatur aditus, inde lympha, & sanguis minus fluxilis crassior magis, minusque temperatus fit. Serum incrassatur, suoque naturali motu privatur, & concrescit.

Sic ubi ad glandularum poros pervenerit depravatum serum, illos oppillat, ac distendit factaque stagnatione diuturniore, ac circulari motu denegato ad indurationes, tumores bubones transitum facere observatur.

Auxilia adversus Cælticam luem.

AER pro his eligibilior, temperatus est, vel ad caliditatem vergens, ut poris patulis existentibus, maligni, acres vapores promptius exhalare possint.

Si autem nec purus, nec serenus sit, alexipharmacis aromaticorum lignorum pulveribus, tum gummatibus alteretur, vt alibi parandi rationem docuimus.

Somnus moderatus sit, imò ad vigilias potiùs æger propendere debet, expedit enim ut macilentior quam crassior fiat. Ideò omnem molliciem lectulorum plumeorum, ac stratorum vitare debet, observans quod nautæ, atque durè tractantes corpora sua, agricolæ, & fossores, à se feliciùs per labores, & vigilias hujus mala semina morbi eradicant quæ in saginato deliciis corpore, altas radices agunt.

Vitetur itaque supinus decubitus, potissimum gonorrhea, vel partium genitalium morbis præsentibus, ne circa lumborum regionem vasa præ-

pa-

parantia incalescant, cum succis.

Expedit in universum dieta potiùs tenuis quam victus plenus, ob rationem allatam, quod extenuari, quam incrassari conducat. Tum perpetuò corpus ad sudorem disponendum, ita ut ægri macilenti fiant. In hac etenim dira contagione, materia acida serosa albuginea est universorum symptomatum causa; ideoque sudoribus evacuanda.

Adeòque sudorem magnifacimus, ut hoc solo universæ lues eliminari posse certum sit. *Et Zacutus Lusitan. lib.2. praxis hist.* quærit an lues Cæltica cum pestilens sit, citra antidota persanari possit. Et affirmativè respondet. Experientia etenim docuit quod aliquando solis vehementibus, ac laboriosis exercitiis, nautæ, & bajuli sese à lue ista felicitèr extricarunt. Horum enim auxilio humorum reliquiæ discutiuntur, internæ partes roborantur, membra feliciùs nutriuntur, exinde malas omnes qualitates deponere aggrediuntur.

Dum verò labores, & sudorum provocationem commendamus, nemo in Venereis luctis allaborans, & sudans speret morbi victoriam. Nihil enim magis mancipium hujus Herculei ac insuperabilis morbi redit, quam Venereus ludus, quem semper lusores suos illusisse vidimus.

In victus servata optima ratione magna fiducia reponenda est.

Porcina caro peculiari quadam ratione huic affectui infensissima est. Ita ut sopitam luem continuatus ejus usus quandoque excitasse non semel observaverimus. Sicuti æsus carnis hædinæ per 30. dies latentes energumenos detegit.

Quam minimum bibere expedit. Atque si fieri possit à vino abstineant, & secundo decocto ejus loco utantur. Vel vinum sit lentisco, visco quercino medicatum. A cibo verò grana tria mastichis assumant.

Medicatum verò vinum tunc potissimum commendamus quando morbus diuturnus est cum ventriculi imbecillitate. Innumera vero vina pro re nata parari possunt, quæ capite de potulentis ægrorum alibi indigitatum.

Sed de validioribus auxiliis qui benè sapit cogitare debet. Quibus viscerum, & humorum impuritates tollantur. Sanguinis, & liquoris albuginei nervosi discrasiæ acido-salinæ in melius reducantur.

Quamobrem post institutas purgationes, ad sanguinem rectificandum, & à peregrinis salibus liberandum decoctum singulo manè quatuor horis ante cibum ad libr. 5. circitèr propinandum erit per dies saltem viginti.

Venenum etenim Venereum acidum, seri nutritii, sanguinis, ac spermaticarum partium corruptiuum, per alexiteriorum alcalicorum decocta, corrigi, attemperari, deinde eliminari postulat.

Nostrum itaque usuale decoctum, innumeris vicibus felicitèr usurpatum, conflatur ex ligno sancto, salsa, visco quercino, & scordio cretico ana vnc. j. cum ex cineribus dictorum lignorum, scordei, & cardui benedicti combustorum vnc. j. ſ lapidis pumicis, stybii crasso modo contriti, & in petia ligati ana vnc. iij. Aquæ putealis lib. vij. bulliant ad consumptionem tertiæ partis. Tale decoctum manè propinetur ad vnc. vj. aromatizatum cum guttulis essentiæ citri vel cinamomi, & modico saccaro.

Tale

Tale igitur decoctum particulis suis alkalinis acidum corruptiuum corrigere valebit, eoque validiùs, si bis in die manè, & vesperi quatuor horis ante cibum ad vnc. vj. propinetur.

Ex iisdem postmodum simplicibus prima vice decoctis, dilutior potio in mensa vsualis, seù bochetum parari poterit, ut melius horum symplicium virtute tota sanguinis massa imprægnari sensim queat.

Hoc verò certa experientia mihi innotuit, quod nisi à vino penitùs abstineant (& ejus loco prædicto bocheto utantur per quindecim saltem, aut viginti dies) & nisi ab esu carnis porcinæ, & à victu incrassanti se contineant, ita vt aliqualitèr macilenti fiant, difficultèr admodum persanari poterunt. Sed per aliquot hebdomadas, & menses fortasis mitigata lue, minima data occasione sævior exurget. Si autem emaciari aliqualitèr non renuant, postquam ab usu medicamentorum cessarunt, citissimè pinguescent.

Dietam ergo extenuantem servare non recusent isti. Si autem stomachi vires reclament, vnicus vini Hyspanici haustulus in prandio, & cœna concedatur, quo non invenias par roborando stomacho auxilium pro istis.

Certa etiam clarissimorum experientia (& potissimum Rob. Boile) innotuit quod per repetitas mercurii dulcis exhibitiones lues Veneris felicissimè curatur. Dum enim suis corrosivis solventibus spoliatus est, inani alkali factus, peccantium liquorum acrimoniam in suo sinu assumere solet. Et dum à corpore exit, eosdem secum trahere gaudet.

Præter quam quod insigne pharmacum est, quod genericè cuicumque putredini resistit. Hoc etiam mercurialia auxilia peculiare habent, quod per nervorum tubulos glandulas depuratorias seri, & vascula lymphatica facilem penetrationem habent. Ideòque obstructiones in eis latentes aperiunt, & depurandis liquoribus aptiores glãdulas, & vascula reddunt. Hinc est quod mercurii præparationes ferè omnes validè, salivationem promovent.

Soleo itaque post tertium diem decocti antecedentis, bolos præscribere quatuor horis ante prandium sumendos ex mercurio dulci, stybio diaphoretico ana scrup.j. diagrid. sulph.gr.xv. cum canph. hyacinthina fiant boli. Quarto quoque die summendi. Et hac via bona fide testari possum cujuscumque generis ægros me persanasse absq; hypocausti miserabili carcere, & absque duris in victu legibus imperatis, suis negotiis incumbentes.

Hæc igitur auxilia vt certa, & validiora intrudimus. Qui debilioribus, sed decantatis auxiliis magis gaudet. Usum margaritarum, & concharum margariferarum, imò crustaceorum, & omnium imbibentium non omittat.

Viperarum decoctum, vel carnes in morsellis adhibitæ, vel saltem pulvis viperarum, aut sal earum volatile. Imò viperæ pinguedo butyri ad instar in obsoniis adhibita. Sunt auxilia pro mitiganda lue infallibilia.

Paucisque omnia perstringere possemus, silicet universa auxilia, quæ catarrhis tollendis nos accommodata esse diximus, hæc eadem adversus luem, & luis symptomata efficacissima sunt. Satis enim superque insinuavimus quod luis contagium præcipuum in sero albugineo nervorum nutritio, ac spermaticarum partium fundatur. Et per consequens qui cerebri glan-

dulas emundare, serum albugineum rectificare noverit, (eadem fermè arte ac in catarrhis) hic verè Cælticæ luis sanator medicus esse dicetur.

Pro gonorrhea Gallica innumera sunt quæ ab auctoribus proponuntur, & à practicis decantantur. Scipio mercurius tres uncias acidi citri cum vnciis duabus suæ aquæ, & vncia una saccari, tribus horis ante prandium, per sex dies. Verùm pro gonorrheæ quocumque ardore tollendo certa medicina est decoctum malvarum, & liquiritiæ ad vnc. vj. manè, & vesperi quatuor horis ante cibum, simul cum victu attemperante, & euchymo. Si vero simul oculis cancri, vel scrup. j. salis prunellæ usi fuerint certiùs res succedet.

Valent & universa imbibentia fixa; pulveres crustaceorum aliaque innumera; Sed his omnibus palmam præripere solet balsamum causticum meū dissolutum cum aqua plantaginis, & per syringam eburneam tenuissimam immissum per uretram, nec non exteriùs inuncto perineo, imò universo pene.

In ejus defectu aqua aluminosa Falopii ex mercurio dulci copioso parata, ultra quam credi potest efficacissima est; si potissimum per internum mercurii usum vires ejus augeantur.

Præsente dolorosa gonorrhea, corporis motus laboriosus omninò vitetur, & prolixiùs potiùs quiescant. Lumbi neque strictè ligentur neq; integumentis multis contegantur.

Vino utantur potiùs tenui rubro, subadstringenti decocto balaustiorum temperatum, vel seminibus nympheæ, & plantaginis alteratum.

Pedes animalium, cerebella, pisces optimæ notæ, pultes ex faro, milio, cum amylo, portulaca, lactuca, ova sorbillia, rhibes, cydonia, & ex his fercula conducunt.

In principio refrigerantibus, & demulcientibus utendum erit. Post quadragesimum diem, ne nimium laxatis vasibus seminalibus difficilior fiat sanatio, dentur emulsiones ex seminibus lactucæ in aqua plantaginis, præmissa conserva rosarum cum terra sigillata, vel pulvere corallorum, per decem dies.

Qui validiora exoptat ad albumina duo ovorum deglutita ascendat, in vnc. v. aquæ rosarum quassata, cum sale martis aperitivo in vini spiritu circulato scrup. ij. Quæ singulis diebus quinque tribus horis ante cibum præbeantur.

Pulvis turturis cum mastiche, olibano, succino in clybano exiccatæ cum conserva rosarum, & superbibitione emulsionis ex seminibus plantaginis urticæ, portulacæ validissimum auxilium est.

Adminiculantia remedia interim omitti non debent. Ut sunt carnes viperarum vel serpentum in obsoniis varia arte (ut ostendimus alibi) concinata. A quibus acidum summoperè attemperari, & serum albugineum nervorum corrigi posse sperabimus. Nam apertis in cute porositatibus viam exeuntibus venenatis excrementis sternunt.

Ideò quæcumque diaphoretica sunt (ut stybium diaphoreticum, mercurius diaphoreticus, & alia innumera) pro his affectibus summoperè commendamus, etiam absque tentato sudore, dum lues in re mobili, seu in humoribus, & vasis reposita, & cutis fit, corpusque transpirabile. Quando autem solidæ partes sunt affectæ, cutis durior, & habitus densus; ab his expurgari nequit, absque longo continuato, ac valido sudore.

Inter valida luis alexipharmaca, præter guaiacum china est, quæ summam auctoritatem accepit à Carolo V. qui ab antiquatis hujus lues doloribus liberatus fuit per eam. Fortius attamen proculdubio medicamentum salsam agnoscimus. Quę cum insipida sit in quocumque ferculorum genere facili negocio cum magno fructu apponi poterit, præter ex ea parata decocta electuarium.

Si postremò omnia incassum tentata fuisse videantur, ad mercurii inunctionem notissimam deveniendum erit, ut salivatione facta, glandularum potissimum capitis, & cerebri infarctus omnes removeantur, & serum albugineum nervorum ab inquinamentis exoticorum salium liberetur.

Pro illis verò qui inungi recusant variæ administrari poterunt mercuriales præparationes per quas ab omni lue corpora absq; nauseabundis pharmacis liberari poterunt. Inter quæ pręcipitatum nostrum papaverini coloris est, muriani ignibus solis confectum, absque ullius rei mixtione, nostris monitis. Vel Hercules Bouii Veronensis præcipitatum cum auro.

Sed mercurius dulcis optimè præparatus, universis omnibus, ante ferri debet, magisque laudari. Nam sepiùs repetitus cum decoctis stybiatis, & salsæ (ut superiùs monuimus) absque ingenti corporum turbatione, intra quindecim, vel viginti dies ad summum, servata abstinentia à vino, citò, tutò, & iucundè omnem Cælticam luem, ab humanis corporibus propulsare valet.





PARTICVLA QVINTA.

Febrium causæ in universali, ac symptomatum.



Ieri febres consuevere per turbatam sanguinis mixtionem, & ἀταξίαν spirituum animalium, seu facultatum nostrarum excandescentiam. Pro particularum verò incongruarum sanguinem, & liquores cum eo circulantes turbantium varietate, variæ paritèr indolis, & naturæ febres consurgere observantur.

Turbata etenim sanguinis mixtione serum albugineum nervorum nutritium præternaturalitèr attenuatur, atque ad facilem separationem, & divortium à consortibus liquoribus faciendum disponitur hac via. In qua difficilimum est postmodum cognoscere an id quod corruptum nostris oculis apparet sit febris causa, an productum, seu effectus.

Et *Hippocrates lib. 4. de morbis* admiratus horum liquorum ab invicem secessum morbosarum calamitatum causam observat, quod paulatim facta separatione ista plurimę febres in progressu malignę fiunt, quę in principio benignæ penitùs erant.

Semen igitur febrile, atque origo in genere solet esse humor fermentativa prȩditus qualitate, motui, & mixtioni naturali sanguinis planè contrarius. Qui dum è suo foco, seu minera protrusus à liquorum circulantium motu cordi suggeritur, ac in vasis sanguifluis tumultuariè effervescit, febrem concitat.

Quę si ex his vasis expulsionem facere poterit, talis febris intermittentis nomine decorabitur. Verùm si talis effervescentia adhùc in vasis sanguifluis perseveret, continua esse dicetur.

Magis verò particulares causę febrium atque remotiores esse consuevere, quandoque acuta salia de vitriolica, & effervescenti natura participantia ex stomachi indigestionibus orta cum alcalicis in sanguine liquoribus congredientia.

Non semel fiunt à succis crudis in sanguine paulatinè congestis per errores externos, donec onerata natura per febrem sarcinam de se abijcere tentet.

Sal potissimum volatile oleosum bilis, vbi exaltatū fuerit, cum acidis suc-

cis

cis crudis à prima stomachi digestione venientibus congreditur, magnamque luctam inire observatur.

Chylus etenim degener citiùs, vel tardiùs ad turgescentiæ plenitudinem assurgens. Salia sylvestria, fermentales quatuor digestionum reliquiæ. Sed potissimum quæ circa vasa lactea, & glandulas mesenterii hærentes, sanguinis massæ communicantur. variarum febrium postmodum causę (ut in progressu ostendemus) esse consuevere. Quæ etiam mala semina febrilia in sero, lympha, chylo, succo pancreatico, saliva, & universis sanguinis liquoribus reperiri possunt.

Symptomatum vero causas, & rationes reddere, per hanc sanguinę massæ mixtionem turbatam, & liquorum ipsam componentium secessum, facultatumque errorem, ac excandescentiam facilimum cuique erit, qui invicem facultates relationem habere, atque una affecta cæteras magis, vel minus in operibus suis claudicare noverit.

Ita ut naturalis facultatis symptomata provenire fatebitur; quoniam in visceribus naturalibus fermentationes male procedant, spiritus in minori copia tum impuri, vel crassiores, vel perperam moti demittuntur, vel generantur, veræ causæ, ut vitæ actiones postmodum perperam fiant. Idem de vitali facultate, imò de animali æffari poterimus.

Continuarum, vel intermittentium febrium causæ.

SI absque rectæ mentis præjudiciis rationes Elmontii examini subjicere voluerimus, ipsum non procul à veritate aberasse reperiemus, quando in tractatu de Febribus protulit, quod archeus in humano corpore est omnis alterationis opifex (estquè impetum faciens Hippocraticum) solus nos calefaciens, vel refrigerans. Iuxta axioma illud, quod quidquid in sanis edit actiones sanas, id ipsum in ęgris edit actiones vitiosas.

Quamobrem spiritus ille qui hominem calefacit in sanitate, est ille ipse, qui in febribus æstuat. Exemplo spinæ digito infixæ, quæ actu, & potentia frigida est; attamen in digito calorem prę ter naturam excitat.

Non alia equidem ratione, nisi quia spiritum vitæ auctorem excitat, qui postmodum inflammationem, tumorem, pulsum, dolorem, calorem promovet.

Spina verò horum omnium occasionalis causa tantumodò esse dicetur. Rationabile paritèr est, quod archeus se ipsum accendat, ac veluti excandescat in nisu, quo cupit febris materiam occasionalem, veluti spinam impactam repellere.

Febrium itaque sive continuarum, sive intermittentium unicam causam agnoscemus, accensum, vel indignatum archeum. Febres autem ab invicem distingui poterunt solumodo per occasionales causas, seu per materierum diversitatem, & hospitia.

Stomachus tamen communis est veluti palestra certaminis febrilis. Nam in qualibet febre statim cibos aversantur ægri, animaduertentes ex vomitibus flavis, amaricantibus, depravatas in stomacho fieri concoctiones, quoniam debito fermento privatur, & præternaturali calore, ac liquoribus imbuitur.

Hoc autem discriminis inter febres intermittentes, & continuas esse reperimus, quod intermittentes ideò periculo vacare observantur, quia partes sanguinis constitutivæ, licet crassim

ſim ſuam paululum immutaverint, attamen mixtionis vinculum omninò non difregerunt. Sed per aliqua tempora, & momenta æquabilitèr in vaſis ſuis circularitèr moventur, ac intrinſecè naturalitèr agitantur.

Ideòque talem diſpoſitionem non habent, ut chylum advenientem, in materiam naturæ odioſam, ac hoſtilem omninò pervertant.

At in febribus continuis ſanguinis compages diſſoluitur, & proinde in progreſſu ejus corruptio facilè introducitur, & peſſima lætalia ſymptomata exurgunt dum chylus in ſubſidium ſanguinis, & liquorum reparationem neceſſariam veniens, in materiam omninò naturæ moleſtam depravatur.

Pituita etiam in tenui inteſtino plurima colligitur, atque ſenſim cumulatur. Hæc à cauſis procatharticis quandoque liquatur, ac ſolvitur, atque ad corporis penetrália admiſſa, ſanguini admixta, ad omnes corporis partes aditum habet.

At ſuperveniente repentina cauſa externa pituitam coagulare apta, (ut frigidus aer, pluvia, balneum frigidum, potus gelidus, animi mæror, vel terror) hæc potiſſimum in locis anguſtis concreſcit, illoſque obſtruit. Exinde varias febrium ſcenas prodire obſervabimus.

Liquor enim albugineus nervórum nutritius eidem congener, qui naturalitèr ſubacidam naturam induit, per hanc prohibitam tranſpirationem ſtagnare cogitur, per moram verò viciatur, & acidior fit cum aliis ſecum admixtis liquoribus.

Experientia etenim conſtat, quòd quævis acida, per moram, & ſtagnationem acidiora fiunt. Sic acetum in progreſſu ſemper magis aceſit, evaneſcunt etenim ſpiritus volatiles, & terreſtriores, ac fixiores partes magis exaltantur, dulciores ſpirituoſæ parculæ illam aciditatem attemperantes concentrantur. Idem in ſero quandoque contingere poſſe fatemur.

Hanc verò noſtram conjecturam probare videntur medicamenta pleraque in febribus intermittentibus adhiberi conſueta, quæ felici ſucceſſu uſurpantur, & ſunt incidentia, aperientia, diuretica, vomitoria, purgantia, quæ mira operari obſervantur per impedimentorum, ac oppillationum ſolutionem factam.

Manet ergo inconcuſſum quod irritatus Archeus fervoris, ac febrilis agonis primarius genitor eſt, at ſecundariæ cauſæ, ſunt irritantes ſucci varii, ac fermenta vbicumque ſanguini communicata ipſum ad efferveſcendum compellentia. Potiſſimum verò in primis viis, videlicet ventriculo, meſenterio, pancreate, hæc ſtabulari reperiemus.

Factis etenim obſtructionibus, in vaſis potiſſimum chyliferis, in quibus cum liquorum triumviratu, omnigeni liquores convenire ſolent, ibidem ſtagnantes, vel ſaltem torpidè moti præternaturales fiunt, ac depravantur, inde irritationem nacti partes vicinas premunt, ac diſtendunt, viamque violentèr ſibi aperiunt ad cordis penetralia, & ad ſanguinem, cujus mixtionem amicabilem turbando, & omnia ſeditiosè evertendo, febrim excitare obſervantur.

Ob moram itaque præ obſtructione factam, & ſtagnationem, liquores iſti acidiores, ac viſcidiores fiunt non toti ſimul ſed ſenſim ac temporis progreſſu, quod eſt periodi poſtmodum cauſa, dum ad ſanguinis conſortium cum magno impetu, ac turbatione

tione deferuntur, & cum eodem circulantur.

Dum verò vitalis ſpiritus à crebra ſanguinis deflagratione valdè imminutus fuerit; Sanguinea maſſa debilior facta chylum advenientem minus concoquere valet; ac maturare; ſed totum ferè in materiam præternaturalem; ac fermentativam vertit.

Ob hanc etiam maſſæ ſanguineæ labem magna ſubſequitur viſcerum, ac fermentorum infirmitas. Sua etenim recrementa paſſim viſceribus affigit, dum eorum tenues anfractus circulationis motu pertranſit.

Hinc eſt quod obſervantur variæ ventriculi affectiones, hypocondriorum tenſiones, lienis, iecoris obſtructiones, tumores, quæ quidem frequenter non ſunt febrium cauſæ, ſed febrilia producta, & effectus.

Durat autem lucta febrilis, atque effervefcentia, donec tandem vitæ ſpiritu hoſtibus fugatis prævalente, vitales liquores ad amicabilem vnionem componere, præternaturalia vero, ac ætherogenea foris propulſare, vel in loco ignobili relegare poſſit.

A materia autem valdè hoſtilli, ſævis factis paroxiſmis, vitales ſpiritus plurimi evolare coguntur. Si vero etiam ab incongruis alimentis, & aliis procatharticis cauſis, parum quod deperditum eſt reſtituatur, igneæ ſulphuris, ac ſalis particulæ exaltantur, ſanguis acrior, ſalſior, naturæ muneribus, ac circulationi ineptus fit. Atque febris quæ intermittens, blanda periculo carens erat, fit ſenſim continua, prava, lætalibuſque ſtipata ſymptomatibus. Si potiſſimum cerebrum primarius ſpermaticarum partium nutritius coafficiatur.

A capite etenim nutritionem venire obſervamus, dum in rachitide ad magnam molem caput excreſcens cæteræ inferiores partes contabeſcunt. Multum etiam prodeſſe comperimus, in hectica, & atrophia, ſi circa nucam, & ſpinalem medulam inunctiones nervinæ fiant.

Verum ſupra cæteras cauſas febriles prohibita tranſpiratio, primum fortaſis occupare locum comperiemus. Ob effluvia etenim cohibita ſanguinis maſſa turgeſcere, ac fermentari cogitur. Poris autem effluviorum infarctu plus obſtructis, ſoluta maſſæ ſanguineæ compages, ac mixtio partium, à cordis fermento præternaturali, ac excandeſcente, veluti ignibus admotis inflammatur, atque turgeſcit.

Peculiares autem cauſę, peculiarem etiam febrem conſtituere rationabile eſt. Ideòque magis judicioſi medici judicant, quartanam febrem tunc fieri, quando ſanguinis maſſa, à dulci ſua, ſpirituoſa, balſamica indole recedens, diſcraſiam acidam nonnihil auſteram contraxit (veluti vinum, quod tonitru turbatur, & fęce commota inſuavi aciditate palatum afficit) tunc enim compreſſis, ac ligatis ſpiritibus, tum ſuavioribus particulis reſſolutis, vel inverſis, aceſcere incipit, & à nativa ſua puritate degener, fęculentiis acidis undique congregatis, & agitatis, ſpiritus comprimendo ac onerando, torpidoſque reddendo, evenit ut de novo affluentem chylum ſanguinis reparationi neceſſarium, neque ritè, ac rectè concoquere, neque perfectè aſſimilare valeat. Sed pravo fermento imbutum, in liquorem extraneum corrumpit.

Mox ubi ad plenitudinem, & ad turgeſcentiam in vaſis, maſſa ſanguinis ſaturata fuerit, in apertum

cam-

campum pugnæ febrilis erumpit. ac inde consequitur hujus materiæ fluor, tum effervescentia variis stipata symptomatibus modo frigoris, modo caloris, quæ insultus seu accessionis tempore potissimum manifestantur, & quæ à chylo, & à liquoribus in depuratoriis instrumentis facultatis naturalis acidis, impuris, nec defæcatis imputari solent.

In visceribus etenim depuratoriis facultatis naturalis (& sunt potissimum glandulæ percolatoriæ intestinorum, pancreatis, mesenterii, lienis & ventris infimi) fermenta in febri quartana præternaturalia ac viscidiora fiunt:

Tubulorum verò obstructiones obsignatę, & contumaces, liquoribus liberum motum, ac perspirationem impediunt. Qui tardigradi, aut stagnantes, acriores, acidiores facti, ac pręternaturales, ubi ad cordis penetralia pervenerint, sanguinis mixtionem turbare, & facultates nostras vividis spiritibus liquoribusque dulcibus, & proportionatis privare valent,

Et hac via liquores nutritii, ac potissimum chylus ipse ad acidiorem, crassiorem condictionem reddiguntur. Quod enim tardiùs insurgat paroxismus, fermento adscribendum est, atque chylo, viscidioribusque succis in tubulis lienis, pancreatis, & aliorum viscerum stagnantibus.

Certum est enim quod quartanarii, ferè omnes, vel alicujus visceris contumacem obstructionem habent. Vel magnam in visceribus naturalibus, atque depuratoriis instrumentis ἀτονίαν, ob acidas cruditates, & visciditates liquorum.

Quamobrem si quis dixerit quartanam febrem à limositatibus tartareis, & liquorum amurca, sive liquaminibus crudis acidis viscosis fieri non procul à veritate aberrabit.

Ideòque febris est, quæ diutiùs durat, quoniam febrilis materia, non adeò citò à tubulis extricari potest angustissimis lienis, ac glandularum seri albuginei depurationi destinatarum, ob causas illud idem serum albugineum incrassantes.

Rigores, horrores, aliaque consimilia symptomata ab eodem acido acriore viscido, membranosas, nerveas sensitivasque fibrillas vellicante fit.

Sed potissimum circa mesenterii, & naturalium viscerum nervosas fibrillas, hæc lancinatio infestat. Solus verò archeus, hujus depravatæ sensationis judex iniquus est.

Magna etenim nobis suspicio est, eadem ratione sensum frigoris in febribus fieri, sicuti in lingua frigoris sensus imprimitur gustantibus materias valdè nitrosas, tum lapidem prunellæ ipsum. Vel etiam materias insigni calore præditas ut pyrethrum quod linguæ frigiditatem insinuat.

Plurimæ quinimò essentiæ, ac spiritus ardentes, ut quinta essentia rosmarini, frigoris sensum donant si labia, vel balanus inungatur.

Sic materia acris, velocitèr mota, dum à suo foco dilapsa undique, etiam ad corporis ambitum diffunditur, nervosas partes vellicat, calorem, & vitales spiritus obtundit, & comprimit, inde frigoris sensus, & horripelationes insurgunt.

Novis autem spirituum agminibus convocatis, factoque impetu, ac prævalentibus iisdem cum majori cordis micatione, pulsu, ac calore, præternaturales liquores atque molesti advenæ propulsantur, subiguntur

facta per universum corpus excandescentia.

Super cæteros verò liquores succus albugineus nervosus est ille qui insignem acorem in se concipere potest, atque nervosas partes quas succo nutritio, ac vitali tempore sanitatis irrorat, morbi tempore præternaturali aciditate imbutus, ipsis molestus, & hostilis factus, à sentientibus fibrillis propulsari promeretur, magno vel parvo frigoris sensu incusso, pro majori, vel minori ejus acore præternaturali.

Nostrum vero serum albugineum nervosum illud idem est quod à veteribus nomine melancoliæ decorabatur, qui passim melancoliam aquam appellabant: Quæ per varias & admirabiles coagulationes & solutiones, Vertuni, & Prothei naturam æmulari semper observatur.

In cerebri glandulis elaboratur, in liene & glandulis depuratur, ad magnum nutritionis spermaticarum albarum usum, ut alibi Deo dante fusiùs ostendemus.

Sufficiat pro nunc acutas nares habentibus attigisse, ac adumbrasse rationes ob quas quartanæ potissimum fieri solent cum aliqua cerebri læsione, & potissimum destillatione catarrhali, tumore, vel obstructionibus lienis, & viscerum naturalium.

Cur etiam copiosæ vrinæ, quandoque sudores obseruentur. Ideòque etiam sit frequens iter, & transitus ad hydropem, quæ certo certiùs à sero albugineo fieri constat, nam eductam aquam per paracentesim, centiès ad ignem positam concrevisse observavi, quod à solo sero albugineo nutritio nervorum fieri consuevit, & non à sero vrinoso, aut alio non concrescente.

Exindè facilè rationem reddere possumus cur si longiùs hæreat quartana, in affectus scorbuticos, hypocondriacos, & alios multos impingere faciat.

Sanguis enim in quartana per hanc depravati seri albuginei nervosi mixtionem, à materia dulci spirituosa, balsamica, transit in acidam, ac naturæ infestam, vini dulcis acescentis ad instar.

Tertiana vero febris fieri consuevit potissimum à bile in primis viis, certo quodam corruptionis gradu, per externos errores, tum per moram, & stagnationes ad acredinem perducta.

Est etenim liquor qui nisi debitè moveatur, atque aliorum consortio attemperetur, stagnans, igneæ, ac impatientis naturæ fermentatur, & viam sibi violentèr aperit, atque in chylum præternaturalitèr agit, velocitèrque per ductus lacteos secum ad cordis penetralia advehit, atque mixtionem sanguinis placidam, molestus advena turbat.

Ab initio itaque tubulorum impedimẽta, ac obstructiones bilem perspirare posse negantes naturalitèr moveri aliis misceri, ac debitè excerni, præcipuæ tertianæ febris causæ numerantur.

Irritationes etenim Archei vario modo contingentes, tertianariam condictionem habere posse fatemur: Quæ quidem si intra modicum tempus talis febrilis conturbatio terminetur. medicina est.

Hæc enim varias, & omnigenas sanguinis impuritates deflagratione sua repurgat, viscerum obstructiones tollit, totum perspiratione aperta eventillat, & uno verbo innumera morborum seminaria, hac

vnica falce detruncare solet.

Verùm si diutiùs protrahatur, sanguinis massa spiritibus vitalibus plurimum spoliatur, ac vini ad instar, per nimiam fermentationem vapescit, ac debilior fit. Indè fœdi in cute colores, icterus, cachexia aliaque pessima mala.

Namque ut plurimum, bilis depuratorium viscus tunc afficitur (videlicet hepar) ex cujus tubulis, tum ex pancreate, & ductibus chyliferis, imò ex universis vasis sanguifluis veniens, præternaturalibus condictionibus affecta, mixtionem sanguinis, & facultates omnes interturbare valet.

Si autem plurima pituita, seu viscidis liquoribus inviscata, circa ventriculum, & primas vias hæreat, tunc chylo fit præternaturale offendiculum quod viscidum, torpidè motum, depravatum reddit, difficilem ingressum habens (ob obstructos plurimos lacteos tubulos) ad cor, inde gravitatis sensum elargitur, ac torminum circa præcordia, quæ in febri quotidianæ nomine appellata passim observantur, ob ventriculum, intestina, & primas vias mucositatibus, & viscida pasta oblinitas, & bilis succum præpeditum à naturalibus & debitis muneribus suis.

Hæc tamen omnia quandoque assiduò infestant, quandoque interpositis temporibus, vel horis saltem aliquibus, sicuti neque catarrhi defluxiones perennes sunt. Sed solum tunc infestant, quando excrementi tantum jam collectum est, quantum natura patiens, amplius tollerare non potest.



Ephemerinarum febrium causa, & ardentium.

Febres ephemerinæ à mera spiritũ irritatione fiunt, ob violentum impetum causæ procatharticæ iræ, laboris, solis, crapulæ, veneris, vigiliarum, & consimilium erga massam sanguineam factum, absque tamen liquorum componentium dissolutionem, & crasis immutationem, præternaturalem æstum ac fermentationem accidentalem inducentem.

Et hac ratione, quocumque modo phogosis aliqua, in qualibet sensitiva parte introducatur, illicò spiritus turmatim confluentes, ac impetum facientes, simul sanguinem impetuosiùs moveri, ac ebullire faciunt.

Ideoque si exiguam fieri aliquam sanguinis mixturæ turbationem, etiam in ephemera quis contendat, eidem non repugnabimus. Sicut absque insensibili transpiratione impedita difficilem esse ephemerinæ febris insultum ultrò concedimus.

Ardentium vero febrium causas suspicamur esse bilem (vel succos bili analogos), dum sincera absque succi pancreatici, vel lymphæ fræno, libera, ac furibunda per sanguifluos tubulos cum cæteris liquoribus fervidis, & fermentescentibus ad cor circulationis motu redducitur.

Quamobrem in transitu tubulorum ventriculi, & pulmonum, suæ acrimoniæ salinæ stygmata imprimens, inexplebilem sitim inducit. Sua autem inflammabili oleositate tum viscera, tum continentes undique partes suffundens, exurentem igneum calorem adducit.

Qui

Qui quidem ideò geminatur, quia præter id quod bilis fervida sit, valdè etiam irritans ac mordicans est, quare spiritus in furorem agens, cor ad frequentiorem pulsum, liquores ad concitatiorem motum, tum progressiuum, tum internum fermentationis cogit, & sic undique incendia & flammas disseminare valet.

Hecticarum febrium causæ fræquentiores.

CErtum est in febribus hecticis plurima indicia haberi, quibus sanguinis status acrior esse colligitur, adeò ut salibus causticis prægnans esse ut plurimum dicatur absque hæsitatione in ulceribus pulmonum minus verò palam in ventriculi, & viscerum naturalium labe, & adhùc minus in atrophia annexa.

Miseraque in primis condictione, quod humores circulantes per affectas partes (ex. gr. per pulmones ulceratos, vel ventriculum, aut viscera præternaturalibus succis imbuta) assiduò peregrinam labem nanciscantur, & cum sanguine ad cor reduces, sanguineæ compagis mixturam turbent, atque acrem eidem intemperiem imprimant.

Magna relicta dubitatione, an hecticæ causæ, vel producta sint. Et an hectica essentialis sit, vel symptomatica, quæ ampliori loco reservabimus.

Hoc pro nunc tenentes, quod hecticæ febres semper cum mala sanguinis diatesi fiant, per quam ad intemperiem salsam, vel acrem vergere observatur. Ideòque nutritioni, & æquabilis suæ circulationis motui, minus proportionatus sit. Viscera ex transitu hujus coinquinatæ masse sanguineæ, ac suorum liquorum salsuginosorum, læduntur, ac corrumpuntur, inque fermentis suis depravantur. Altera enim alteri vitia sua communicat, & affectus invicem reciprocantur.

Ut plurimum tamen cerebri glandulis malè affectis hoc lacrymabile malum insurgit, His etenim à recto munere suo impeditis serum albugineum nervorum nutritium impurum nutriendis albis spermaticis partibus improportionatum generant. Languescere postmodum cetere facultates coguntur, vigor etenim exinde motricis facultatis marcescit in dies. Spiritus exhauriuntur. Fermenta sua energia imminuuntur. Liquores omnes acriores, intemperati, ac præternaturales fiunt.

Fræquentèr evenit per longos merores, quod pancreaticus succus austerior fiat. Hic humores reliquos glutinosiores reddit, ensimulque stagnatione acriores, fixoque in visceribus naturalibus foco, æternum veluti vestalem ignem febrilem in corde illi accendunt. Frustra accurrente ad extinctionem lympha, iis ejusdem arefactis, vel viscida pasta occlusis.

In hectica namque (progressu potissimum) alimentum utrumque acre fit, & viscidum, spirituum generationi, ac nutritioni ineptum. Ejusque pravæ condictionis, quod demulcientium liquorum adventum sua crassitie impediat vias obturando, tubulos comprimendo, vel admissos cum magno fragore, strepitu ac effervescentia pugnando prosternat, & ad suam pravam naturam deducat.

Hæc potissimum evenire observantur post longas, & contumaces febres, incuneatis obstructionibus, depravatis viscerum fermentis inde li-

quoribus, actionibus vitæ necessariis, corruptis, & inspissatis à salibus exoticis.


Ex sanguinis acredine, deficientiam laticis aquosi blandi arguere possumus. Chylus præternaturali acore imbutus ob febrilem calorem ventriculi actiones labefactantem) ab assumpto cibo statim in fervidum sanguinem labitur, ac in minimas sui particulas discinditur, ideoque in eodem inclusus igni flammam concipere solet.

Sal interim copiosum, quo hecticorum vrinæ saturari conspiciuntur fit à sero veluti torrefacto, & in salem verso, seu ejus aquosioribus particulis ressolutis, & admixtis salibus incrassantibus relictis.

Contabescentiæ paritèr causa in hectica, acrium salium in nutritiis liquoribus plurima admixtio est, à qua succi universi incrassantur qui tubulorum lacteorum in mesenterio obstructiones moliuntur, chylus acrior, improportionatus ad cor demittitur.

A quibus postmodum comprimitur, & corrumpitur robur partium innatum, quod agglutinationi ac nutritioni sufficere postmodum nequit.

Liquor tamen præcipuus, & in hecticis febribus consideratione dignus, super cæteros, serum albugineum est; sine quo spermaticarum partium nutritio fieri nequit. Quo vitę muneribus ac spiritibus illustrandis instrumentum par in corpore non reperies.



Malignarum, tum pestillentium febrium causa, Variolarum, bubonum, & cutis affectionum &c.

MAssa sanguinea dum miasmate venenato tangitur varias subire coagulationes, & corruptiones cogitur. Ejus etenim mixtio statim dissolvitur, liquores ab amicabili consortio turbati invicem secedunt.

Exinde varia, & horrenda symptota exurgere observantur. Particulæ namque venenatæ tali sunt ferocia prędítæ, ac tanta, ut cum liquore albugineo nervorum nutritio impetuosè effervescentes, ejus tenuiorem, dulciorem, ac spirituosiorem partem ressoluentes, reliquum incrassatum sua vi styptica figunt.

Animales interim spiritus in innordinatos motus stimulantur, inde in convulsiones, tremores, rigores, stupores, ressolutiones nervorum prorumpunt.

Subiectum itaque primariò, & principalitèr affectum, serum albugineum nervorum nutritium est. In quo veneficum contagium vehementiorem impressionem suam facit, & coagulationem, inde dissolutionem molitur, non secus ac lac acescens, vel succo acido perfusum, quod partim concrescit, partem in serosas partes diffluit.

Velocitèr ergo per malignum, ac veneficum contagium sanguinis massa grumescit, instar sanguinis extravasati, qui cum nigredine corruptionem patitur. Coagulationi verò magis quam cæteri liquores serum albugineum subiicitur, ut etiam in extracto sanguine per venam sectam omnibus palam fit ad ignem.

Nisi

Nisi itaque validæ naturæ vires, quam citissimè in vasis majoribus facto impetu ac concussionibus cordis validis, sanguinis concretionem impediant, circulatio præpeditur, & præceps mors obrepit.

Exteriùs verò ad ambitum corporis à valida facultate coagulum protrusum in angustis tubulis motus sistitur, & liquor sanguineus spiritu, ac motu consueto destitutus, grumescit, inde vibices, stygmata, peticulæ, aut in glandulis bubones, vbique verò locorum antraces parere valet, atque tumores.

Sed potissimum ob liquoris nervei coagulationes, syncopes fiunt, virium deiectiones, delirium, phrenitis, sopores, convulsiones, aliaque horrenda cerebri, ac facultatis animalis symptomata.

Ubi enim nervosa pars aliqua mortifero hoc veneno tacta fuerit, serum albugineum, quo ipsa irroratur statim inficitur, quod per tenuissimos lymphaticos tubulos ad venas confluens, legem circulationis expleturum, sanguinis massam coinquinans sui impura mixtione, fit causa erumnarum omnium, & mortis.

Concedimus tamen quod quandoque alii liquores, imò ipse sanguis virulento contagio prius inficiatur, illicò tamen labem suam sero albugineo communicare observatur.

Inde animales, ac vitales spiritus tenuissima hac, & butyrosa sanguinis parte contaminata, veluti profligati, suoque duce, ac nutritio privati dissipantur, sanguinis æquabilis mixtio dissolvitur. Particulæ crassiores se mutuò implicant, & congregant (lactis ad instar post infusum coagulum) & hac ratione cruor in vasis grumescit, tardigradus in circulando, vel impeditus omninò à suo motu. Inde maculæ nigræ, vel purpureæ aliaque in cute &c. emergunt.

Consueta via per quam fræquentèr pestilens contagium ad humana corpora ingressum habet, aeris per os, & nares attractio est, in qua aer salivam oris attingens, eamque inficiens, hæc naturali, & consueta via per æsophagum ad ventriculum delapsa, veneni illicò symptomata profert, quæ affecti oris ventriculi primò manifestantur per vomitus, tormina, lypotimias, dolores capitis, sopores, deliria.

Aeris etenim malignæ particulæ acres, facilimè cum saliva, & chylo coniunguntur. Atque per talem conjunctionem acriores fortasis fiunt sicuti ex nitro, & vitriolo aqua fortis fit quæ multo asperior est, quam spiritus ex eorum altero elicitus.

Malignarum verò febrium causæ fundantur in motu irregulari præternaturalis fermentationis sanguinis, ob quam componentes particulæ massæ sanguineæ ab invicem secedere coguntur, quæ priùs amicabili consortio coniunctæ, incolumitatis ac roboris felices causæ erant.

Sanguis itaque per hunc ab invicem particularum divortium, naturam suam exuere, & debitam fluiditatem, ac motum naturalem tum progressiuum, tum intrinsecum amittere cogitur. Ideòque obeundis vitæ muneribus ineptus fit, & machinæ nostræ hydraulicæ sustentationi imparem esse variis symptomatibus se manifestat.

Secedunt igitur particulæ ab invicem, dum homogeneæ congregantur, ex. gr. salia coagulantur, & aquosiores majorem fluorem acquirunt.

runt. Quamobrem massa sanguinea internam suæ fermentationis motionem amittit, & circularem per vasa sanguiflua motum ad cor invenire decentèr nescit.

Salia acria culpantur, volatilia effrænia, quæ sanguinis crasim solvere apta nata sunt.

Differunt verò pestillentes & malignæ causæ, tantummodò secundum magis, & minus. Minor videlicet est gradus malignarum, major pestillentium, miasma, atque venefica caussa.

Quandoque etenim sanguinis partes coagulatæ, ad motum adeò ineptæ factæ ut adinstar deflagratarum cinerum heterogeneę ac sine fluore in humano corpore repertæ sint.

Sal itaque volatile arsenicale, nostris facultatibus infensissimum, massam sanguineam dissolvere, spiritus pessundare, liquorum coagulationem moliri, & partium ab invicem separationem facere potest.

Quia verò natura sanguineæ massę est, ut tota in auras evolare, & in gas abire possit, mediante aere, & fermento (ut alibi in parte prima insinuavimus.)

Si quandoque contingat, ut per accidentalia & externa coagula hoc assequi non possit, neque volatilis fieri, neque tota transvolare possit, tunc naturæ gravis, & incommoda, sua irritatione febres, sua incrassatione oppillationes, tumores, variolas aliaque in cute, & in visceribus mala symptota adducit.

Duo itaque effectus ad pessimum venenatum fermentum sive malignæ sive pestillentis febris consequuntur, salinorum, ac terrestium magis, ac symbolizantium inter se incrassatio. Tum tenuiorum, vel aqueorum ac fluidorum dissolutio atque ab aliis divortium.

Hæc autem fieri consuevere diximus ob acidum acre, seu sal volatile arsenicale, quod glandularum liquorem, seu serum albugineum nervorum nutritium subacidum enervat, inquinat, incrassat, & motibus suis peragendis invalidum facit.

Ideòque tum naturalis sanguinis consistentia tollitur, tum vitalium inde animalium spirituum secretio impeditur.

Tale pessimum sal volatile inspiratione allici consuevit, vel cum alimentis ingurgitatur, frequentiùs cum saliva deglutitur. Non infræquenter per poros cutis sese insinuat.

Bubones autem, antraces, escaræ, &c. non sunt materia pestis, sed effectus, & producta pestis. Materia namque pestis indomitus quidam spiritus est, veneno tinctus, peculiares servans ab astro mittente inimicitias cum una regione, & non cum alia, cum uno temperamento, & non cum alio, imò cum una specie animalium, & non cum alia.

Prout quibusdam etiam venenis naturale est. Nux etenim vomica canibus exitiale venenum, intra duo momenta, vel tria interficiens est. Hominibus vero innocentèr & absque læsione propinari potest.

Agens itaque remotum pestis. Seu pestilens constitutio, à syderum maleficis influentiis dependere fatemur. Et nisi alia coniectura prestò esset, illa maxima est, quod natura pestilentialium constitutionum ab orbe condito semper variare observatur, neque in symptomatibus, neque in curationibus iisdem constans. Non alia equidem ratione, nisi quia astrorum, & cœlorum motus, ac influentiæ perenni

ni tempore variant, & inconstantes sunt, ut singula examinanti patebit.

Hinc est quod *divinus senex in lib. progn. Pestem divinum quid esse protulit*. Et prudentiores fatentur, quod cum febrium pestilentium causæ sint veneficæ qualitates, solisque alexipharmacis curari possibiles. Ideo plurimos interire, quia raris legitimum alexipharmacum assequi datum est.

Præterea velocissimi motus affectus est, neque dat auxiliis inducias, nec locum prudentię medicæ, sed hostis detegitur cordis arce jam devicta & occupata, sanguineque in compedibus coagulationum detento, ac cæteris hinc inde profligatis.

Ex languido itaque sanguinis motu, & coagulatione, maculæ, tumores, peticulæ, vibices in cute fiunt, quæ potissimum post mortem magis manifestantur.

Pulsus humilis, celer, fræquens fit, dum in cordis fibras nervosas, spiritus animales debiles, ac invalidi ingrediuntur, hujus depravati motus auctores, simul cum spiritu insito, ac vitali.

Vires etiam prosternuntur, quoniam ad cerebri corticem glandulosam in pauca quantitate, & malè affectus sanguis defertur. Nam vitalibus spiritibus veluti orbatus, ac ressolutis jam tenuioribus, magisque volatilibus particulis, ineptus fit vt in animales spiritus facessere possit in cerebri vasculis, ut exinde vitæ vigor, & vires animales, ac functiones omnes sustineri, ac peragi possint.

Felicis memoriæ collega D. Hyeronimus Barbatus in peste Romana anni 1656. veluti sabulo, vel cœno cordis ventriculos opletos, vel viscera, vel pulmones peste infectorum, se reperiisse palam fatebatur.]

Malpighius vero lib. de polypo cordis fatetur se fræquentèr in peste defunctis polypos cordis adinvenisse. Nec non in illis quibus venena propinata fuissent.

Exc. Signorinus, qui adfuit in peste Vienensi anno 1679. & 1680. retullit quod solis validissimis sudoriferis, & sanguinem fundentibus citò exhibitis ægri servari poterant. Atque se cognovisse jam infectos jactabat, licet se omninò sanos esse crederent, solo tactu pulsus; Nam post aliquot pulsationes intermittebat. Inde sanguinis coagulationem initium capere jure merito suspicatus, & salibus volatilibus propinatis, ac sudoriferis, eorum vitam in tuto ponere aggrediebatur.

Ipse verò intrepidus, spirituosis semper in potu assumptis. Tum granis aliquot salis volatilis viperini, se se ad omnes morbos pestilentes curandos, & tractandos accessisse gloriabatur.

Venenatæ ac pestillentis affectionis eadem symptomata vidit *Io: Elmontius sic aiens: qualem vidi stomachum ancillæ quæ ultrò arsenicum sumpserat. Talem vidi in peste affectis, qui intra paucas horas obierunt*. Ipse in tribus diversis annis, tres pestilentes constitutiones Bizantii diversas observavi, Altera quæ variolarum malignarum facie interficiebat, altera quæ vibicum forma, tertia verò quæ indiscriminatim & variolarum, & peticularum & cutaneorum affectuum extramissionibus ad internecionem ducebat.

Magno vero facto respectu, ad Italas, Gallicas, & uno verbo ad occidentales nationes, quas certè intactas relinquebat. Atque sepiùs mihi

data

data fuit occasio, tum in angusta via proximus mortuis incedere, tum vocatus ad peste infectos eos contrectare, pulsumque tangere, Dei tamen gratia semper sospes, & integer perstiti, in cornu cervino, ejusque sale volatili magis confidens, quam in cæteris auxiliorum generibus.

Variolarum febris de utraque natura participare videtur, malignitatem etenim induit ratione symptomatum; contagiosa est atque peculiaribus tantum naturis communicabilis.

In cujus quidem causæ indagatione non parum laborant medici, qui hoc contagium antiquis ignotum esse contendunt, ut & cætera neotericorum contagia, lue ipsa Cæltica non excepta. Quare à prava syderum influentia, pessimam hanc in massa sanguinea fermentationem excitari contendunt.

Qui malum antiquitùs motum esse tuentur, à menstrui sanguinis inquinamento concepto tempore fermentationis in utero materno originem ducere putant.

In hoc itaq; fermentum quoddam generari dicunt, quod massæ sanguineæ communicatum, post statutorum temporum periodum sanguinem fermentando, ac eidem turgescentiam donando, naturali quadam inclinatione ad cutaneos tubulos contaminandos erumpit, non absque motu critico naturæ liquores depurantis.

Verum quia per historias Indiarum innotuit, quod sicuti lues Cæltica contagio neoterica est ab Indiis delata. Ita variolæ Europeorum, nouum contagium Indicis regionibus nunc temporis est, quod nihilò minorem cædem illis adducit, quam lues Cæltica elapso sæculo Europeis.

Parum tamen refert originem investigare ab ovo. Sufficiat prænovisse acidum esse malignum fermentativam naturam induens, quod cum sale volatili massæ sanguineæ acerimam pugnam aggreditur, donec à victrice natura subigatur, præcipitetur, & ad cutem devictum cum incrassatis liquoribus demittatur.

Magna tamen nobis suspicio est, quod sero albugineo nervoso potissimum insidietur tale acidum, ideoque pueris familiare malum advenit, qui super cæteras ætates plurimo sero albugineo abundant. Nec non videmus circa loca glandularum (quæ sunt officinæ & depuratoria instrumenta seri albuginei nervei) in majori copja erumpere. Et potissimum circa caput (in quo mediantibus cerebri glandulis elaboratur, ut sit albis spermaticis partibus alimentum) & circa miliares glandulas cutis, hæc enim inter spermaticas partes fortasis præcipua est, & tota nervis contexta. Seri autem natura prona est in pustulas, & pus abire.

Serum itaque albugineum præternaturalitèr acidum fieri probatur ab vlceribus, & à foveis satis profundis relictis. Nec non quia nervos irritando, eosdem quandoque ad crispalionem cogit, & epylepticos insultus excitat sopores aliaq; cerebri symptomata.

Absque eo quod ad tempus conquiescat variolarum fermentum, sufficet nobis quod à cœli constitutione. ab aere, & causis occasionalibus tale acidum malignum contagiosum promoveatur, quod plurimo sero albugineo nervoso abundantia corpora afficere tantumodo dirigatur, & non alia.

Natura etenim venenorum sive desuper immissorum per pestes, sive à

terra

terra erutorum, aut aliundè venientium eſt, inimicitiam particularem gerere, cum uno, & non cum alio, cum una corporis parte, & non cum alia quandoque.

Miaſma itaque atque variolarum contagium à corpore infecto aſſiduò per effluvia prodit, quæ ab aliis corporibus ſuſcepta diſpoſitis. (Videlicet exiſtente ſero albugineo nerveo in tali aut tali diſpoſitione) ſtatim diri veneni adinſtar, ſanguineam maſſam ad fermentationem cogit, in qua homogeneæ ac ſymbolizantes particulæ quædam concreſcunt ac vniuntur, atque in peculiaria cutanea coagula abeunt, variolas conſtituentes, aliæ vero ſecedunt, & liquantur.

Quare cruor ſuę mixtionis ſolutionem pati cogitur, & reſſolutis tenuioribus particulis, & butyroſa ſanguinis parte contaminata (ſero albugineo nerveo) puriores ſpiritus profligantur, & vita in magno diſcrimine ponitur.

Auxilia Febrium in genere.

Eligatur aer purus, ſerenus, temperatus. Qui ſi natura talis haberi nequeat, arte paretur. Frigidus autem, nebuloſus, pravis exhalationibus imbutus vitetur; nam poros occludendo, fræquens febrium cauſa eſſe ſolet.

Æſtate tamen, & in condictionibus valdè fervidis à Galeno in meth. cap 8. conclave terrę proximum ſummoperè commendatur, atque aquilonari vento perflatum, arte etiam refrigeratum (copioſa nive, gelidæ perfuſione &c.) modo æger medicis præceptis obtemperans ſit, & benè contectus ſine agitationibus permanere contentus ſit.

Non decumbant ſuper plumea ſtrata, ſed ſuper lanea tantum. Quæ etiam vrgentibus fervidis condictionibus corio inſterni debent.

Stratum ſpacioſum permittatur, ut cum ratio exigat, locum commodè mutare poſſint. Linteaminum paritèr mutatio permittenda eſt, rationabili cauſa facta, (contra vulgi opinionem irrationalem) modò benè exiccata ſint, & manibus prius optimè contrectata.

Hominum fræquentia vitanda, ad majorem corporis, & animi quietem. Pavimentum ſaltem perfundatur aqua, & aceto, vel aqua roſarum, aut floribus, & foliis vitis, vel aliis frigidis alibi recenſitis.

Pro potu ordinario, non diſplicet decoctum hordei, cum tamarindis, prunis, addendo pro libra una decocti, vnciam unam ſaccari, & guttulas ſpiritus vitrioli.

Aqua etiam ex ſantalo, & modico cinamomo parata, ingratum potulentum non eſt, pro nauſeantibus febrientibus, quibus magis quandoque arridet aqua putealis in qua plurimi ardentes carbones extincti ſint, veterum potio rationabilis, & proficua; nam lixiviali ſua quadam condictione, acidas corruptiones circa primas vias repertas, aliqua ratione emendare valet.

Delicatioribus verò julep. Alexandrinus ſufficere deberet, qui cum vtilitate gratiam conjunctam habet. Paratur verò pro ſingula aquæ fontis libra, admiſcendo duo, vel tres vncias aquæ roſarum, tum ſucci limonum, & ſaccari ana vncias duas, lentoque igne coquantur.

Selectiora adhùc exquirentibus noſtræ appendicis primæ tractatum ſecundum de potulentis ægrorum proponi-

ponimus, ubi amplum electionis campum habere poterunt.

Prout in tractatu primò varia obsonia febrientibus ęgris non ingrata reperient. Divinus etenim senex licet quibusdam superciliosus esse videatur in cibis offerendis in morbis acutis, attamen benè considerantibus indulgens esse reperietur, *Nam in 5. Epid. detestatur Herodicum qui febrientes interficiebat cursibus, luctis, multisque fomentis,* & ait. *Febris vero est inimica fami, luctis, cursibus, frictionibus, laboribus.*

Lactuca, endivia, & holeracea omnia in ardentibus, ac siticulosis febribus exhibeantur. Sunt tamen pauci alimenti, & copiosi excrementi. Idem dicatur de fructibus, de cucumere, pepone, cucurbita, anguria, pomis, &c. Nisi enim citè à stomacho elabantur, corrumpuntur, & pessimos liquores fermentativos generant, ut alibi ostendimus.

Vinum ut validum stomachi confortatiuum indicatur à virtute jam concidente. Vel declinante morbo, in quo per vrinas evacuandum esse intentio sit.

Imò in omnibus febribus post apparentia signa coctionis, ad vigorandas omnes facultates instauranda fermenta, & expulsiones moliendas oligophorum Galeni concedi potest.

Secus cruda materia existente, atque fermentis viscerum pręternaturalitèr omninò se habentibus, innata aciditate sua, deteriora facit, agitat, fundit, liquores, fermentat, & multarum calamitatum fit parens.

Amplexamur itaque *Io: Elmontij opinionem, qui in cap. de dieta,* in febribus, & acutis morbis sorbitiones securiores esse protulit. Quoties enim putrefactibilis caro, vel cadaverizabile alimentum in stomachum ingeritur, carens suo fermento digestivo, putrefit, nec digeritur. *Impura etenim corpora, quanto magis nutries, tanto magis lædes, ut observat Hipp. 2. aph.* 10.

Si ergo carnes febrientibus, atque cadaverizabilia obtuleris, acida peregrina, ac symptomatum augmenta expectabis. Si autem per potiones seu refrigerantes sorbitiones humectare tentaverimus, siti ægrorum magnum afferemus solatium, calori occurremus, atque ariditati obviam ibimus, nec non indigentiæ ac imbecillitati opem ferè poterimus.

Aversio enim carnium, quam febricitantes habent, & nidorosi ructus, præternaturalem calorem adesse significant, & naturale acidum fermentum deesse.

Experimur autem quam facilè sit, ut recens caro, pedi, vel pectori alligata fœteat, ac citissimam corruptionem subeat. Hinc est quod in febricitante, ac præternaturali calore æstuante stomacho, prouida natura verita, ne ingesta caro in primis viis corrumpatur, & cadaverizetur, illicò carnes aversatur.

Animi, & corporis quies omninò procuranda. Hæc enim juxta Cælsi doctrinam multos periculosos morbos sanare valet, nam fermentationes multas præcavet.

A frigidis actu, & potentia (nisi fervidæ condictiones vrgeant) omninò abstinendum erit, altas enim obstructiones, ac difficultèr solubiles parere possunt.

Frigida tamen quolibet tempore concedi poterunt in febribus, quæ tenuium sint partium, ut uitrioli spiritus, lapis prunellæ, canphura, & consimilia.

Sor-

Sorbitiones magis, quàm solidos cibos laudamus, quia per has afflicta natura citiùs reficitur, neque à pugna cum morbo distrahitur. *Faciliùs est enim r ci potu, quam cibo, ut monet Hipp.* 2. *aph.* 11.

Licet tritum, ac vulgatum sit, quod *in accessionibus abstinere oportet ex Hipp.* 1. *aph.* 11. Attamen nonnulla corpora, biliosa admodum inveniuntur, & exquisiti sensus, quæ magnum bilis cumulum circa naturalia viscera, & potissimum circa os ventriculi supernum in accessione congregant, quibus nisi aliqua lenis sorbiciuncula exhibeatur cujus mixtura præternaturalium liquorum asperitas demulciatur, in lypotymias incidunt, & horrendos vomitus, à quibus adeò concutiuntur, ut postmodum inappetentes contabescant.

Motum nimium febri inimicum esse cum Hippocrate superiùs reputavimus. Ad febres namque disponit, florem sanguinis absumendo, nec non quiescentia excrementa hinc inde sequestrata per caloris, ac spirituum agitationem erumpunt, inde sanguineæ massæ communicata, ipsam ad febrilem fermentationem cogunt.

Nimia tamen quies potissimum in febribus cronicis, & à materia crassa oriundis vituperatur. Per hanc enim crassæ particulæ quiescentes, magis incrassantur. Inde angustos tubulos magis obstruunt. Impediti, vel retardati liquores, ob moram acriores fiunt, sanguinisque massam magis turbare valent.

Somnus, & quies, in biliosis potissimum corporibus omni studio procuranda erit. Ideò ab opiatis, & anodinis medicus abstinere non debet. Per hæc etenim somno procurato sanguinis deflagratio, & incendium præcavetur, imò quandoque extinguitur, vel saltem mitiùs, & cum minori noxa deflagrationem suam peragere observatur.

Aquea vero refrigerantia, cruorem attemperantia, spiritus refocillantia, ut liquores acetosi vegetabilium, vel mineralium, vitrioli spiritus, nitri, salis, sanguinis æstum cohibendo, sitim extinguunt.

Per opiata adhùc, acuta succi pancreatici acrimonia, atque aciditas, nec non bilis lixivialis acuties attemperatur, vitiosique motus horum liquorum infrænantur.

Emulsiones ex quatuor seminibus frigidis majoribus, sunt visceribus æstuantibus magnum levamen. Sic tinctura rosarum in laxis visceribus, vel decoctum florum papaveris, in aqua plantaginis cum guttulis spiritus vitreoli, ad gratam aciditatem.

Potus multus in febribus, per se non nocet, imò prodesse solet, modo obstructiones non producat. Quod fieri potissimum solet, quando confertim, si actu potulentum frigidum assumitur, neque ingens sit æstus, qui ipsum refringat. Quare multi à febribus per frigidas potiones curati in cachexiam, vel hydropem delapsi sunt.

Securiùs igitur assumitur potus copiosior, qui tantillum aeri, vel soli exponatur, non tamen, ut tepescat, sed sufficiet, & actu frigidus non sit, eique guttulæ spiritus vitrioli, vel nitri addantur, ad celerem per angustos tubulos transitum.

Præsentibus verò vigiliis, vel vrgentibus doloribus, grana canphuræ exhibeantur, etiam pluries in dies. Effervescentias enim placidè sedat, & absque incrassatione obstruente, post

impetratam quietem tota volatilis perspirat.

Quoniam à nausea, & vomitibus venimus in cognitionem circa primas vias plura excrementa stabulari, atque expiatione indigere. Idcircò ab initio tutò exhiberi poterit vomitorium ex stybio, vt syrupus noster vomitiuus, vel infusio croci Rulandi, aut gr. iij. tartari emetici, Vel drach. 5. gillæ Theofrasti.

Ventriculus interim ob spirituum animalium torporem, languidam expultricem viscerum naturalium constituentem, tum ob caloris vitalis à corde influentis, & stomachi acidum foventis penuriam, in febricitantibus admodum imbecillis est.

Potissimum si per succorum præternaturalium mixturam depravetur, atque à statu naturali alienetur fermentum ejus acidum. Quare alimenta rectè conficere nequit, sed ea potius corrumpit, & sic flammæ febrili novam escam suppeditare videtur, ut sensit *Hipp. 7. aph. 65.*

Ideoque media quadam via incedere debemus, abstinendo quidem à carnibus, & à corruptibilibus alimentis. Sed ob stomachi languorem alterata juscula hordeata cum contusis in quibus acetosi spiritus semper instillentur, vel acetosa, succus citri admisceantur.

Interim cocleatim pluries in dies mixtura stomachica, & cordialis exhiberi poterit, ex conserva acidi citri, cum speciebus diamargaritonis, vel de hyacinto, ebure sine igne præparato, & granis duobus vel tribus canphuræ.

Digestiva etiam summo manè post somnum, vel circa auroram propinentur, quæ solent parari ex acetosis attemperantibus amarorem alcalicæ, bilis, vel cordis deflagrationem aqueis particulis extinguentibus, nec non coagulatos succos, obstructiones, vel stagnationes efficientes, fundentibus, ac liquantibus.

Cujus farinæ sunt aquæ destillatæ, vel succi depurati borraginis, acetosæ, cicorei, endiviç, lupulorum, & consimilium, cum guttulis spiritus salis, vel vitreoli, succi limonum.

Si verò de igneis acidis particulis circa primas vias indicia adsint, absorbentes magis pulveres testaceorum arridebunt, stybium diaphoreticum, terra virgo Mutinensis, bezoar tum mineralis, tum nativus, aliaque invaginantia acutos ignis gladiolos, & suo pondere ipsos aggravantia, ut sic minus mobiles, ac naturæ magis tolerabiles fiant.

In quo censu nitrosa etiam, & fixantia sulphura volatilia venire possunt, quæ validè præcipitant eadem à sanguinis massa, ideoque summoperè refrigerare observantur, quæ etiam cum sudoriferis, & canphura admisceri poterunt.

Inter verò tuta, & eximia sudorifera per vices exhibenda, est stybium diaphoreticum ex regulo antimonii paratum, vel bezoardicum minerale ad scrup. j. cum gutt. xij. spiritus salis armoniaci, in aqua cardui benedicti.

Verum si cum magno virium languore debilis appareat pulsus, depressus, frequens diaphoretica (potissimum validiora) suspecta esse debent, ne majorem particularum massæ sanguineæ dissolutionem faciant.

Quare si diaphoretica exhibenda sint, hæc fixiora, magisque temperata eligantur, ut sal prunellæ, oculi cancri nitrati, margaritæ.

Gra-

Graviter etiam peccare observantur illi medici, qui ut ægris gratificentur de virium imbecillitate querimonias importunas comminiscentibus, statim ab initio cordiales pulveres, & alia cordis conflagrationem majorem procurantia propinant, ægrosque in magnum vitæ discrimen adducunt.

In condictionibus valdè fervidis, externa auxilia refrigerantia, non inutilitèr vsurpabuntur, ut sunt hepati, lumbis, vnguentum refrigerans Galeni, rosaceum cum sale saturni, posca testibus repetitis vicibus applicita.

Si de obstructionibus clara testimonia perhibeantur china febrifuga ob amarorem, tum absynthium, gentianæ radix, tartarum vitriolatum, spiritus salis dulcis convenient.

Clysteria quandoque necessariò usurpanda erunt in febribus, ad ligatam siccitate febrili alvum solvendam. Quę tamen in febri potissimum æstuosa, ac intensa, sine oleo parata esse consulerem, sed lacte, modico butyro, & saccaro, vel decoctis emollientibus, ac laxantibus quæ etiam ad lactis teporem adducta imponantur. Olea etenim facile flammam concipiunt.

Ea intentione, ut massa sanguinea, & in ea serum albugineum ad naturalem crasim deducatur, viscerumque fermenta emendentur, ea exhibeantur, quæ blandam sanguinis in corde fermentationem promovendo, atque incrassatas particulas attenuando, ejusdem fæculentias segregant. Atque veluti pręcipitando ad emunctoria deturbant.

Propterea conducent acidiuscula tenui qualitate prædita, ut spiritus vitreoli, succus citri, sal prunellæ, tartarum vitriolatum, salia herbarum fixa. Cornu cervinum, oculi cancri.

Hæc etenim partim materiæ febrilis secretionem promovent, partim acida errantia absorbendo, sanguinis fermentationem, ac viscerum fermenta depravata, ac languentia restituunt.

Verùm ne hoc sæculo decantatorum pericarpiorum nos obliti videamur, inter neotericorum omnia tentantium febrifuga, pericarpia fiunt ex solis telis araneorum cum vnguento populeone, vel terebenthinæ modico.

Ipse vtor potius araneis ipsis, & oleo scorpionum. In æstu vero insigni regioni hepati, & pedum plantis, tincas vivas apertas applicandas curo. Vel cocleas contusas cum testis more aliorum pericarpiorum manuum pulsibus, sub genu, plantis pedum, & hepatis etiam regioni quandoque admovendas esse jubeo, & quidem semper tutò, & cum magno emolumento.

Quibus etiam auxilia tuta, & facilia placent, proponimus in febribus, chinam, perlas, & flores papaveris ana drachmam semis, sive in forma solida, sive in forma liquida, aut alio quocumque modo assumantur, intra unius diei spatium, per quinque dies. Raròque hunc terminum febrem transilire posse observabunt.

De china enim dicere possum cum Tenche, quod fælici hujus sæculi experimento febrifugum inventum est, ex vegetabilium familia, idque simplex, innocens, innoxium, omni constitutioni, ætati convenientissimum. Et potissimum quando timor est, ne accessionum violentia, vel occulta, atque maligna humorum indole, aut alicujus pravi symptoma-

tis

tis vi, corruere vires possint.

Tunc enim nulla expectata humorum concoctione, neque ulla facta præparatione, aut purgatione adhibeatur. Experientia enim detexit, quod qui crudis omnibus existentibus, præ symptomatum violentia, certis indiciis, ad mortis fores accellerabant, sumpto aliquibus vicibus hoc pulvere, sese à febrilibus invasionibus, & ab omni deleteria indole felici omine liberarunt, statim ab initio nullo solvente præmisso, aut alio.

Valet eque in morbis, in quibus insignis tenuium humorum fermentatio conspicua est. Ac in quibus ab acido incrassante, obstruentes, melancolici, terrestres humores dominantur.

Est enim amarum auxilium, alcalicum, siccum, subadstringens, tenuium partium. Quod aperit, attenuat, ressolvit materias crassas. Atque per alcalicarum particularum amplexum, acidas tenues sanguinis fermentativas particulas coagulare valet, & ab orgasmo deturbare.

Motuque idoneo sanguinem exagitando (naturali fermentatione procurata) prava fermenta ab eo seccedere, ac præcipitare facit, utilia, ab inutilibus separando.

Quatenus stypticum remedium est, humorum tenuium, mobilium motum reffrænare valet, ac viscera roborare. Hunc verò esse hujus medicamenti agendi modum, ab effectu colligitur. Cessante enim febre, si post aliquot dies purgans exhibeatur, febrilis insultus renouatur. Dum silicet materia febrilis, quæ ab utilibus succis separata quiescebat, impetu medicamenti ad motum invitatur.

Hinc est quod post sumptam chinam, & post febris cessationem, per mensem saltem ab omni purgatione cessandum est.

Experientia etiam nostra, & amicorum constat, quod securiùs servantur, & magis à recidiva tuti sunt, qui bis in die, videlicet ante prandium, & cenam in pauca quantitate ad scrup. I. vel paulò ampliùs chinam sumpserint. Hac enim paulatina exhibitione. Naturæ vis non infertur, sed ei tempus conceditur, morbificam materiam præparandi, & per aliquam sive sensibilem, sive insensibilem excretionem eliminandi absque recidiva.

Hac etiam arte in febribus continuis, & periculosis incedere possumus. Neque timeas quod tertia dies à prima chinæ exhibitione sit valdè molesta, ob motum natúræ expellentis, nam dies subsequens minus molesta observabitur, quinta verò adhùc minus, aliis verò diebus infebricitare reperies sensim.

Opiata etiam in febribus cautè exhibita magnam frugem præstare, semper observavimus. Ab opiatis enim succi pancreatici, tum bilis vitiosa effervescentia cohibetur. Opium enim oleositate sua aciditatem, & acrimoniam utriusque mirabilitèr lenit, ac attemperat. Somno verò, & quiete procurata, fermentationem preternaturalem coercet, & liquorum progressivum motum circulationis, tum internum fermentationis moderatur.

Quantum verò quies impetrata febri, & acutis morbis prosit, non ita facilè explicari potest, & *Cælsus de re med.* ait: *Multi, & periculosi morbi quiete curantur, & abstinentia*.

Inter verò blandiora, & securiora opiata est decoctum florum papaveris ad vnc. iiij. cum vnc. 5. syrupi ex flori-

floribus ejusdem, in postrema cœna. Vel emulsio ex seminibus papaveris, in aqua eorundem. Aut tinctura florum, & seminum eadem ratione concinata.

Papaveracea enim per somnum quantum sudoribus, & insensibili transpirationi conferant, satis superque Etmulerus omnibus patefecit.

Sudorifera verò in febribus magnam energiam habent obstructiones tollendi, febrile fermentum præcipitandi, acidos liquores præternaturales ad vias excretionum dirigendi, & sic febriles mineras evacuare, ac dissipare valent.

Palam enim fit sudorem gustantibus quod salinæ subacidæ particulæ per cutis tubulos, & glandulas miliares eliminantur.

Inter sudorifera debiliora, in febribus accommodata, salia sunt cardui benedicti, absynthii, scordii, tum eorum aquæ, vel decoctiones. His verò validiora sunt cornu cervi, viperarum pulvis, & horum sal volatile, tum theriaca, china pariter febrifuga in sudoriferorum catalogo recensendo spiritus vero salis armoniaci, pro arcano sudorifero venditatur.

Chinam itaque tum cum purgantibus, tum cum aliis sudoriferis, in febribus utilitèr usurpatam fuisse animadvertimus.

Validiora sudorifera qui expetit ad panaceam duplicatam ascendere debet cum oculis cancri, ad stybium diaphoreticum, bazoardicum minerale, quæ cum aqua cardui benedicti, vel cordiali Saxoniæ propinanda. Spinæ viperarum præparatæ. Cornu cervi philosophicum, margaritæ, oculi cancri, sal prunellæ canphura, tartarum vitriolatum, lapis bezoar. Sunt de genere fixorum, & minus massam sanguineam exagitantium.

Felici etiam cum successu sepiùs in febribus intermittentibus usus sum pulvere florum camomelli ad drach. j. cum vnc. v. aquæ florum camomelli, vel cardui benedicti, post prægressum rigorem, nam facto blando sudore, vel remittebat febris, vel repetitis dosibus fugabatur post tertiam, vel quartam diem.

In febribus æstuosis à materia tenui, mobili ortis, terra Virgo Mutinensis, quæ ex lapidibus calcinatis, per modum tincturæ elicitur, ac præcipitatur in eximium dulcificans. Tum quæ ab Exc. Hyeron. Alegro Veronensi paratur. Tum lapides cancrorum, aut margaritarum conchæ levigatæ magnas vires habent, ad acidas particulas errantes, seditionum internarum causas imbibendas.

Et sicuti isthæc turbidos liquores (ex. gr. vinum in doliis, vel spiritum vini in vitris) depurare certè posse observamus. Sic undique turbatam, ac tumultuantem massæ sanguineæ fermentationem, præcipitatione activarum particularum facta coercent. Inde amplexibus suis, ad expulsionum loca recrementa (ob tenuitatem, & mobilitatem naturæ refractaria) ponderosiora, & tardigrada facta deducunt. Et hæc potissimum in principio febrium exhiberi debent, in quibus ventris tormina, diarrheæ, vomitus infestant, aliaque dira symptomata circa primas vias manifestantur.

Ut ergo activæ istæ morbosæ particulæ coerceantur, margaritarum pulveres corallorum, terræ sigillatæ, rasuræ eboris, opiatis maritentur, ut sic stimulati, ac innordinatè moti spiritus animales demulciantur, atque ad munia sua pacatè obeunda deducantur.

Præ-

Præſente magna ſiti ac ſiccitate emulſiones ex 4. ſem. frig. repetantur, cum prædictis pulveribus, & lapide prunellæ in aqua, vel decoctione potiſſimum capitum, vel florum papaveris.

Omnique arte aquei inſipidi liquores copioſi, ad ſanguinis maſſam deducendi ſunt, qui culinas digeſtionum, à ſalibus acribus eluere poſſint, & ad ſudoris, vel urinæ vias ſecum rapiendo perducant, in quo ſemina melonum, & cucurbitæ excellere omnes fatentur, ſi cum ſale prunellæ acuantur.

Hoc etiam loco omittendum non eſt febrifugum Riverii, in febribus periculoſis, duplicibus tertianis, & conſimilibus. Et eſt facilis ac jucunda potio vnciarum ſex aquæ cicorei, cum drach. j. ſalis abſynthii, & ſc. j. ſpiritus vitreoli; quæ pluries, ad libitum reiterari poterit.

Amicus meus pulverem hepatum ranarum magna cum ſecuritate, & utilitate ſepiùs in die febricitantibus propinat, in cibis, in potionibus, & in aliis omnibus admiſcendo. Per vrinam enim fervidos febriles icores ducere poſſe obſervabat.

Diuretica verò refrigerantia ſemper cum fructu in febribus exhibentur potiſſimum ſi natura eo vergat, neque admodum copioſus ſit materię apparatus, aut liquores nimis glutinoſi. Tunc enim lapis prunellæ, ſuccus limonum, ſpiritus vitreoli, ſalis, nitri, aqua ſaxifraggiæ, cucurbitæ, ſemina melonum, lapides cancrorum, omnem paginam explerè poterunt.

Fræquentèr enim omnia cruda eſſe conſpiciuntur, vrina turbata, vires infractæ, neque per alvum, neque per ſudorem evacuationes moliri tutum eſt. Secus ægrum in magno vitæ diſcrimine ponemus.

Tunc ergo rem tutiùs peragemus dulcificantibus, qui quiete, ac inducias fermenteſcentibus liquoribus, ac tumultuantibus ſpiritibus impetrare poſſint, ut ſunt margaritæ, corallia, atque teſtaceorum pulveres fixiores, quæ tenuibus bilioſis ac volatilibus adverſantur.

Incipientibus acutis morbis, quoniam ratio methodica exigit, ut ſi quid movendum ſit, moveatur (*juxta Hippocratis doctrinam in 2. aph. 29.*) & potiſſimum ſi ad orgaſmum, & turgeſcentiam feſtinare obſervantur. Super cætera fortè purgantia tutiùs, jucundum magis non invenies pulvere Marci Cornachini. Qui ex ſtybio diaphoretico, & diagridio ſulphurato ana gr. xvj. & crem. tartari ſcrip. ſ. paratur.

Inſipidus equidem pulviſculus, qui in jure tepenti qualibet hora exhibitus (etiam ipſa acceſſione ingruente) felici ſucceſſu purgat non eſt enim de familia ſaccarinorum, vel fructuum corruptibilium.

Vel ad emetica in principio morbi, ac vigentibus crudis excrementis circa viſcera naturalia, tutum erit accedere, priuſquam per ignem febrilem liquata, & fuſa ad cordis penetralia, & ad vaſa magna admittantur.

Hac enim verè methodica arte purgandi ſtatim in principio dum orgaſmum pati incipit cruda in viſceribus naturalibus materia, graviſſima ſymptomata poſt purgationem imminuta fuiſſe, ſemper obſervavimus, atque levata ſarcina quibus onerata natura pręmebatur recto poſtmodum tramite ad ſanitatem feſtinare paucis aliis adminiſtratis, & abſque ſanguinis

guinis laniena, nos cum amicis nostris vidimus.

Pulvis itaque Cornacchini in principio, vel in declinatione particulari febris admodum convenire potest, methodicis sanè rationibus ab eodem auctore in libello de usu hujus pulveris conscripto.

Pro delicatis etiam, & pro iis qui nauseam, ventris tormina, & alia incommoda vitare procurant accommodatum auxilium est. De quo extat penès *Kergerum lib. de fermentatione judicium tale*: *Cornacchini pulverem fœliciter præ cæteris aliis adhibui; nam præter purgationem, aliquam præcipitationem, ac liquorum pravorum segregationem post se relinquit. Cumque in dejectoriis nulla fermè, vel exigua spes reponenda sit in febribus ante humorum præparationem, & concoctionem, uno excepto pulvere Cornacchini uti licebit, quo ad primarum viarum expiationem, & viscerum naturalium legitimam emundationem, medicamentum tutius, citius, & jucundius fortè non habet ars, ut Hippocratis, & principum medicorum rationibus satis convincentibus probat idem auctor in proprio libello.*

Febres etiam valido vomitorio exhibito (potissimum antimoniali) sæpè sæpius curantur, dum stomachus, & primæ viæ vomitu, & dejiectionibus emundantur, & copiosa bilis ab universis vasis emulgetur.

Emetica etenim ideo hæc mira operari observantur, quia dum ventriculum ad spasmodicos vomitus motus contrahere procurant, duodenum motu peristaltico inverso, versus pylorum contrahitur, inde bilis è meatu cholidoco contractione, atque pressura continuatâ exprimitur, ac in ventriculum effunditur, & sic vomitu rejicitur.

Qui si expeditus, & copiosus succedat, vexica fellea ferè omninò exinanitur, tubuli verò meatus colidici ab impetu vomitionum concussi ab infarctibus sese liberant, & emundati liberiorem liquori bilioso transitum admittunt. Et sic tenues salis, & sulphuris inflammabiles particulas bilis sanguineæ massæ confusas, febrilis fermentationis causas, hepar legitimum incerniculum bilis per vomitorii actionem depuratum, bilem feliciter secernit à sanguine, & sic remota causa, febris omnis removetur.

Pro delicatis verò, & qui longo tempore potius laborare eligunt, quam breves afflictiones unius (vel paulò amplius) horæ vomitus cum condictionibus biliosis, videlicet ætate, anni tempore fervido & aliis &c. more Turcarum, jucundissima potio parari poterit, sorbeti more ex mana vnc. iij. sale prunellæ drach. j. s. in aquæ communi lib. ij. Hæc enim aluum solvendo potentèr refrigerare consuevit, neque adeo promptè humores ad fermentationem deducit, ut saccarina.

Continuarum, vel intermittentium febrium auxilia, atque symptomatum.

IN principio febrium intermittentium (quarum mineram circa viscera naturalia esse reputamus) statim antimoniale vomitorium exhibeatur, & potissimum gr. iij. tartari emetici in jure, vel infusio gr. vij. croci metallorum in vnc. ij. vini albi, si robustus sit æger.

Sic enim fermentum febrile à sanguinis massa & à primis uiis felicitèr removeri poterit, sicque à nausea, vomitibus, gravitate præcordiorum, anxietate, & jectigationibus intra pauca momenta liberari poterit.

Mundatisque primis viis ab infarctu, & à viscida pasta obliniente, per concussiones ventriculi à vomitorio procuratas, commodiùs febrile fermentum liberè à conceptaculis suis efflvere poterit, & ad vias excretionum nutabit.

Fixiora absorbentia postmodum, infausto exitu non inviscabuntur à pasta viscida in ventriculo reperta, sed operam suam strenuè navabunt, adversus tenuia, mobilia bilis utriusque excrementa; sive oculos cancri, sive stybium diaphoreticum adhibeas.

Biliosi paritèr succi sine intermissione dilvantur, sero caprino, aquis destillatis, succis herbarum depuratis, & aliis notissimis, quarta vel quinta quaque hora adhibitis. Semper relicto spacio, ut ventriculus ad naturalem statum suum per aliquot saltem momenta pervenire possit. In quo statu, quiete sua perfruitur (videlicet quando excussa à se onerosa humiditate, membranosum, siccitate lætatur) vt benè notat *Hippocr. in coac. prænot.*

Calida, tenuia, amara potissimum in principio suspecta esse debent, utpotè fermentativa, & acria. In progressu, & declinante febre non sic, potissimum de pertinacibus obstructionibus si testimonia constent.

Hæc enim languidum, ac effætum stomachi fermentum, veluti sopitum excitare valent; ejus præternaturalia acida assumendo, & frigidas, oblinientes mucositates incidendo, abstergendo per absynthiaca, per radices gentianæ, per chinam febrifugam, carduum benedictum, & similia.

In declinatione paritèr sive universali, sive particulari, in qua emundatis primis uiis, spes sit futuri sudoris, stybium diaphoretium, bezoardicum minerale spiritus salis armoniaci, theriaca, aqua theriacalis, sales cardui benedicti, absynthii, scordii, cornu cervi philosophicum, salia demum volatilia cornu cervi, viperarum, & similia adhiberi poterunt.

Si turbatæ sanguinis mixtionis, & seditiosarum particularum pacationem molliri intentio sit per præcipitantia, ad oculos cancri, corallia, margaritas, ebur sine igne præparatum, stybium diaphoreticum, ad testaceorum pulveres, nitri spiritum, vel vitrioli. Ad chinam febrifugam accedere poteris.

Opiatorum vires in febribus nunquam satis commendari possunt, pro bile utraque edomanda, ac moderanda insignes. A cœna tempore somni exhibendo in primis blandiora opiata ut est emulsio sem. pap. vel decoctio florum papaveris rheados. Nam somno impetrato, spes est omnia ad naturalem statum deduci posse.

China in pauca quantitate, & paulò ante cibum exhibenda, rationibus proximè allatis.

Quibus opiata etiam cocleatim, & sępiùs in die offerre placent, canphuræ insimul granula aliquot intermiscere non displicebit cum hyacetino confectione, alkermes, margaritarum, vel concarum margaritiferarum pulvere, & aliis consimilibus.

Mercurius dulcis cum aliis solventibus mixtus, pro contumacibus obstructionibus tollendis satis commendabile auxilium est, quod glandula-

rum

rum infarctarum tubulos liberat, & fit serum nutritium nervosum ad statum naturalem deducere valet, suis depuratoriis optimè dispositis, atque adapertis, adeò ut quandoque hunc unicum sanatorem fuisse cognoverimus.

Vitentur interim alimenta dulcia, saccarina, melita, lactea, tum calida, aromatica, & quæ crassa difficilis coctionis sunt.

Somnus, & quies omni arte procuretur (etiam opiatis). Nunquam enim adeò felicitèr liquorum concoctio peragitur, ut in somno. Opiata præterea ad succi pancreatici aciditatem, & acrimoniam attemperandam, nullis auxiliis palmam cedere observantur.

Digestiva verò acetosa, amaram bilem attemperare, incrassatam massam sanguineam attenuare, ac fundere valent, factaque pręcipitatione sulphurearum bilis particularum, febriles effervescentias imminuere solent. Et sunt acidi spiritus salis, vitrioli, nitri, Sales herbarum fixi, & testaceorum pulveres.

In die intermissionis calidiora auxilia administrari poterunt, aperientia, deobstruentia etiam acuta, ut extractum centaurei, gentianæ, agrimonia, salia, absynthiaca, sal martis, panacea Ambaldina, tartarum vitriolatum, aliaque tartarea.

Sunt qui plurimum confidunt, in emplastro febrifugo Strobelbergeri, quod paratur ex telis araneorum, fuligine, terebentina, & ranunculo.

In pituitosis, & melancolicis febribus, ab incrassata pituita in primis viis facta, præ mora acredinem & aciditatem nacta, arcanum auxilium esse reperies decoct. florum camomelli vel aqua ejusdem, cum drach. j. florum camomelli pulverizatorum, manè per aliquot dies jejuno stomacho sumptum.

In declinatione quarumcumque febrium longarum theriaca per horæ quadrantem ante prandium exhibeatur, à quo viscera naturalia omnia ad benè & naturalitèr munus suum fungendo disponuntur, & corruptionibus omnibus adversatur.

In febribus verò continuis, periculosis, duplicibus tertianis, febrifugum Riverii tutum, & jucundum sine intermissione adhibeatur. Quod omnes fermè intentiones possidere videtur, deobstruendi, resistendi corruptionibus, præcipitandi ac impuros liquores à massa sanguinis separandi.

Paratur verò ex aqua cicorei vnc. iiij. cum drach. 5. salis absynthii, & scrup. j. spiritus vitroli, quod bis etiam in die propinari potest, manè, & vesperi.

In febribus acutis, continuis, vnguentum infrigidans Galeni, cum copioso sale saturni. Tum inunctio in regione renum cum oleo seminum papaveris. Posca vero Galeni testibus per lineas petias applicita iteratis vicibus, tuta, & non spernenda auxilia sunt.

Prout hepatum ranarum pulvis drach. j. cum aqua florum papaveris bis in die vsurpari poterit.

In quibus vero sudor expectatur, papaveracea vesperi propè somnum propinantur. Vel in frigidioribus condictionibus guttæ olei succini in aqua cardui benedicti. Vel denique granula salium volatilium viperæ, cornu cervi.

Loco balneorum antiquorum (de quibus frequens mentio est penes Avicenam, Ætium, & alios) in curatione

nè febrium à biliosis succis factarum, nunc utimur externis refrigerantibus, humectantibus, videlicet epythematibus, ex aquis rosarum, nympheæ cum speciebus triasandalorum aceto, & camphura, tum antedictis linimentis in regione renum, & frigidis fomentis testibus applicitis.

Succus etiam portulacæ supra stomachi regionem petiis lineis applicitus, tum ad vnc.ij. manè epotus cum tinctura florum papaveris in aqua portulacę facta, continuas ac vehementèr æstuantes febres pacare consuevit.

Rob de ribes, amarenæ conditæ, earum gelu sitieulosis febribus jucunda levamina sunt, cum aliis, quo capite de siti molesta exarauimus. *Hippocrates de loc. in homine. Febrientibus in potu dare acetum jubet aqua mixtum in talibus casibus.*

At in febribus longis oximel compositum exhibetur juxta varias intentiones variandum. *Lib. verò 3. de morbis* plurimas in febribus potiones recenset, inter quas vina sunt alba aquosa, ex passulis in aqua communi fermentatis (nos ex vua cretensi, vel Lipariæ insulæ tenuissimam, & urinam cientem potionem aliis diureticis admixtis alibi febrientibus utilimam parare monstravimus.)

Tum malis odoratis dulcibus contusis in aqua fermentatis. Vel ex malis punicis, aut cydoniis contusis in aqua fermentatis, generosum, & jucundum auxilium paratur in febribus vehementibus in quibus aluus soluta, vel vomitiones infestent.

Ad exemplum verò Hippocratis, ex omnibus fermè fructibus pro varia intentione in tractatu nostro secundo potiones utiles parari posse insinuavimus.

Riverius in lib. 17. cap. 3. in febribus tertianis aquam benedictam Rulandi proponit. Tum vnc. iiij. decocti florum camomelli hora una ante accessionem.

Pro quartana.

(OLim medicorum obrobrium quę post chinæ inventum, communem cum cæteris febribus causam habere monstravit, ab eodem enim auxilio fugatur) si quercetano fides sit hepatum ranarum pulvis, tum quartanæ, tum cæteris omnibus febribus à bile utraque oriundis magnum auxilium est.

Oleum scorpionum Matthioli regioni renum, tum cordis inunctum quartanę rigores, ac symptomata mitigat.

Ab aceto quartanarii, & ab acidis quæ melancolicos succos fermentare possunt, omninò abstinere debent.

A cruditatibus etiam ventriculi cavere summoperè debent, & ante quartanariam accessionem aliquot horis jejuni maneant.

Parcè verò semper bibant. Nihil enim equè hanc febrem magis contumacem reddere potest, quam nimia potus, & humidorum usurpatorum copia, à quibus stagnationes augeri, lien repleri potest.

Pulvere autem florum camomelli, cum ejus aqua exhibito, intollerabiles febrium rigores mitigari poterunt.

Medicina *Aristotelis in lib. 1 probl. 58. talis est. In quartanis febribus victus tenuis non fit. Exercitio utantur. In qua die accessio instat laventur. Somnus manè queratur. Victus ratio calefaciens sit. Aer itaque sit temperatè cali-*

calidus, & purus loci mutationem, & clymatis omninò procuret.

Ipse hac fretus auctoritate pluries abactam quartanam nunquam integrè ablegare potui, nisi postquam in itinere Bizantino lætissimo septem nobilium Venetorum Comitum Illust. Eccell. D.Io:Baptistæ Donati in Bebiis Bosinensibusque montibus ipsam reliquerim.

Cibi semper attemperentur, ac condiantur borragine, capparibus, cinamomo, croco, aliisque cordialibus attenuantibus.

Pro potu vinum medicatum tamarisco, corticibus fraxini, radicibus enulæ, polypodii, lignis sassafras, visci quercini. Sed potissimum sola stybii integri infusione.

Animi affectus omnes procul esse jubeantur, potissimum mœror, timor, cupiditas. Lucubrationes omnes arceantur. Hæc enim sanguinis florem, & animales spiritus vividiores absumere solent, relicto postmodum inutili crassamento.

Qui medicus brevi sese ab hoc cronico secus affectuexpedire cupit. Præmisso vomitorio in fine paroxismi bis, velter etiam, ex tartari emetici gr. iij. pro singula vice manè quatuor horis ante cibum. Pericarpium pulsantibus locis admoveat. Et gr.xij.chinæ febrifugæ cum granis totidem matris perlarum manè, & vesperi ante ciborum oblationem per plures dies, donec integrè cessasse observetur.

Acidum etenim illud præternaturale, quod in stomacho, liene, pancreate, & primis viis stabulatur. Atque sanguini per vices communicatur excitans in eodem febrilem effervescentiam, ut corrigatur, attemperetur, atque attenuetur.

Humores vero crudi, ab eodem coagulati, & viscidi facti, ut fluxiles reddantur, apti ut per vias convenientes eliminari possint. Visceribusque ac eorum fermentis labefactatis pristinus vigor ut restituatur, amara, calida, tenuium partium his omnibus intentionibus satisfacere possunt.

Inter quæ præcipuè china febrifuga amarore suo, aliisque admirandis condictionibus cęteris palmam præripere observamus. Per eam etenim, tum febrilia, tum viscerum exorbitantia fermenta citissimè restituuntur, ideòque appetentia stomacho, cordi vigor, animali facultati vires, citissimè restituuntur.

Valent præterea absynthiaca omnia, sal, conserva, spiritus, oleum. Tum myrrhata omnia. Tum succinata cum laudani opiati granulis.

Salis armoniaci guttulæ in contumacissimis induratorum viscerum obstructionibus. Theriaca verò prudentissima Galeni observatione declinante tantumodo quartana exhibeatur.

Extractum gentianæ præmissis aliis deopillantibus efficacissimum esse auxilium magnas quandoque parit alterationes. Prout alia multa auxilia in quartana efficacia, dum à muneribus suis aliquo obice retardantur, per moram acorem augent.

Ad frænandam aciditatem melancolicorum succorum in primis viis reddundantium, & sanguini dulcedinem, ac majorem tenuitatem comparandam absorbentia usurpanda erunt, inter quæ martialia excellere cætera auxilia in quartanariis, certis experimentis compertum est. Sive tinctura legitima martis deopilantis sit, sive sal martis. Sive tinctura antimonii.

Sic pariter tartarea auxilia multa parari possunt. Præterea fixorum absorbentium numerum complent testaceorum pulveres, concarum margaritiferarum, oculorum cancri, cornu cervini; Si autem ad magis penetrantia, magisque volatilia anheles salia volatilia cornu cervi, viperarum, succini, amplecteris.

Cessante tandem quartana, æger desistere non debet, ab assumptione pulverum diureticorum, à martialibus auxiliis, ab amaris aperientibus, salinis, splenecticis. Quibus integrè viscerum fermenta restituantur.

Ad viscera etiam integrè firmanda, acidulæ naturales suo tempore propinari poterunt.

In febribus continuis, molesta siti affligentibus ad bilis acrimoniam attemperandam, seu ad corrigendum acidum volatile igneum, ignitæque bilis particulas, papaveracea frequententur, tum ea quæ lympham, & insipidum liquorem serosum multiplicare possunt, ut aqua acetosæ, plantaginis, florum papaveris, portulacæ, scorzoneræ, tinctura rosarum, succus à cancris fluvialibus expressus, cum spiritu vitrioli ad gratam aciditatem, spiritu salis nitri dulci, sale prunellæ, conserva ex acido citri.

In febribus afflictiva cardialgia molestis, in quibus magna suspicio est, ne circa os ventriculi supernum sabura viscida, acris, biliosa subsit, exhibeantur statim ab initio vomitoria antimonialia; deinde ad diaphoretica accedes etiam spirituosa, (ut salia volatilia cornu cervi vel viperarum) opiatis mixta.

Hæc enim vltra quam credi potest viscida liquant, acidum coagulans absorbendo. Sic spiritus theriacalis canphuratus, cornu cervi philosophicum. Stybium diaphoreticum semper cum opiatis. Sic mater perlarum præparata cum laudano.

Pro ephemeris auxilia.

QUoniam à causis externis, ut plurimum provenire solent, idcircò aliquæ induciæ naturæ concedendę sunt, ut facta quiete, postmodum majora indicia habeantur de progressu, vel declinatione.

Victus itaque tenuis, refrigerans, humectans, restaurans exhibeatur. Juscula pullorum cum acetosa, portulaca; quibus addi potest aqua rosarum, succus granatorum pro condimentis. Sic vitella ovorum in jure dissoluta cum modico onfacio.

Nisi verò de inflammatoria affectione vereamur, vinum aquosum concedendum erit. Æstuantibus verò visceribus naturalibus, ventriculo, hepate, imponantur succus, vel decoctio portulacæ, rosarum cum onfacio, succo granatorum.

Quæ etiam actu frigida administrari repetitis vicibus poterunt. Ad sitim etiam molestam, æstum præternaturalem cocleatim assumi possunt dissoluta in aqua rosarum florum aurantiorum, totius citri, & melissæ confectiones alkermes, cum acido citri, & laudano opiato. Vel tinctura florum papaveris, aut eorundem decoctum cum syrupo papaverino.

In ephemeris etenim opiata valdè commendari debent; nam earum transitum ad alias febres certo auxilio prohibent.

Sic epithemata jecori ex aquis plantaginis, rosarum, vel aliis refrigerantibus

tibus, cum speciebus transandalorum, canphura.

Tum posca Galeni testibus per modum fomenti frigidi actu adhibita. Vel aqua florum aurantiorum cum accto rosaceo, vel succo limonum, & canphura.

Hecticæ febri auxilia.

AEr ad frigidum, & humidum inclinans eligibilior est. Cœlum quod morbum peperit omninò mutandum est. Ita ut si in tenui aere ægrotaverit, in aerem crassum æger se conferat.

Si in aere crasso, ad tenuem proficiscatur. Vel etiam si fieri possit per aliquot menses ad varia capescenda itinera promoveantur ægri.

Varius etiam animi, & corporis motus quantum his conferre possit, non ita facilè explicari potest.

Qui vero terrestre iter facere nequit, navem conscendat benè munitus necessariis.

Æstivo tempore in loco terræ proximo, & maximè à frigidis ventis perflato locentur. Pavimentoque aqua in qua copiosum halonitrum dissolutum sit perfuso, multi intra breve tempus sanitati restituti sunt. Inspersis etiam floribus, herbisque refrigerantibus, & aqua gelida aer ad frigidum alterandus erit.

Ad aerem plurimo halonitro refertum se conferant hectici, ut est aer Laureti, Adriæ, mari conterminus, ubi sint aquæ stagnantes. Non quidem æstate, sed hyemali tempore, (quando silent cynifices) pro istis cœli plaga salubrior non est; ubi omnes fermè hydropici moriuntur, nemo vero mortalium hectica labe contaminatur. Imò plurimos in hecticam pronos intra paucos menses convaluisse bona fide testor.

Æstivo verò tempore, aer eligatur frigidus, aura septentrionali perflatus, vel saltem temperatus. Ideò *Galenus* 10. *meth. cap.* 8. *æstivis temporibus ægrum in loco subterraneo collocare non veretur.*

Ipse in conclavi aqua gelida perfuso, vel in quo plurima nix, vel glacies in magno vase paleis cooperto servetur, frigidam de vase in vas transfundi juberem, cujus etiam sonitu somnus conciliari facilè posset. Tum hominum fræquentiam arcerem. Ne verò pori cutis constipari possent, aptis stragulis munirem.

Si autem hectica febris ab ulcere pulmonis proveniat, aer frigidus neque crassus humidus convenire potest, sed in activis temperatus, in passivis siccus. *Quos ægros Galenus mittebat ad Tabias, videlicet propè montem Vesuvium, vbi aer plurimo sulphure refertus siccior erat.*

Alimenta hecticorum, sint sanguinem edulcorantia, seu attemperantia, boni ac laudabilis succi, facilisque coctionis, & ad humidum potiùs inclinantiia.

Si autem stomachus validior sit, etiam alimenta solidiora exhibeantur, atque firmioris substantiæ, incrassantia dicta. In quorum censu, extremitates animalium sunt, testudinum terrestrium carnes, cancrorum, limacium, ranarum, ac piscium optimæ notæ. Quæ in languidioribus stomachis nisi in substantia, saltem horum decoctiones, & brodia propinari debent.

Pro delicatis etiam palatibus ex his pasta regalis confici poterit. Prout ex pulpis perdicis, vel saltem caponum cum amygdalis, pineis, &

quarta saccari parte circitèr.

Gelatinę etiam ex extremitatibus quadrupedum, vel ex piscibus optimæ notæ paratæ, his accommodata præbebant. Tum laticinia universa, butyrus, caseus ovillus recens.

Neque à viscosis, incrassantibus alimentis abstinendum erit, & ab his quæ humido glutinoso abbundantia, vbi partibus nutriendis agglutinata fuerint, non ita facilè à calore febrili absumuntur, sed solidarum partium exiccationem retardant.

Elixatæ testudines terrestres ad carnis consumptionem, vel ex his contusa, efficacissima sunt, his tamen viperarum carnium contusa efficaciora esse amicus meus expertus est, qui singulo quoque die viperæ unius carnem contusam, & in jure expressam per septuaginta dies tres deploratissimos hecticos, & unam matronam ab imminente nece felicitèr liberavit magna sui laude.

Carne pullorum columborum, viperarum, & amygdalis ana vnc. iiij. pineis vnc. j f. seminibus papaveris albi vnc. j. tragacanti vnc. f. cum saccari quarta circitèr parte, & aqua rosacea, in mortario contusis, optima pasta regalis parari poterit auro obducenda; ad uncias duas, vel tres cum cibis assumenda.

Pro illis, qui infirmiorem habent ventriculum gelatinæ, tum jura instaurantia parentur. Cum poplite ergo vituli, fæmur vervecis, pedes vitulorum, vel vervecum coquantur, cum modico succo limonum donec carnes ab ossibus recesserint, & modica sit juris quantitas, quæ percolletur, & exprimatur caro. In collatura verò dissolvatur saccari, cinamomi, & croci bona quantitas.

Æstiuo verò tempore magis refrigerans gelatina parabitur, si omisso cinamomo addatur limonum succus, vel citri vel onfacii.

Ptisanæ & hordei usus (adeo pro his à vulgo commendatus) in languidis stomachis rejiciendus est. Vi enim sua detersoria, cæteros etiam cibos, citiùs quam par sit à ventriculo deturbat.

Sed horum loco edulia ex ovis parata assumant, vel fercula ex pastà Apula, vel orizam dilutiorem, ac diù coctam. Jus pullæ cum ovi vitello quassatum. Grana mastiches hora ante cibum deglutita, ad ventriculi robur conferre possunt.

Manè (si fieri possit) duabus horis ante prandium surgant, in cubiculo ambulent. Mox à cibo hora transacta decumbant. Iterum ante cœnam surgant, & ambulent. Calor enim viscerum, & partium innatus seu spiritus à moderato labore vivificatur, & ad excrementa omnia dejicienda alacrior insurgit.

Nuclei pinei, pistacia, semina melonum, & papaveris emulsionum forma, seu lactis artificialis, tum pastæ regalis assiduò propinari poterunt.

Cautè vero testudinum carnes, limaciumque exhibeantur in languidis stomachis, nam crassi sunt succi, atque difficilis digestionis. Quare horum potius decoctiones, jura, & contusa securiora erunt.

Hoc loco etiam non prætereamus Galeni monitum in 12. meth. Quod hecticis adversissimus est austerorum usus, humiditates enim absumit.

Pro potu ordinario præstat decoctum chinæ cum passulis. Vel emulsiones antedictæ. Potulenta namque spirituosa, quæ igneis, inflammabi-

mabilibus particulis abbundant, minus tuta sunt.

Vinum tamen passularum fermentatarum Hippocratis commendabile est vel Avicenæ potulentum in tractatu secundo descriptum, aut aliud inibi refrigerando humectans eligibile erit.

Ad igneum calorem in volis manuum, & pedum plantis imminuendum, aquea exhibeatur, borraginis succus depuratus, vel endiviæ cum aquis, vel decoctis simplicium refrigerantium, hordei, cum succo granatorum dulcium, rubi idei, & aliis blandè acidis, admixtis etiam oculis cancrorum, magisterio saturni, canphura, non inutilitèr ad grana aliquot propinabuntur. Prout lac artificiale ex quatuor seminibus frigidis majoribus.

Ut autem acrior sanguis dulcificetur, & nutritioni aptior fiat, tum sanguinis effervescentia tollatur, margaritæ super cætera commendantur, tum crustaceorum pulveres, vel lapidum cancrorum, cornu cervi, terra virgo Mutinensis, stybium diaphoreticum.

Valent & aqua spirituosa vegetabilium, tum succus à cancris expressus. Magisterium, tum sal saturni. Inter leviora diaphoretica, rasura cranii humani, cum radice chinæ, & visci quercini. Magnifaciendæ vero semper passulæ sunt, quocumque modo adhibitæ, quæ adversus siccitatem strenuè pugnant. Neque attemperant solumodò liquores, sed nutriunt. Si cum acri ad pectus destillatione febris coniungatur chinæ portio cum carnibus coquatur. Tum jura alterata passulis, & seminibus papaveris contusis, & floribus papaveris rheados.

Sudorem in hectica noxium inhibet tinctura ex capite mortuo vitrioli, sale martis, & saturni præparata, antiphtisica dicta. Tum cretæ leniter incrassantes confectæ, ut confectiones cum bolo, tum gelatinæ ex fructibus modicè acidiusculis, ut gelu cydoniorum, vel rhibes.

Ad liquorum etiam acredinem attemperandam, præsente etiam phtisi, balsamus sulphuris terebenthinatus, tum guttulæ balsami Peruani inservire poterunt.

Pro delicatulis rotulæ conficiantur, ex floribus sulphuris, oculis cancrorùm, coralliis, margaritis præparatis, lapide prunellæ, cum saccaro in aqua florum aurantiorum dissoluto.

Tum electuarium ex conserva rosarum antiqua vnc. ij. conserva florum papaveris eratici vnc. j. cum speciebus diamargaritonis frigidi drach. ij. Misce.

Fluvialium cancrorum succi, expressa, contusa, vel juscula summoperè laudantur, ob admirabile alkali ipsis innatum, quo febrilibus igneis particulis adversantur, & in acrimonia salina destruenda nullis cedunt auxiliis.

Si vires deficere videantur, lacte perlarum utantur, vel saltem margaritis levigatis. Et aqua destillata pulmonum vituli assiduò utantur, tum aqua testudinum. Verum testudinum decoctum & limacium multò efficaciùs operabitur. Morselli etiam pectorales Scroderi capite de morsellis validi erunt.

Si ob frequentem sudorem vires concidant, & habitus rarior appareat, cutis densanda est, vt nativi caloris, & spirituum transpiratio cum liquoribus alimentitiis nimia inhibeatur.

Corpus itaque unguento rosaceo Mesve, multo alumine admixto inungatur.

Galenus etiam lib. de marcore in hectica ventriculi utebatur exteriùs omphacio, succo portulacæ, & mica panis. Quibus nive refrigeratis, duplicato linteo impositis, supra ventriculi regionem utebatur, tum supra hypocondria, donec teporem acquirerent, tunc iis ablatis recentes substituebantur, quovsque æger se in profundo refrigerari, atque à siti liberari persentiret.

Nostro autem experimento portulacam ori stomachi applicitam, omnem paginam adimplevisse observavimus; nam hecticorum absumentem calorem refrænat valide.

Verum vulcere pulmonum præsente, balsamo sulphuris terebenthinato, vel succinato utantur, tum vulnerariis potionibus, extractis, tincturis. Et succinatis preparationibus.

Chinæ etiam radix, in copia adhibita plurimum valere potest, ad excrementa siccanda, si potissimum à Cæltico tabo veniant, in quo casu decoctum meum capite de lue cæltica propositum cæteris fortè palmam præripere observabis.

Sed quod præcipuum in hectica febre esse debet auxilium (obstructionibus, ac cæteris impedimentis quantum fieri potest remotis), ad lactis usum, veluti ad sacram ancoram ægros deducere debemus. Lac enim faciliorem præ cæteris alimentis coctionem admittit, crassitie sua ventrem sistit, ac firmat. Copiosi est alimenti, & pauci excrementi.

Duo itaque sint nutrices, quæ etiam selectioribus refrigerantibus, & humectantibus alantur, tum vino dulci. Vel lac hauriatur ab asina hordeo benè pasta, & calens hauriatur. Deinde horis pomeridianis, quatuor scilicet à cibo, balneum aquæ dulcis, vel lactis, vel decocti malvarum altheæ, & consimilium instituatur, incipiendo à dimidia hora, & in dies progrediendo ad horam integram.

Quandoque tamen lactis usum suspendere cogimur, non quia ab acido præternaturali corrumpatur. Talis enim corruptionis signa non apparent. Sed quia impeditis viis. Vel laxitate, atque insensibilitate pylori, vel tunicarum siccitate intercipitur. Atque in ventricuio diutiùs hærere cogitur, inde necessariò acessit, vel præternaturalem induit qualitatem. (Celerem etenim postulat à stomacho effluxum, ne acescat) ideòque in ventriculo fluctuans, graves inducit molestias, & ejus usum intermittere cogimur.

Propinatur lac ad vnc. v. circitèr primis diebus cum cocleare saccari fini, sensim progressu facto ad vnc. x. Et hoc, manè quinque horis ante cibum, continuatis saltem 40. diebus. Deinde duabus circitèr horis ante solis occasum in balneum descendat æger aquæ dulcis, malva, violis, althea alteratum. Vel ex mero lacte, sitque tepens. In fine post ingressum lecti, universum corpus illiniatur oleo amygdalarum.

Si verò quandoque contingat, ut summo manè ventriculus cibo vacuus non sit, sed ructus infestent, illa die lactis usus, & balneum ommittatur.

Nullo verò modo fructibus horariis illudi permittatur (ut cerasiis, pomis, cucurbitis, melonibus) ut potè nullius alimenti, & pessimi excrementi, dum languido ventriculo præditi sunt. Sed potiùs pisces saxatiles, fercula ex lacte, testes animalium

lium concedantur. Sic copiosa, potissimum dulcia, & mel inhibeatur. Hęc enim à languido ventriculo non promptè secedentia, acescunt, & depravantur (à veteribus in bilem versi dicebantur) & sic ubicumque constiterint irritant, ac inflammant.

Verum lac apto tempore adhibitum, acrimoniam, mordacitatem, salsedinem pravorum liquorum demulcire potest. Atque ventriculi siccam intemperiem corrigere. Obstructiones humectare. Totumque substantificè renutrire. Nihil enim est in terra quod equè promptè ac facilè serum albugineum nutritium spermaticarum partium lapsum, & depravatum restaurare possit, ut lac. Quo quadraginta diebus utantur. Balneo verò viginti tantumodò nobis inassuetis sufficere poterit.

Imò in valdè emaciatis loco balnei duas sindones lacte benè tepente madidas, coriis instratis adhibemus non minori fortè utilitate. Vel linimentis ex pinguedine hædi odoratis pulveribus admixtis, & nervinis circa nucam, & universam spinam. A quibus satis felici omnine nutritio promovebitur.

Pro qua jus pullæ in quo caro viperæ contabuerit summo manè per 40. dies adhibitum cætera fortè auxilia antecellit. Pulli vero hecticorum ranis nutriantur, buffonibus, testudinibus, viperis, cocleis, pane contritis, contusis, & subactis, per duos circitèr menses.

Puluis etiam viperarum, oculorum cancri, margaritarum ana scrup. ſ. singulo die ante cibos propinari poterit ad nutritionem accellerandam.

Succus marubii, ad vnc. ij. cum passularum succo, tum hecticis, tum phtisicis utilitèr exhibetur. Sic oleum amygdalarum dulcium cum sperma ceti. Vel oleum expressum ex seminibus papaveris.

Viscera æstuantia, ungento sandalino, & copioso sale saturni, atque canphura illiniantur. Dorsum frequentèr lacte muliebri, & oleo violaceo. (Sed consilio nostro nervinæ blandæ inunctiones omnibus in hoc negotio prævalent) vel papaverino inungatur.

Quantum verò ad impinguandum papaverina quæcumque conferant alibi declaravi. Impetrata enim quies per somnum succos universos attemperare, spirituum copias augere, & sic fermenta, ac fermentationes omnes rectificare, dirigere, ac lapsas erigere potest.

Capiti, & glandulis cerebri super cætera prospiciendum erit, vrgente destillatione. Quare sine decoctis vix boni aliquid assequi poteris. Deinde ad papaverina securiùs accedes.

Si autem quandoque media incedere cogamur via, accipiemus cancros decem. Quibus coctis, & mundatis affundere debemus lac caprillum vel bubulum, omnibusque in mortario contusis, ac agitatis, per linteum succus exprimatur, admixta vnc. ſ. saccari candi pulverizati. Somnus pane martio concilietur parato ex amygdalis, seminibus papaveris albi, & quarta parte saccari, quo innoxiè longo tempore uti poterit, cum multo nutritivę potentiæ emolumento.

Adversus malignas, & Pestilentes febres auxilia.

SIve maligna febris, sive pestilens ægrum infestet, commendabile est, ut aer ignibus accensis corrigatur. Potissimum si ex lignis juniperi, & aliis odoratis paretur. Secus suffumiggia alibi in libro de tuenda valet. indigitata eligentibus parata erunt.

Æstate tamen frigidis potius odoramentis aer alterari debet, aqua rosarum, aceto rosaceo, rosis ipsis inspersis. In ædibus verò suffumiggia ex sulphure, vel saltem ex copioso pulvere pyrio fræquentèr accenso, vel ex aceto copioso in quo radices odoratæ ebulliendo evaporationes emittant, inutilia non erunt.

Si quis aeri libero, atque per loca infecta sese exposuerit, appareantque aliqua susceptæ luis indicia, vigil per sex horas post saltem permaneat. Somnus etenim ad cor venenatas particulas faciliùs admittit quam vigilia, quæ magis ad circumfetentiam pellit, & difflat.

Tempore pestis, obsidionis, ingentis annonæ caritatis, & fames, & quando hùc illùc vagari ad coemenda necessaria non datur. Publica verò necessitas cogit anonam cum aliis partiri. Paratam habeas bonam quantitatem colę Teutonicæ claræ, ex qua paratæ nutrientes valdè gelatinæ, aromaticis, variisque saporibus imbui poterunt.

Copiam etiam succi liquiritiæ densati, qui vilis pretii est, sed magnum habere usum, & copiosum præbere alimentum, in consimilibus necessitatibus tum pro alimentis, tum pro potulentis admodum inserviendo.

Ossibus etiam in quibus medula contineatur instructus sis, ex quibus contritis non inutile alimentum elicitur. Qui scrupulosè tunc etiam jejunare volunt caricis, passulis, amygdalis, limacibus, testudinibus, anguillis salitis vel fumo induratis stocfisio instructi sint.

Divites verò copiosis ovis, candellis oleo butyro, & pullis domesticis omninò abbundare procurent, ac præ manibus habeant biscoctum & vina, absque eo quod admittant servos, qui hùc illùc ad necessaria conquirenda vagantes, domum, & hærum peste inficiant.

Ægris peste contaminatis nullæ carnes exhibeantur, neque ova, neque pisces. Unoque verbo ab universis facilis corruptionis arceantur. Sed tantum jusculа acidis alterata propinentur. Aliaque potulenta acidiuscula in tractatu secundo indigitata.

Et quoniam in omni febre, sed potissimum in pestillenti, stomachi fermentum pessundatur, & digestio depravatur. Ideò cibi pauci offerantur; sed horum loco largior potio, & crassior concedatur, ut est cremor ptisanæ dilutus, & contusa. Semper tamen acidis admixtis. Hæc enim corruptioni, & malignæ qualitati oppugnandæ idonea maximè sunt, ut acidum citri, spiritus vitreoli, salis dulcis, nitri, & alia &c.

Sepè, & modicè cibentur ægri quorum vires infirmæ sunt, cum humorum corruptela; *docet Galenus* 1.*aph. com.* 19. Ideoque post quartam, vel quintam horam aliquid his exhibendum, ut saltem blanda assumptorum miscella, liquorum pravorum acuties retundatur, neque adeò exaltari permittatur. Per longa etenim jejunia acuuntur, atque magis exasperan-

ſperantur quæ acria ſunt.

Potus ſit decoctum ſcorzoneræ cum cornu cervino, & modico citri paratum. *Crato lib.* I. *cap.* XI. ad ſydera tollit aſſiduam potionem aquæ acetoſæ in qua cornu cervinum decoctum ſit. Vel gelatinas ex eodem cornu cervi paratas.

Uſus verò intensè acidorum, ac fermentantium in his febribus omninò tutus non eſt. Sed temperatiora decocta, ut ſupradicta, tutiora perhibentur. Tum emulſiones amygdalarum. Jo:Elmontius theriacam in vino diſſolutam; imò cum ipſo ſpiritu vini propinat. Tum potum meracioris vini commendat, ad hilaritatem vſque.

Verùm præſentibus condictionibus valdè fervidis, hujuſmodi ſpirituoſæ inflammabiles potiones minus tutò vſurpari poſſunt. Imò ſicuti expectatus ſudor, ab his ſupprimi ſolet, ita copioſo hauſtu ad libras aquæ meliſſæ, acetoſæ cum ſpiritu vitrioli, felici ſucceſſu per ſudores copioſos ægri ſublevati fuere.

Et hac etiam ratione effectus ſubſequuti ſunt de frigida à Galeno decantati, abſque eo quod in frigidæ pericula incurrant ægrotantes. Promptè enim per ſpiritum vitreoli prætérlabitur, & ſecum diluta ſalia infeſtantia in primis uiis reperta, ad loca evacuationum rapere valet. Modo contumaces obſtructiones non obſtent, quarum cauſa vrinæ paucæ, & percolatæ obſervantur.

Pro delicatis verò, & pro ijs quorum magna eſt virium exolutio, accipias aquæ roſarum, naphæ, acetoſæ ana lib. j. ſ. & cum ſyrupo de ſucco limonum, tum granatorum ana vnc. j. ſ. confectionis alkermes drach. j. miſce. Nam de hac potione frequentèr per hauſtulos aſſumi poterit.

Decoctum cinamomi, in aqua cordiali cum ſpiritu vitrioli jucunda, & apta potio erit. Sic quæ parantur potulenta ex portulaca, borragine, pimpinella, acetoſa, citrio integro, vel ſeminibus citri decocto radicum ſcorxonerę, ſcordii, pentaphili, plantaginis. Verum inter levia, & tuta ſudorifera flores papaveris decocti eminent.

Acida verò ſubauſtera negligenda non ſunt, præſentibus ſignis magnę effervescentiæ, ac ſanguinis ebullitionis, qua mediante conſtituentes maſſam ſanguineam particulæ, ab invicem ſecedere coguntur. Ideoque moleſtas diarrheas quandoque concitant.

Uſurpari idcircò poterunt cydoniorum præparationes, ac ſucci, tum malorum aurantiorum, malorum punicorum, onfacii, ac conſimilium, à quibus ſanguinis conſiſtentia priſtina ſenſim reſtitui poſſit, facta decenti incraſſatione.

Vini odor vires admodum recreare valet, potiſſimum ſi panis fruſtula aſſata in vino odoro, & aqua roſacea macerata, naribus, & foſſulæ pectoris applicentur.

Jucundius tamen auxilium Elmontii in peſte eſt, adverſus imaginationis terrorem ſeu Archei excogitatum. Videlicet vini meri potio ad hilaritatem, & non ulteriùs. Tunc enim nemo pauper eſt, nemo timens, juxta Ovid.

. . . . Tunc pauper cornua ſummit.

Nos vini uſum moderatum ſuper cætera fortè commendamus. Ob vim inſignem cardiacam, venenis, tum malignæ qualitati contrariam. Ideoque Baccum palmite vitis viperam

occi-

occidisse fabulantur. Inter securiora itaque alterantia, juscula sunt acidis temperata, quæ fermentum stomachi fovere solent & facultatis naturalis robur vigorare, sua volatili aciditate ad penitiores vias perveniendo, & angustos tubulos permeando, sanguini meliorem consistentiam conciliando, sulphureas biliosas particulas præcipitando, tum ad vrinæ ac sudoris vias molestantia excrementa ducendo.

Nouum autem non est in fructibus aciditatem volatilem reperiri. Omphacium etenim quandoque parietibus appensum servavi, tum immaturos fructus, quos intra paucas hebdomadas, omninò exuccos reperii. Sic poma acidiora igni apposita, citò evolare observavi. Non sic in vua & fructibus maturis evenisse vidi.

Digestivorum etiam nomine veniunt, quæ ex acetosis pulveribus, vel salibus parantur, inter quæ cremor tartari, sales herbarum fixi, sal prunellæ, spiritus salis, vitreoli, & hujusmodi. Quæ viscerum fermenta languentia, atque sopita restaurant, ac suscitant. Sanguinis, fæculentias præcipitando, ipsum depurant. Et morbificas particulas secum raptas ad exitum deducunt. Sal itaque prunellæ ad febrilem calorem, & siccitatem molestantem mitigandam, celebre auxilium est, quod diaphoresim etiam promovere solet.

Acidula aqua cordialis Saxoniæ super cæteras prærogativam optimæ habere videtur. Sicuti validè pestillenti veneno adversari creditur lapis bezoardicus, cornu cervinum, trochisci viperini. Gelatina cornu cervi.

Refrigerantia, tum acidiuscula, in magno æstu, ac febri vehementi, siticulosa adhibeantur. Calida vero, & diaphoretica febre jam remissa tutò adhiberi possunt. Vel quando sine magno symptomatum tumultu, maligna qualitas est, quæ præcipuum negocium facessit.

Mirrham in vino, vel elixirem proprietatis Paracelsi, ex myrrha croco aloe commendamus. Prout canphuram quolibet modo.

Sic aquam florum aurantiorum, succum, decoctum vel aquam pimpinellæ, succum citri, vinum granatorum quolibet tempore. Crolius flores sulphuris, oleum sulphuris, balsamum sulphuris terebenthinatum vbique commendat.

Universali consensu, magna vis perlarum est in febre maligna. Perlarum verò preparatio eadem esse debet, ac corallorum, videlicet calcinatione non indigent, (ut putat Quercetanus) imò neque ad pollinem exquisita trituratione egent. Nam integræ existentes, & absque longa digestione facta in loco calido, acidis menstruis obedire observantur.

Idcircò *Riverius lib.* 17. *cap. de febri pestillenti ait*: *Perlæ in pulverem reddactæ, si in liquoribus acidis infundantur eorum liquorum acrimoniam tollunt*. Et certum est perlas intus assumptas humorum acrimoniam, & malignam qualitatem demulcere, atque ad temperiem deducere. *Paracelsus verò in cura contracturæ protullit*: *Nihil est quod magis sit auro potabili propinquius, quam perlæ*.

Riverius lib. 17. *cap.* 2. Spiritum vitreoli vel Veneris ad sydera tollit, ob insignem refrigerandi, ac aperiendi facultatem; putredinosis vermium apparatibus resistendi, humorum inflammationem prohibendi, ac sitim sedandi. Sed super cæterarum facultates

tates

tates crassam pituitam vasa obstruentem incidendo, atque à ventriculi parietibus ipsam excutiendo, ac liquando, miram operam in universis febribus navare solet.

Vitriolum ipsum crudum conservare exiccanti sua conditura corruptibiles carnes humidas certum est. Et qui curant, ne fracidæ carnes fiant, stylis æris ipsas configunt.

In mulieribus ad vteri confortatiotionem semper laudabile est oleum succini cum medicamentis, aut alimentis semper admiscere.

Rationabilis contagiosæ febris cura erit, ante cætera omnia tentare (integris ab initio existentibus viribus) ut per antimoniale emeticum, excrementorum sarcina deponatur circa ventriculum, & primas vias stabulans, quod etiam simul sudoriferum esse solet.

Deinde singulis horis exhibeantur mixturæ cordiales sudoriferæ cocleatim, donec sudor erumpere observetur, potissimum ex stybio diaphoretico, bezoardico minerali cum aqua cinamomi, confectione alkermes, & consimilibus.

Transactis verò primis diebus vomitoria inutilia fermè sunt, imò deiectoria vniversa. Per febrilem enim calorem, ac ebullitionem attenuata excrementa, ad intimiores sedes viam sibi faciunt, neque in primis viis stabulantur, ut antea.

In albo sudoriferorum malignis, ac pestilentibus febribus accommodatorum reponimus theriacam, discordium, cum vini spiritu, tum stybium diaphoreticum, radicem contrahiervæ, angelicæ, tormentillæ, folia cardui benedicti, scordii. Ligna guajaci, juniperi, ejusque baccas, lignum sassafras, lapidem bezaar, hystricisque & cornu cervinum.

Verum ratione febrilis caloris intensi, sudorifera calidiora tuta non sunt. Sed tutiora sunt bezoardica fixiora, atque temperatiora, ut bezoardicum minerale, stybium diaphoreticum, nitrum antimoniatum, & alia quæ cum vi sudorifera, alexipharmacam virtutem possident, corruptionibus resistendo, inter quæ theriaca, magnæque anthidoti, mitridatum, diascordium Fracastorii, tum medicamenta ex sulphure, tum viperina universa.

Margaritarum & corallorum vis, tum oculorum cancri reputanda est, nec non cornu cervi, & lapides bezoardici. Sed potissimum in succinatis vim blandam sudoriferam invenies, tum in canphura, magisterio saturni & Iovis.

Omni igitur arte post vomitum procuratum, sudor tentandus cum decoctione foliorum cardui benedicti, scordii, hysopi, absynthii in vexicis juxta cubantem ægrum positis. Vel tegulis fervefactis in eadem decoctione, aut ignitis atque vini spiritu irroratis.

Vel laudabili satis forma, unciis tribus circitèr spiritus vini optimi in scutella accensis, subelevatis stragulis repositis, felici eventu intra pauca momenta sudor provocabitur.

Experientia verò docuit, raros ęgros copiosè post vomitum procuratum sudantes interiisse.

Consultum sit itaque ut sudor omni arte procuretur, antequam 12. horæ à prima morbi invasione præterlabantur, potissimum per stybium diaphoreticum, nam per sulphur suum mite, sanguinem mundificare valet, & vi sua absorbente miro modo at-

tem-

temperando quodlibet acre in sanguine, ipsum ad exitum deducit.

Qui verò calida diaphoretica intentionibus suis accommoda requirit, ut à centro ad circumferentiam veneficos torpentes liquores pellat, ad theriacam accedet, ad radicem dictami, angelicæ, zedoariæ, tum ad carduum benedictum. At qui ingens alexipharmacum sudoriferum exquirit, quod temperatum sit, viperæ carne exiccata utatur quocumque modo.

Monitu Crolii in peste gutta succini naribus affricetur manè, & vesperi. Verum peste jam correpto propinetur ad scrup.j. vel scrup.ij. in aqua cardui benedicti.

Et quoniam in solis diaphoreticis magna spei pars reposita est. Ideo validè refrigerantia sicuti in febre maligna quandoque salutaria reputamus. Ita in febre pestillenti, ferè semper lethali periculo plena adiudicanda sunt.

Ex horum namque cadaverum dissectione. & symptomatum observatione innotuit, quod ferè semper, ex sanguinis coagulatione intereunt.

Idcircò diaphoretica apta nunquam satis laudari possunt, utpotè quæ pleniùs à toto evacuare possunt. Tum sanguinem exagitando, cordisque fermentationem augendo, ipsum à coagulatione vindicant. Et dum fermentatos ac sequestratos liquores à centro ad circumferentiam deducunt, venenata fermenta, sanguinisque ac liquorum omnium corruptelas procul a corde arcent.

Qui itaque elixir pestilentiale optat, quod in peste Neapolitana, & Romana celeberrimum fuit, accipiat vini spiritus optimè rectificati, libras tres, theriacæ optimæ lib. ʒ. myrrhæ vnc.ij. contrahiervæ vnc.j. dictami, scordii ana vnc.ʃ. canphuræ drach. ʒ. mixta omnia, in loco tepente, vel ad solem per octo dies reponat.

De hoc assumat æger vnc. j. circitèr, ac probè tegatur. Et hoc quatuor horis ante cibum. Est enim sudoriferum auxilium, nullis secundum, quoniam sua activitate, acida narcotica, stupefactiva debellare valet. Pestis verò, quæ coagulationes, torpores liquorum, ac spirituum inducit, per vini spiritus removentur. Stupefactiva etenim per aromata ad motum impelluntur, & incrassata discutiuntur,

Riverii decantatissima sudorifera si quis habere anhelat. Hoc loco descripta suscipiat. Nam parantur ex stybio diaphoretico drach. ʒ. bezoardico minerali scrup.j. bezaar orientali scrup. ʒ. lapide prunellæ gr. xv. canphura gr. v. misce. Cujus dosis erit scrup.j. Sudoriferum ejusdem alterum est, ex bezoardico minerali scrup.j. sale prunellæ drach. ʒ. canphuræ gr. vj. pro dosi una capiendam, cum aqua cardui benedicti. Quo etiam repetitis vicibus utitur manè silicet, & vesperi per duos vel tres dies, donec sudor appareat.

Cornu cervi potissimum philosophicum à multis celebratur. Universalitèr enim sudores provocantur copiosi, à rebus sale volatili constantibus, vel à præcipitantibus acidis.

Primi generis salia cornu cervi, viperarum, vrinæ volatilia cæteris palmam præripiunt. Secundi generis spirituosæ aquæ acidulæ sunt, inter quas cordialis Saxoniæ spiritu vitreoli vel salis dulcis acidula facta. Nec non quæ ab hallonitro acidiuscula auxilia petuntur.

Gilla Teophrasti in peste, ac venenis

nenis celebre auxilium est. Paratur verò vitriolo soluto in aqua filtrato, & coagulato. Vel aptiori fortè artificio accipiendo merum vitriolum es continens expositum solaribus radiis mense Iulii.

Aut necessitate vrgente cum Zefferiele Bovio accipias vitriolum Romanum ad drach. j. illudque in jure dissolve, intra enim pauca momenta ab assumptione vomitu facto, universas pituitosas, vel pravas materias in ventriculo, & primis viis repertas evacuat, & omnibus corruptionibus adversatur, stypticaque sui natura fores venenis precludit, ne ad cordis penetralia progrediantur.

Sic etiam *Riverius observavit Cent. 4. observ. 99.* naravit quod: *Quidam cui demandata fuerat cura tertiæ partis vrbis peste afflictæ omnes ferè curavit exhibito vomitorio ex drach. ij. cujuslibet vitrioli, mellis unc. ij. & aquæ communis unc. vj. simul mixtis. Statim enim ac illud exhibuisset, apparebant signa morbi imminentis, vel præsentis. Vixque decem vel duodecim obierunt in sui parte, cum in aliis partibus pauci evasissent.*

Si itaque quis peste corripiatur, quam primum ad vitriolum vomitorium sumendum festinet, vel saltem ad aliquod stybiatum emeticum (ut tartarus emeticus vel crocus metallorum) deinde post sex circitèr horas per diaphoretica sudorem procuret, fræquentèr in hora assumendo, quæ vim etiam alexipharmacam habeant, donec tandem exanthemata, vel antraces, aut copiosos sudores erumpere observet.

Si autem exanthemata, antraces, sudores, bubones, aut alia jam eruperint ab omni vomitorio abstinebis. Atque in solis diaphoreticis totam spem reponere debebis.

Secus pro vomitorio antipestilentiali vitriolum in primo loco eligas juxta consilium Paracelsi qui gillam suam emeticam jure meritò extollens vitriolicam naturam & vim ejus describit sic: *Si vitreoli acidum, mucilaginem in stomacho obviam invenerit, eam liquat, purgatque gilla melius quam helleborus vel cataputia, ob acetositatem cum acrimoniam coniunctam, & detersione valida. Quam acetositatem salsam non possidet helleborus, neque alia. Ideoque ad internos morbos duplo præstantior est cæteris purgantibus. Si autem cholericos liquores in primis vijs adjnveniat, mutua fit ebullitio, ac lucta, non secus ac ab aqua forti, & tartaro, factoque invicem amplexu per aluum dejiciuntur.*

Præsentibus jam pestilentis infectionis indiciis. Atque antracibus vel bubonibus apparentibus, ut virus integrè hauriri possit, optimum consilium est, ut tres vel quatuor sanguisucæ in ventosa angusti orificii impositæ supra doloris, & incipientis tumoris locum applicentur. Atque sanguis quantum potest exire permittatur.

Si vero adhuc tumor magis manifestetur, vel carbunculus, deplumato pullo sub cauda, ac desuper podicem tantillo salis optimè contriti conspersi (ut irritatione facta podex magis contrahatur, concutiatur, atque ad se faciliùs venenum pestilentiale hauriat) super locum doloris, ac tumoris applicetur. Qui pullus etiam intra unum vel alterum minutum mori consuevit. Ideòque pullus alter eodem modo applicari debet. Et sic recentes pulli, donec postremus applicitus non moriatur. Evenit etenim, ut

quandoque quatuor, imò quinque, & sex pulli moriantur, antequam liberetur æger à virulento pestis miasmate.

Inter externa applicita, fotus cordis, & viscerum commendantur, aqua florum aurantiorum, totius citri, melissæ, rosarum ana libr. j. aceti ros. unc. ij. vini malvatici vnc. j. specierum cordialium drach. j. misce. Oleosa enim, & poros oppilantia suspecta sunt.

Sic fotus genitalium cum confectione alkermes dissoluta in aqua florum aurantiorum, & aceto validum confortatiuum, & rationabile auxilium est.

Cauterizare oleo caustico meo super emunctoria (etiam post aures) ad invitandam naturam ut eo loci malignas infestas particulas expellat, validum, securum, & certum auxilium est.

Oleo scorpionum Matthioli inungere cordis regionem, & loca universa pulsantia, hoc sæculo per repetita experimenta innotuit efficax esse auxilium pro venenatis, malignisque affectionibus.

Sicuti hoc sæculo pariter constat limaces cum testis suis in mortario contusos, atque pedum soleis applicitos, nec non carpis manuum, ac sub genu, esse efficacissimum super cætera pericarpia, quæ à neotericis excogitata leguntur, pro malignis, & pestilentibus febribus debellandis.

Interim qui magna, & longa annorum patientia fistulas, vlcera, vel etiam fonticulos, aliaque abhominanda emissaria gerunt, pestilentiæ tempore securiùs se degere jactare possunt, & re vera, si quandoque inficiantur ad illam partem celeris transmissio subsequetur,

Si qui autem præservandi rationem efflagitent, dicimus quod caustico nostro minerali (vel etiam alio) quatuor cauteria sibi inuri procurent, seu quatuor vexicantia aperta pestilentis temporis curriculo detineant.

Verum commendabiliora reputamus quæ ex antimonio, auro, mercurio, sulphure, vitriolo, arsenico &c. parantur. Quia dum tali arte præparantur, ut ab expultrice nostra irritata vinci ac depelli possint. In hac lucta, ac irritatione, virus etiam pestilentiale expellere natura edocetur, & læthalia fermenta debellare postmodum aggreditur.

Multi præservati sunt, sumptis manè in ovo sorbilli gr. vij. florum sulphuris. Aliis profuit coclear unum, vel alterum oximelitis squillitici, vel aceti infusionis carlinæ, vincetoxici, angelicæ, zedoariæ.

Aliis guttulæ spiritus vitrioli, salis, vel sulphuris, vel nitri in jure prophilactica auxilia fuere.

Prout aliis acidi fructus potissimum citria, onfacium, mala punica, cydonia, rhibes &c. cum alio liquore diluta ac attemperata valida adversus pestem propugnacula fuere.

Potiùs tamen manè jejuno stomacho, conserva rosarum, vel acidum citri conditi, aquæ cordiales ut Saxoniæ, citri, cum spiritu vitrioli acidulæ factæ commendabiles nobis videntur.

Vel ut verum fateamur, majorem confidentiam habere debemus in vino generoso modicè, atque ad hilaritatem sumpto, tempestivisque horis facto prandio, videlicet non expectata magna dilatione ad serotini meridiei tempus, sed tertia vel quarta hora ab orto sole, quando jam fames se manifestare incipit, neque ventriculus

culus ad integram inanitionem pervenire concedatur, sic enim ab externis advenientibus magis tutus erit, validiorque propugnator auversantium veneficorum corpusculorum erit.

Valdè etiam decantatum est acetum, cum angelicæ radice, carlinaque à Carolo Magno Imperatore dicta, cujus exercitus à peste angelica admonitione præservatus, ac liberatus est, hujus radicis usu.

Sic imperatoria, galanga, cortices citri, cinamomum, myrrha, mastich, masticatoria constituere possunt, sola per se sumpta, vel simul commixta.

Interea saliva omnis expuatur. Secus contagiosum miasma in salivæ liquore facilè per respirationem insinuatum, cum magno vitæ periculo deglutietur. Imò toto tempore pestis, magno studio oris saliva, & narium muci dejiciendi sunt, & non deglutiendi.

Hi etenim aere attracto omnium facilimè inficiuntur. Quare pestis invasio, ac initium, ut plurimum per vomitus manifestantur.

Pro eternis inunctionibus non solum, sed pro interno usu, odorifera, spirituosa, balsamica omnia commendantur. Quinta essentia rosmarini oleum succini, balsamum Peruanum, balsamum apoplecticum, spiritus vrinæ, tum fuliginis in vasculis gestari possunt, oleum canphuræ. Sal volatile cornu cervi. Quę omnia multo efficaciora censentur quam poma Veterum ambrata.

Crocus, oleum succini, myrrha, canphura, opium in aceto theriacali solutum, magnum à peste præservativum constituunt, per os summendum.

Cordis verò, & pulsuum loca oleo succini illiniantur, canphura, & oleo nucis moscatæ ac balsamo Peruano admixto.

Multos juvit ad præservationem in ore gestare sulphur integrum, ad magnitudinem vnius avellanæ loco masticatorii. Nunquam salivam deglutiendo, sed semper expuendo, ut jam insinuavimus.

Antiquorum prophilaxim omittere irreligiosum esset, atque mnemosini ingratum. Accipiebant igitur manè nucem, cum tribus granis salis, & tribus summitatibus rutæ, duasque caricas cum frustulo panis. Superbibendo uncias duas vini malvatici. Vel etiam optimi aceti sorbiciunculam.

Præservatiuum meum quod æqua ratione cæteris prætuli est, balsamo caustico meo facta inuntione super unam vel plures ex glandulis inguinum, ubi bubones emergunt, ulcusculum apertum servare per mensem, vel duos, tres, aut amplius, quousque luis suspicio evanescat.

Experientia etenim me docuit, quod ubi fiunt casu, vel arte incisiones, vel apertiones cutis, etiam ventosis applicitis sine incisione, ibi venefica materia confluit, atque antraces, & alia fiunt.

Magnam etiam vim habere comperii pro præservatione, si singulo manè summantur gr. x. circitèr sulphuris cum haustulo aceti infusionis radicis angelicæ vel carlinæ.

A magnæ fidei viro relatum est quod Gandavii milites Neapolitani, omnes fermè peste obijerunt, sed Germani milites, qui indusia pulvere pyrio (ut necarent pediculos) suffu miggandа commiserant, nullus peste obiit ob sulphuris vim.

Certum est enim quod sulphur ustum, ejusque odor, magnum antidotum pestis est. Atque rationi consonum est, acidum volatile sulphuris, repertum in aere alcali volatile pestis cum eodem congredi, & stricto facto amplexu ad terram cum eodem præcipitari, & sic aerem depurgari.

Quare qui per bellicorum tormentorum explosiones aere depurgare conantur, rationabili fundamento innituntur. Videmus etiam quod magnus Hippocrates in pestilentibus constitutionibus suorum temporum exhibebat in potu vinum sulphure suffumiggatum.

Si verò sulphur ad gr. xxiij. propinetur cum decoctione cardui benedicti, vel aqua ejusdem, sudorem etiam provocabis. Memini etiam quod Hippocrates viperis pulverizatis vtebatur tempore pestis.

Valet adhùc pro præservatione assiduò in ore gestare nucem moscatam, cariophillos pro frigidioribus temperamentis, ac anni temporibus. Vel theriacam in nodulo chartaceo ore contrectare. Abstinendo tunc temporis ab omnibus facilè corruptibilibus piscibus, lacticiniis, oleribus, fructibus & consimilibus.

Primaque ac præcipua semper sit ante oculos Galeni intentio proposita in 1. *de diff. feb.* Videlicet corpus à superfluitatibus corruptibilibus vacet, & optimè perspiret in peste, ut sanari valeat.

Robertus Boile in pestilenti constitutione sui temporis notavit quod tum pro præservatione, tum pro curatione qui citò sumpsissent drach. ß. vitrioli albi (Gillę Paracelsi) ferè omnes sospites fuere, vel infecti felicitèr evasere.

Paracelsus de peste, super cætera omnia pro præservatione proponit mirrham ad avellanæ magnitudinem summo manè, singulo die. Cui simplex displiceret, elixirem proprietatis summere poterit, vel vini spiritum, mirrhæ infusione saturatum, seu mirrhę tincturam.

Quod si in hac tinctura theriacam dissolvas, & bis in hebdomada, aut ter summas, ab omni infectione immunem te servabis.

Formidulosis verò, ut omnis formido removeatur, ingens præservatiuum erit corallium rubrum pulverizatum ad drach. 5. in vino bis, vel ter etiam, & amplius epotum. Tum crocum in universis obsoniis, vel saltem cum vino assumant isti.

Frigidis temporibus, præservativa calefacientia, exhilarantia, aromatica sumantur. Fervidis verò temporibus, ea sint, ex frigidis adstringentibus, roborantibus cor parata, & quæ in naturalibus visceribus magnas, & caloriferas fermentationes inducere nequeant; imò attemperantia ac fervidas tenues biliosas particulas secum rapiendo, ad vias expulsionum ducant.

Hoc igitur peragere possunt emulsiones ex 4. sem. frig. cum pulveribus crustaceorum. Tum sorbeta ex acido citri parata, admixtis margaritis, vel conchis margaritiferis præparatis, canphura, terra sigillata, vel samia.

Universalitèr inter præcipua pestis alexiteria scordium est, dictamus Creticus ex compositis theriaca, mitridatum, diascordium, quæ sanguinis massam, corpusculis suis alexiteriis inficiunt. Atque novo veluti fermento imbuunt, eosdemque lenitèr, & naturali motu movendo, ac in

æquabili mixtione servando, à coagulatione, atque ab omni corruptione immunes servant.

Ventriculum paritèr, & intestina roborant terra sigillata, confectio hyacenthina, alkermes cum aquis totius citri, scorzoneræ cordialis Saxoniæ spiritu vitreoli acidulis factis. Admixtis margaritis, cornu cervi.

Candellæ fumales à Scrodero propositę cap. de troch. pro magnis viris plus, vel minus præciosæ parari poterunt ex benzoino ligno aloes, & consimilibus alexiteriis.

Violenta exercitia tempore pestis vituperanda sunt. Nam cutis poris ampliatis, ac patefactis contagioso miasmati vias parare possunt. Quare mediocria tantum exercitia, & absque sudore, securiora erunt.

Ocium verò omninò evitandum est. Namque tempore pestillenti calor natiuus liberam eventillationem habere debet. Non tamen per sudorifera exercitia, quæ poros nimis dilatando, calorem, liquores, & spiritus simul profundunt, exhauriunt, dissipant, & corpus debilius factum, magisque penetrabile, ac laxum, contagii prava fermenta promptiùs suscipit.

Cibus in toto morbo sit moderatus. Ne venenum in majorem materiæ pabulum plus damni ingerat. Parcus enim inutilis est; nam affectio hæc natura sua attemperatione gaudet, quæ per alimenti copiam fit. Cum enim à corruptione, & deterimo fermento procedat naturæ hostilli, per ciborum blandam mixturam retunditur, atque ita attemperatur, ut à natura vinci ac pelli possit.

Salsamenta itaque pro his periculosè febricitantibus parentur ex oxalidis succo, pimpinellæ, aceto saccaro, & succo limonum. Panis coquatur in amygdalarum lacte.

Aquæ cordiales calibeari debent cum frustulis auri, instillando in eis vitrioli spiritum ad gratam aciditatem, hic enim ab auro spirituale quodam alexipharmacum potentius elicit, in quo fortè magis quam in auro potabili vulgi fidendum censeo. Ideoque consimiles aquæ calibeatæ adversus vermes & primarum viarum corruptiones multò validiores sunt, quam non calibeatæ.

In febribus etiam malignis, cum ingenti virium prostratione, singula hora exhibeatur extractum chinæ liquidum in vino malvatico, vel in fervidis condictionibus, in aqua cordiali Saxonię vel totius citri factum.

Si enim hoc in principio antequam malignitatem induat exhibeatur, sensim, & in pauca dosi, certum est febres earumque symptomata supprimi, ac tolli.

Detestabilis sit interim in his febribus abstinentia à potu. Cum enim febris affectio calida sit, & siticulosa, negato potu cruorem depopulatur, solidarumque partium alimenta cum viribus dejicit.

Adversus Variolas, aliaque febrium malignarum symptomata Auxilia.

AEr temperatus procurari debet, æstuans enim respirationem accellerando, ac minus eventillando lædit; frigidus autem naturæ motum impedire, vel retardare potest.

Jusculа succo citri acidiuscula facta, arcanam habere vim in hoc affectu creduntur. Prout gelatina

cornu

cornu cervi acidiuſcula per ſpiritum vitrioli.

Pro potu decoctum hordei exhibeatur cum raſura cornu cervini, & radicibus ſcorzoneræ. Vel in decoctione ſcordii nodulus cum terra ſigillata raſura eboris, & cornu cervi imponatur, ſimul cum guttulis ſpiritus nitri.

In principio antequam appareant variolæ per emetica evacuentur ægri. In augmento viſcera naturalia confortantibus ad expulſionem promovenda. In ſtatu, & declinationis initio blanda diaphoreſis procuranda, ut ſanguis leniter ebulliat, & ad cutem excrementa ſua deponere edoceatur.

Simulque guttur ne inflammetur ſtypticis ac frigidis defendendus eſt ſyrupo granatorum potiſſimum, vel eorum ſucco cum lambitivis. Vel aqua, & ſyrupo de papavere cum ſale prunellæ.

Patentibus ſignis declinationis ad validiora diaphoretica accedendum erit, ad ſtybium diaphoreticum, bezoardicum minerale, cum lapide bezoardico, & ſalibus volatilibus cornu cervi, viperarum cum aquis cardui benedicti, cordialis Saxoniæ, & ſimilibus.

Tutius tamen reputatur primis ſex diebus à ſudoriferis abſtinere, atque per blanda diaphoretica videlicet per decoctum, vel tincturam florum papaveris, & per acidiuſcula temperata aqueis ſpiritibus ſudorem, ſeu ad cutem expulſionem promovere, ut eſt aqua ſcabioſæ, vel betonicæ cum ſucco citri, vel ſpiritu nitri.

Tranſacta ſeptima in octava & nona valiora bezoardica, & ſudorifera propinari poterunt, ut ſunt ſalia volatilia &c.

Verum circa diem quartum leviora tantum bezoardica exhibeantur, diaſcordium Fracaſtorii, viperarum pulvis ad grana aliquot, cum aqua cordiali Saxoniæ, & ſyrupo de corallis, vel gemmato mixtura fiat cocleatim in horas ſummenda. Si etiam contrahiervæ, vel ſcorzoneræ extractum admiſceatur, cum theriacæ modica portione, ſtybio diaphoretico, & laudani gr. iij. in aqua florum aurantiorum diſſolutis, mixtura efficior, & jucundior fiet.

Ab initio ſaccarum Saturni in aqua totius citri diſſolutum, & propinatum ad ſcrup. ſ. more lambitivi maſſę ſanguineæ effervescentiam, & lymphæ acidum mirè compeſcit. Cujus uſum egregium in omnibus internis inflammationibus ſępius admirati ſummus. Emulſiones etiam ex 4. ſem. frigid. cum ſale prunellæ ab initio proſunt, admixtis etiam teſtaceorum pulveribus.

Poſtquam eruperint variolæ cardiaca etiam validiora exhibeantur, & alimenta ſint magis nutrientia, & quæ vulgò calidiora dicuntur. Ut vigorata natura alacrior ad expulſionem inſurgat.

Facta integra eruptione, & calore cum febre remittente, ut maturatio abſolvatur cogitandum eſt, exhibendo myrrhata, ex gr. elixirem proprietatis vel myrrham ipſam ad ſcrup. ſ. cum coralliis, margaritis, cornu cervi, lapide bezoardico.

Ptialiſmus moleſtus hunc affectum ſemper concomitari ſolet. Quandoque verò ſalina adeò viſcida fit, ut inviſcato gutture de ſuffocatione periclitetur æger. Quare decoctum, tum ſyrupus florum papav. cum gutt. ſpiritus vitrioli eximium auxilium eſſe pro his experti ſummus.

Si verò tale decoctum cum modico saccaro ad uncias tres hora somni exhibeatur, per quietem feliciùs aget.

Pro faucibus etiam gargarismata ex mucilagine seminum cydoniorum succo cancrorum fluvialium, decocto balaustiorum, cum diamorone valida auxilia sunt.

Ad præservandos etiam oculos, citò antequam erumpant variolæ, vel saltem statim ab initio madefiat aqua plantaginis, solani, ebuli, rosarum, cum croco, mucilagine seminum cydoniorum, pulvere summachiorum in nodulo ligato (si potissimum etiam adsit rubor, ac inflammatio oculorum) cum sale saturni, & modica tutia.

Si retrocedere observentur variollę detur elixir proprietatis, cum salibus volatilibus cornu cervi, vel viperarum. Tum phenigmata, & cucurbitulæ, cum sudoriferis.

Pro aliorum tandem præservatione dentur myrrha, & myrrhata; quæ in hoc casu cæteris prævalere creduntur. Namque in omnibus auxiliis propinandis semper ante oculos medicus sibì proponere debet, quod est affectus, in quo sanguis ad coagulationes admodum pronus est, ideoqne semper quæ sanguinis fermentationem ac dissolutionem moliuntur prosunt. Sic decoctio sola ficuum plurimos ab extremo fato liberavit. Quot cornu cervinum à Læto eripuerit, non facilè enumerabuntur.

Atque breviter omnia complectentes dicimus. Quod locetur æger in loco calidiusculo, ut pori aperti serventur. Panis rubeis contegatur. In potu detur rasuræ eburis decoctum, vel cornu cervi, in principio etiam plus solito ab initio vigilent. Alexipharmacis pugnandum, ut in cæteris malignis contagiosis affectibus.

Intestina, & naturalia viscera (quę ab iisdem variolis quandoque occupantur) decocto, lentium præservari possunt. Pectus verò, & pulmo decocto, & syrupo ex floribus papaveris.

Fauces, & guttur (antequam erumpant) gargarismate ex aqua plantaginis, succo granatorum pulvere balaustiorum, & lapide prunellæ. Vel solo succo granatorum, mororum cum modica aqua plantaginis.

Oculi tueantur collyrio parato ex aqua eufrasiæ, sief albo, canphuræ granis, croci, & salis saturni globulo lineo inclusis.

Ad nares præcavendas, acetum frequentèr olfaciant. Ut vlcera ex malignis variolis orta citò citrizentur, curari debent vnguento albo canphurato, vel balsamo saturni ex sale saturni, & oleo amygdalarum parato. Quod maculas etiam omninò relictas tolere validum est.

Pro molesta siti, & linguæ scabritie. Semina cotoneorum in aqua rosacea, & succo citri digerantur, atque ex eis mucilago expressa usurpetur. Idem ex tragacantho fieri potest. Numquam vero frigida pro ore abluendo denegetur. Vulgatumque erat apud veteres præceptum, cavendum esse ne ægri fauces exiccentur.

Emulsione seminum melonum, & papaveris cum tragacanthi, & gummi cerasiorum mucilagine in aqua rosarum extracta, mixtura paratur cocleatim summenda, cui si sal prunellæ, vel granula canphuræ admisceantur validior erit.

Hipp.

Hipp. de morb. pop. 29. Consilium est. Siti carentem facit, os claudere, tacere, ventum cum potu frigido inducere. In gargarismatibus actu, & potentia frigidis, aceti parum admisceatur, vel vini rubelli. Valet aqua hordei cum aceto. Valet lac naturale gargarizatum, modo acetositatem contraxerit, oxigala dictum. Valet & lac artificiale ex seminibus frigidis paratum.

Aer conclavis copiosa nive vel glacie, aut aqua de vase in vas transfusa ad frigidum alteretur. Rob derhibes, acetositas citri, aliorumque fructuum acidiusculorum succus deliciosa sitifuga sunt, si aqueis proportionatis maritentur.

Sic ore laminam mali citrii, aurantii frustulum, vel limonum, prius in aqua rosacea, & modico saccaro maceratam, utile his siticulosis artificium erit.

Quia verò omnibus acida non sic conveniunt, ideò stolones anguriæ, vel pepones, vel cucumeri, aut cucurbitæ modo saccaro perfundantur, & in ore diù detineantur, ac prioribus abjectis substituantur recentes. Inter mitiora acida cerasa erunt, sed potissimum amarenæ, & visciolę. Tum pruna, verdacia, tamarandi aliique consimiles fructus, osseum semen gerentes.

Tinctura rosarum multis rationibus convenire potest. Sic quamplurimæ lignorum ex. gr. brasiliani, vel sandalorum, &c. tum florum tincturæ aliquo acidulo spiritu elicitæ inter quas, quæ ex floribus papaveris erratici elicitur nulli secunda est, si potissimum in aqua florum papaveris cum guttulis spiritus nitri, vel salis paretur, ac modico eorundem syrupo edulcoretur.

In clamosa, & valdè molesta siti, somnus omni arte procurandus (qui legitimus humectationis auctor reputandus est) ideò ad opiata confugere nocturno tempore satis rationabile erit.

Si autem febrilis calor ægro minus molestus sit quam sitis, neque doloris sensus, neque inflammationis aliqua indicia manifesta sint, tunc accipias julep violacei libram unam, aquæ vitæ uncias tres, aquæ rosarum uncias quatuor, moschi grana duo, spiritus vitrioli dracmam semis. Misce, & coclcatim vel frequentatis haustulis propinari poterit.

Pro bubonibus vel carbunculis auxilia.

BUtyro antimonii (ex mercurio sublimato, & antimonio per retortam pulsis parato) maturatio, & apertio feliciter succedet, deinde post tertium vel quartum diem mundificare aggredieris per balsamum sulphuris succinatum, vel terebenthinatum.

Postmodum sale saturni cum modico mercurio sublimato dulci uteris. Demum balsamo Peruano cicatrizabis.

Pro infesta diarrhea, atque symptomatica in febri maligna, vel pestilenti auxilia.


A Zacuto Lusitano in primo loco lapis bezoar ponitur. Non etenim adstringentibus, sed alexipharmacis pugnandum esse judicat. Credibile est etenim, satisque rationabile est credere, materiæ pessimam conditionem, ante debitum expultricem

cem irritare. In pauca verò quantitate *lib.3. praxis admir. observat. 90.* in his febribus exhibendum non esse insinuavit. Ibi enim ostendit exempli, quod in multa copia *bezoardicus lapis, videlicet ad drach. j. circitèr omnes sanavit. At qui in pauca quantitate illum sumpsissent omnes periere.*

Pro istis itaque alvi fluoribus, quia neque aquæ neque vina accommodata sunt. Ideo decoctum tamarindorum, tum amarenarum in aqua cordiali per filtrum percolatum, admixto syrupo de corallis, vel de rosis siccis, aut conserva rosarum antiqua magis proportionatum auxilium erit.

In lib. 17. Riverius theriacam ad drach. ſ. proponit cum gr.iij.laudani. Tum potiones diaphoreticas in magna dosi exhibitas. Sic enim fugato veneno, quod intestina, & glandulas abdominis vellicando fluxum symptomaticum efficiebat, intra pauca momenta alvi fluor cohibetur.

In hoc consentit paritèr observatio Jo: Elmontii qui ab hoc maligno fermento, solvi sanguineam massam observavit, liquores infici, & in putrilaginem abscedere, diarrheamq; efficere. Videlicet bile ex vasis colidocis. Recrementis vero acidis succi albuginei nervei ex arteriis cæliacis, & ex ductu pancreatico in duodenum sese exonerantibus. Quæ tamen omnia exhibito valido diaphoretico atque alexipharmaco fælici omine persanantur, vel præcaventur.



Ad nimios sudores in febribus malignis auxilia.

Ante cętera externus aer arte corrigendus, ac refrigerandus, secus vires omnes dejicientur. Facies, testes extremæ partes oxicrato frequentèr applicito madefiant. Frigida paritèr epytemata adstringentia cordi, ac universo abdomini, super tenuem telam extensa frequentèr immutentur.

Linimentum ex sale saturni, & unguento sandalino, vel infrigidante Galeni super universam dorsi spinam tenui tela iteratis vicibus applicetur.

Interiùs verò incrassantia, adstringentia, roborantia exhibeatur. Juscula instaurantia cum succo granatorum, agrestæ, puluere corallorum, margaritarum, eboris, & speciebus diamargaritonis.

Opiatæ parentur sorbiciunculæ ex conserva rosarum, cum pulveribus crustaceorum, terra sigillata, & granis laudani nepentes.

Galeni de arte curat. ad Glauc. consilium est. *Quibus ob sudoris copiam animi defectu corripiuntur, vinum actu frigidum exhibe, ac arte procurabis, ut aerem frigidum hauriant.*

Nos in aquæ naphæ unc. iij. confectionis alkermes drach. j. dissolutam cocleatim cum magno fructu propinamus.

Ad vires etiam valdè confractas recreandas alimentis cardiaca misceantur, juxta monitum *Riverii li.8.cap.3.* Confectionis alkermes, hyacinthi, cum jusculis, vino, aquis cordialibus, spiritibus, ac oleis, seu essentiis aromaticis citri, ambræ.

Restaurans caponis vel vituli, aut gallinæ cum cinamomo, speciebus diambræ, & modico succo limonum. Succus carnis vervicinæ assatæ cum pulveribus cinamomi, nucis moscatæ, & expressus. Testes foveantur confectione alkermes in aqua naphæ dissoluta.

Liquor etiam cardiacus valdè efficax parari potest ex ambræ griseæ drach. ij. moschi scrup. ij. ligni aloes drach. j. benzoini optimi vnc ſ. Contusis, & simul mixtis affunde vini spiritum ad eminentiam quatuor digitorum atque leni igne extrahe tincturam. Quam collatam per cartam emporeticam, lento igne dimidiam partem spiritus vini evaporabis vel etiam amplius. Nam restitans, valida essentia erit, cujus cocleare in vino vel jusculo, aut quovis liquore exhibitum vires omnes illicò reficere valet.

Vomitum in febribus malignis tollere docuit *Riverius Cent. prima Obseru.* 15. *sale absynthii scrup. j. in succi limonum cocleare uno dissoluto.*

Pro hepatis vero, & naturalium viscerum refrigerio aqua naphæ, rosarum cum aceto rosaceo speciebus triasandalorum & canphura pro repetito fotu inservire poterit. Vel vnguentum sandalinum cum canphura, & speciebus diarhodonis.

Simulve testes frigidè foveantur; illis enim refrigerantis totius corporis incendium, & præcipue viscerum admodum imminuitur. Hoc vero fieri poterit per aquæ naphæ, rosarum plantaginis miscellam, addito aceto rosato canphura, & sale saturni.

Extremis verò plantis manuum, & pedum coclеæ cum testis contusæ frigidæ applicentur, atque ubi nimium teporem contraxerint, (post horam circitèr) recentes applicentur maximum enim afferre posse auxilium repetita experimenta edocuerunt; ob consensum quem habent, cum universo corpore, ob venas, arterias, nervos fræquentes qui ad has partes valdè spermaticas, & nervosas feruntur, in quibus sanguinis circulatio reflectitur. Neque timor esse debet, quod excrementorum difflationem impediant. Namque modica sunt quæ ex illius effluunt. Sed magnum est ex refrigerio isto juvamen.

Pro doloribus dorsi, ac lumborum factis à sanguine copioso, ac fervido in arteria magna, & vena cava effervescente, ac fermentescente. Emulsiones ex 4. sem frig. ma. addito sale prunellæ & granis canphuræ propinentur.

Renum verò regio infrigidante Galeni cum succo sempervivi canphura, & sale Saturni inungatur. Vel vnguento populeone, aut oleo ex seminibus papaveris expresso, & canphura.

Adversus contumaces vigilias in febribus malignis infestantes.

Circa horas somni foveantur crura, & pedes decocto capitum papaveris cum seminibus, factis blandis frictionibus. Lætæ cantillenæ in distans aliquibus prosunt.

Aliis verò aquæ ab alto cum strepitu cadenres. In robustioribus levis aliquis labor ex. gr. ardentem candelulam manibus detinere juvat, donec defatigatione illa fastiditi dormire cupiant.

Quibus capita derasa sunt, & dolen-

lentia, irrigatio facta ex oleo seminum papaveris expresso, & decoctione radicum mandragoræ, ac folijs florum papaueris non minimum auxilium erit.

Si potissimum hac eadem decoctione spongia madefacta tepida naribus, & fronti applicetur. Imò necessitate vrgente ad scrup. f. opii simul dissolvatur. Sufficere tamen solet oleum ex seminibus papaveris, cum unguento populeone, & canphura temporibus inunctum.

Ex *Riverio autem lib.* 17. *cap.* 2. Cataplasma plantis pedum, ex cucurbitis recentibus contusis, foliis lactucæ, portulacæ &c. tum fomenta frigida testibus sufficere possunt ad somnum conciliandum. Hac enim via apta frigiditas cerebro, placidus motus spiritibus per nervos communicari potest.

Qui ampliora desiderat, caput præcedens de Vigilia, vel de tuenda Val. in parte quarta consulere poterit.





DE
MORBIS
AD CHYRVRGIAM SPECTANTIBVS.
PARTICULA SEXTA.
Pro vulneribus, auxilia in genere.



Temperatus aer procurandus, frigidiusculus æstate, hyeme verò tepens. Si tamen vulnus in capite sit, actù calens procurari debet (ob rationes infra dicendas) quocumque anni tempore.

Animi vel corporis motus, & quæcumque impetuosiùs sanguinem exagitare possunt præcaveantur. Sic immodicæ vigiliæ quæ succos exacuere, commovere possunt.

Alimenta magna parsimoniæ dispensatione offerenda, & talia ac tanta solumodo, quanta vitæ non sine virium dispendio sufficere possint.

Uulneratis namq; ideò oblata alimenta nocent, quoniam copiosior sanguis, fluidiorque generatur, qui uberioris fluxionis materia fit, ac proinde inflammationis, & cæterorum symptomatum.

Parte namque imbecilliori existente, natura ad illam transmittit alimenti copiam majorem, quam fortè tempore sanitatis. Dum hæc ob imbecillitatem illud conficere nequit, per moram acredinem adeptum, inflammationes, putredines, fœtorem concipere solet.

Et hæc potissimum in corpore cacochymo, vel pravo victu utente contingere solent; nam ad partem vulneratam, dum mali succi affluunt, nec concoquere, nec aliena expellere, neque aptam carném generare valet, sed præternaturalitèr alterando corrumpit. Ideò *Hipp.lib.de affect. ait: Vulneratos fame affligito.*

In lethalibus itaque vulneribus fercula propinentur ex pane cum emulsione seminum melonum, in jure pullæ, vel vituli.

Vel æstivo tempore zupæ, & vivariola alibi indigitata cum granis omphacii, & succis acidiusculis fructuum,

ctuum, ac holerum sic hordeata, aliaque morbis acutis à nobis destinata in parte prima.

In vulneribus dissita labia habentibus (& potissimum faciei) ut eadem ad mutuum contactum adducantur glutem paretur ex thure, sarcocolla, masliche, myrrha ana, hæc in tenuissimum pulverem trita, cum ovi albumine subigantur.

Sed quia non ita citò exiccatur, ut ad placitum labia adduci possint, glutem excogitavi ex oleo abietino, ac pulvere masticis, & boli armeni orientalis ad ignem solutis ana. Fietque solidissimum, atque balsamica vi præditum glutem calidum applicandum, quod ubi refrigeratum fuerit, difficultèr removeri poterit, neque enim affluentibus liquoribus cedit, aut humiditate dissolvitur.

Extendatur itaque super petiam novam, quam deinde in tenues longas lamellas secari debes. Has lamellas ita dispones ut una colocetur in parte vulneris dextera, altera verò in sinistra. Et sic vicissim absque eo quod una superponatur alteri. Hac enim arte, dum in parte opposita manu contrahuntur, labia adducuntur. Desuper deinde balsamum Pervanum, vel aliud imponere poteris. Et hoc modo dolorificas futuras prætermittere poteris, aliaque minoris notæ artificia.

Sollicitus interea eris ut in convenienti situ pars collocetur. Videlicet situs doloris expers sit. Et in eo vulneris orificium secundum aliquam sui partem deorsum vergat.

Ad inhibendam fluxionem, ac inflammationem, proximis partibus defensiva dicta apponenda erunt. Verum ne per medicamenta crassæ, ac terrestris substantiæ cutis porositates obstruantur, ac densentur. Ideo eligibiliora esse reputamus vel Galeni poscam ex aqua, & aceto, vel vinum austerum, aut vinum granatorum, vel succum plantaginis, portulacæ.

In quibus etiam liquoribus dissolvatur sal saturni, & canphura. Atque duplicata, vel triplicata linteamina madefacta locis vulneri conterminis applicentur, Æstate quidem frigida, hyeme tepida, donec fluxionis, ac inflammationis, periculum abesse videatur, quod intra primam hebdomadam esse solet, & potissimum circa quartam.

Vulnus interim ipsum usque ad perfectam agglutinationem tactum (si fieri possit) servandum est. Atque hic modus appellatur curatio per primam intentionem. In qua ab initio curatur vulnus, deinde solis applicitis quibusdam externis linimentis, defensivis & aliis, nunquam detegitur os vulneris, neque quidquam ei amplius imponitur, nisi transacta saltem die quinta, in qua ut plurimum detecta vulnera agglutinata reperiuntur, nisi ab ægro delictum aliquod in sex rebus non naturalibus, aut à Medico commissum fuerit.

Rationibus enim validissimis, & fidis experimentis Cæsaris Magati, & aliorum innotuit, quod nihil est equè hostile vulneribus, ac aer externus, qui semper alterationibus, atque corruptionibus anhelat, potissimum in partibus, quas natura firmissimo cutis clypeo munivit, ne aeris iniuriis exponerentur.

Nec non irrationabile ast manè, & sero contrectationibus repetitis commovere vulnus, atque turundis ejusdem os deducere. Dum integram quietem expostulat, & externis omnibus

nibus propulſatis, per nutritivæ potentiæ munus, ſui veram agglutinationem exigit. Quod merum opus non impeditæ naturæ eſt. Per turundas verò impoſitas, oris vulneris diductiones, commotiones, aeri expoſitiones omninò impeditur ab operibus ſuis natura, ſanatio prorogatur, & mala ſepè ſymptomata, imò mors accerſitur.

Recta itaque ac ſana Medici intentio debet eſſe, ut vulnus immune ſervetur ab omni ſuppuratione. Vel ſi hoc impoſſibile videatur, ob aliquam contuſionem, vel ob alia occurſantia, ſaltem omni arte procurare debet, ut quam pauciſſimum pus generetur.

Quare exiccare tentabit vulnus medicamento non moleſto ex. gr. balſamo ex ſpiritu vini parato. Vel oleis multiplicium infuſionum rerum ſarcoticarum, atque exiccantium, ut eſt oleum Hiſpaniolæ, vel hiperici, pro certo ratus naturam eſſe quæ carnem generare debet per nutritionem, quam dum aſſequi nequit, pus conficit, excrementa, & hoſtilia pellit.

Medicum verò hoc tantum agere poſſe, quod occurſantia, atque externa impedimenta removere debet, rectaque in ſex rebus non naturalibus inſtituta vivendi ratione naturali facultati ſeſe accommodare, atque partis læſæ concoctricem fovere, & amicabilibus auxiliis auſcultari tenetur.

Pro his itaque intentionibus optima mixtura fieri poteſt ex oleo abietino, hyperici, & vini ſpiritu, in magnis, profundis vulneribus. Vel etiam addi poteſt oleum ſpaniolæ, vel opobalſamum, aut balſamum Pervanum. Facta ut jam innuimus ſolutione ſolummodo de tertio in tertium diem, vel de quarto, abſque tamen orificii detectione integra.

QVANDOQVE MAGNA SANGVINIS A' VVLNERE PROFVSIO NEGOTIVM FACESCIT. Irritis verò pulveribus ex ſymplicibus adſtringentibus, pulvere ſympatico, vitriolo ipſo combuſto, veluti ad ſacram ancoram (omiſſo igne actuali) ad butyrum antimonii confugere debemus. Cujus etiam tanta vis ſtypticans eſt, ut miraberis de veloci poſtmodum vulneris ſanatione, abſque copioſæ materiæ purulentæ admiſſione.

Præterea refrigerantia ſtyptica, calorem, & effervefcentiam prohibentia in circumvicinis partibus adminiſtranda erunt, ut poſca, vinum granatorum, ſuccus plantaginis, ſempervivi, portulacæ, aceti, onfacii, additis pulveribus ex bolo armeno, malicorio, & conſimilibus, ovi albumine ſubactis.

Cibi & potus incraſſantes, refrigerantes, & adſtringentes ſint atque onfacio, cydoniis, cicoreo, plantagine. acetoſa, portulaca fructibuſque modicè acidiuſculis oblonia condiantur. Manus, pedes, teſtes, poſca frigida foveantur.

Hora ſomni potio opiata, ſeu emulſio propinetur papaverina. Animi motus omnes arceantur. Summa quies procuretur. Et ſomnus ſuper cætera ut concilietur curabis.

Ad vulnerum infeſtantem dolorem præter ſuperiùs enarrata, externa olei ex ſeminibus papaveris expreſſi inunctio, vel ex ſucco lumbricorum, vel verbaſci. Vel lac in quo verbaſcum, & flores camomelli incoquantur applicitum, cum croco canphura, & oleo hyperici, apta anodina vulnerũ doloribus auxiliũ eſſe poterũt.

DOLO-

DOLORI VULNERUM QUANDOQUE *tumor* supervenire consuevit, ob succorum stagnationem, qui à tergo insequentes, affluentium priorum copiam adaugent, atque vasorum extensionem fibrillarum sensitivarum dilacerationem moliuntur.

Ab impetu igitur circulantium succorum, quibus transitus ab obstructione denegatur, talis dolor fit; inde tumefactio. Quibus occurrendum blandè emollientibus, ac ressolventibus, ac liberum transitum procurantibus, ut ea sunt quæ pro arcenda cancrena usurpantur, ex. gr. spiritus vini canphuratus, aliaque auxilia canphurata. Cataplasmata ex croco lacte & floribus camomelli incoctis, additis ovorum vitellis.

Quinimò si spasmus, vel saltem spasmodici quandoque motus insurgere observentur, ob magnam fibrillarum distensionem, quoniam vulnus in parte tendinosa sit, & valdè sensitiva. Tunc etiam validiora cataplasmata ex nervinis aromaticis parata, tum balsamica, castorina, succinata, cinabarina in usu externo, tum interno adhibenda erunt. Aliaque à nobis convulsionum auxilia proposita suo loco adhibeantur.

Quandoque verò mera inflammatio occulta intus absque indiciis externis tumefactionis insurgit ab obstructis circumvicinis tubulis, unde sanguis, & reliqui succi à motu circulari suo prohibentur, ac remorantur. Ob talem itaque obstructionem vulnus siccum fit, nam à repletis vasis, & compressis denegatur fluxûs, & refluxus succorum.

Quamobrem in hoc casu omissis adstringentibus, atque incrassantibus, quæ obstructiones augere, & succos acriores reddere possent, ut postmodum discisis fibris, & via spiritibus negata, ad gangrenam additus aperiatur.

Tutiùs idcircò erit uti vini spiritu canphurato, vel aqua Reginæ Vngariæ sale armoniaco admixto vel aqua calcis, aut aqua florum sambuci cum sale saturni. Aliaque consimilia, quæ pro inflammationibus alibi proposuimus

Quandoque etiam in vulneratis *febris* insurgit, à turbata sanguinis mixtione, ob sanguinem in loco vulnerato appellentem. Ibidemque fermento acido, vel præternaturali alienam condictionem induente reperto. Quod circulando ad cor revertens, ibi præternaturalem fermentationem promovet.

Quare febrifuga antedicta propinari poterunt, tum oculi cancri cum aqua cardui benedicti, vel papaveris erratici. Cornu cervi cum syrupo de papavere erratico, quæ omni bihorio ad coclare unum vel alterum exhibeantur, admixto etiam lapide prunellæ. China paritèr febrifuga non inutilis erit in pauca dosi sepiùs repetita.

Hypersarcosis, seu carnis excrescentia aliquando sanationis impedimentum esse solet. Cui occurremus potissimum vnguento egyptiaco inspissato. Vel alumine usto, aut præcipitato dulcificato. Spiritus etiam vini cum aqua calcis, sale saturni, & canphura, præstantissima sunt, inter leviora. Nam his fortiora butyrum antimonii est. Verum contenti ut plurimum erimus egyptiaco, atque mercurio præcipitato, qui carnem superfluam, & intemperiem simul tollere solent.

Fœtorem quandoque contrahunt vulne-

vulnera, atque imperitum chyrurgum ore patenti declamant, & accusant docente Paracelso, omnium chirurgorum facilè principe, quod: *Si fœtorem in vulneribus percipias, judicabis illa, ob errata corrumpere suum nutrimentum.*

Putredines itaque sordities corruptiones supervenientes in malis curatis vulneribus tolluntur lixivio in quo ebullierint absynthium, marubium, carduus benedictus, scordium, myrrha, aloe, addito melle rosaceo, & ęgyptiaco. Vel cum terebinthina, & melle rosaceo admisce modicum mercurii sublimati. Vel spiritus vini in quo dissolutum Ægyptiacum sit, omnem putredinem sistere poterit. Si autem his sisti nequeat, ad balsamum causticum meum, vel ad oleum mercurii non incassum quilibet confugere poterit.

Evenit quandoque ut *turpis cicatrix* tollenda sit, sive turpitèr eminеat, sive nimis concava sit. Tunc balsamo caustico meo aperiatur, vel aliquo igne potentiali, deinde aptior concinetur.

Vulneratorum dieteticæ regulæ penès Paracelsum sunt, ut aer externus cautè admodum præcaveatur. Acidum etenim inest aeri, vulneribus maximè infensum. Ad succi itaque nutritii aciditatem impediendam, vel ad jam factam tollendam, & humorum naturalem motum servandum oleum hyperici, seu Spaniolæ, balsamum sulphuris terebenthinatum, opobalsamum, vel balsamum Pervanum auxilia efficacia sunt.

Secus aer succos circulantes incrassat, & hac ratione vulneris transpirationem impedit, atque nutritionem, coalitumque retardat. Vulnerarios cibos, cum simplicibus vulnerariis coquere jubet, obturato vase, ac in lebete posito aqua pleno, ut coquantur.

Digestivæ virtuti ante omnia prospiciendum erit. Quare cavendum erit, ut sepè, & modicè offeratur, ut sic repletio nimia, tum fames intensa, aut sitis clamosa præcaveantur. A siti namque potissimum arcendi sunt vulnerati.

Cibos aromaticis aliquibus condimentis temperare licebit, & potissimum modico cynamomo; ventriculi namque actio in his ferè semper debilitatur, si potissimum magna sanguinis profusio facta sit; Tunc enim ad restaura carnium, juscula cum contusis, & alia ascendere licebit.

Circa initia potissimum, humido potiùs, quam sicco victu utendum erit, atque refrigerante. His etiam aluus indurari consuevit, dùm natura nimio sanguine profuso ad expulsiones impotens fit, motivis animalibusque spiritibus depauperata. Ideò etiam appetentia minoratur, & concoctio vitiatur.

In potionibus vulnerariis confidit admodum Paracelsus, ejusque discipuli mira decantare observantur. Istæ verò non tantum ex simplicibus medicamentis parantur, sed ex alimentis. Ideòque cum cibis præparari, ac coqui possunt. Maximè verò horum vires, vino tradendæ sunt.

Harum vulnerariarum potionum effectus est, naturale temperamentum servare. Succorum pravas qualitates corrigere. Corpus alere. Atque vulneratæ parti, aptum nutrimentum adducere.

Inter usualiora, & facilè parabilia vulneraria recensentur pastinaca

ſativa. Terra ſigillata. Trifolium. Beta utraque, Dragunculus. Conſolida utraque. Mumia. Buxi folia. Lillium convallium. Serpentina. Millefolium. Perſicaria. Betonica. Salvia. Verbaſcum.

Potiones itaque vulnerariæ fieri ſolent in vino albo tenui, in vaſe duplici, vitriato, commiſſuris optimè clauſis (*juxta Paracelſum in chirurgia magna*) ex ſimplicibus etiam vulnerariis fieri poteſt tempore vindemiæ vinum fermentatum.

In abſtemiis verò, vel pro vulneribus capitis, decoctio in aqua fieri debet. Decoctorum paritèr loco uti poterimus ſuccis.

Alimenta itaque vulneraria parabuntur, carnibus, vel pullis in aqua incoctis cum ſimplicibus vulnerariis, in duplici vaſe. Aut in vino incoquantur, & exinde facta collatura, ac expreſſione, gelatinæ parentur.

In albo vulnerariorum ſimplicium paritèr myrrha eſt, maſtiche, thus. Lumbrici terræ. Hipericon. Plantago. Ariſtolochia rotunda. Carabes. Quæ vulneraria majora appellare poſſumus, ad differentiam aliorum minorum.

Nunquam ſatis inculcatum ſit, quod præcipua ratio habenda eſt, ne aeris cauſa; ſed potiſſimum frigidioris appulſu, vulneris poroſitates invertantur, atque ſic inflammationibus, tumoribus, & gangrenæ etiam additus aperiatur.

Certa namque experientia conſtat, quod ſi recens vulnus citiſſimè operiatur atque claudatur, itaut externi aeris appulſus omninò interdicatur, citiſſimè ſanatur, à ſucco albugineo nervorum nutritio, qui ex tubulis ſpermaticis diſruptis (gluten magna ratione à veteribus dictum) profluit. Qui ab aere externo præternaturalitèr alteratus, particuliſque ſuis ſpirituoſis evolantibus orbatus, nutritioni ineptus fit.

Non ſolvantur igitur vulnera niſi poſt quartam, vel quintam diem, vel vlterius. Sed ſolum pro quadam ægri, & adſtantium conſolatione remotorum, ac exteriorum tegminum aliqua ſolvantur, & deſuper infra dicendorum balſamorum aliqua illiniantur. Vel in profundo, & magno vulnere anguſtum foramen in parte declivi relinquatur, per quod pus prodire poſſit. Vel per quod ſypho ſuctorius introduci poſſit, ad ſaniem hauriendam.

Omni ſtudio optima in ſtomacho chyloſis procuranda, ut ex probo chylo optimus ſuccus albugineus nervoſus haberi poſſit, nam legitimum vulnerum omnium balſamum eſt, atque immediatum inſtrumentum, quo natura ad ſoluti conſolidationem utitur, dum ad nutritionem ſpermaticarum partium, atque fibrillarum diſciſarum unionem ſemper conſpirat.

Acida igitur, ſalſa, ſaccarata, & magnarum virium alimenta, magnam in corpore turbationem inducere potentia fugiantur. Dieta tamen modicè frigida inſtituatur, ne ſucci incraſſentur, aut præ ſua aquoſitate, aut alia condictione inepti, munia rectæ nutritionis obire poſſint.

Itaque vinum bibere aſſuetis, vinum non interdicatur, quod ſanguinem, & liquores omnes in bona, & naturali condictione ſervare poteſt. Noſtri namque corporis ſucci ſingulari gaudent mixtura particularum vinoſarum, quibus etiam ſuſtentari

postulant. Neque enim in qualibet alia re nisi in vino activarum vinosarum particularum condictiones reperias.

Ideòque experientia ostendit quod vulnerati, vino generoso assueti, aquam bibere coacti, in magna vitæ discrimina delapsi sunt, consuetudine (quæ est altera natura) immutata, ac liquorum condictione inversa.

Excipiuntur tamen casus febrium, inflammationum aliorumque gravium symptomatum. Præterea vinum ipsum medicamentis alteratum propinandum erit, ut infra dicetur atque ab acore quantum fieri potest liberum esse, vel liberari debebit.

Æger in latus læsum (si fieri possit) nunquam decumbat. Acidum absorbentia fræquentèr exhibeantur. Hæc enim succos fluidiores quoque reddunt, si simul diaphoretica sint.

Inter hæc usualiora magis enumerantur, antimonium diaphoreticum, oculi cancri, tum martiales, tum saturninæ essentiæ, ac salia ex. gr. accipias stybii diaphoret. drach. s. oculorum cancri scrup. ij. sperma ceti scrup. j. salis saturni gr. iiij. misce, fiat pulvis, & dividatur in quatuor partes. Vel facta opiata cocleatim exhibeatur.

Tinctura paritèr traumatica utilissima fieri poterit, concleatim propinanda, ex floribus hiperici, ac seminibus, myrrha, aloe, mastice, succino, oculis cancri. Fiatque digestio, & tinctura S. A. evaporanda ad medietatem circitèr.

Oculi cancri sepè soli sufficere possunt, in vino, vel alio consueto liquore potulento inditi, aut seorsim assumpti. Tum diureticorum, ac diaphoreticorum potiones, ut decoctum lignorum cum stybio diaphoretico, vel pulvere viperino. Vel potus theæ.

Recentia, atque mediocria vulnera solis plumaceolis impositis sepè sanantur, intinctis in aqua Reginæ Hungariæ, vel spiritu vini trinæ infusionis florum, & seminum hiperici, modica canphura admixta.

Obtegantur verò cerato ex. gr. opodeldoch, vel stybii, aut diapalmeo quod cutis munere fungatur, vulnusque ab externo aere defendat.

In magnis etiam, & periculosis vulneribus, ceratis varia cataplasmata superponenda erunt, ad partis temperiem servandam, & succorum stagnationem, gangrenamque arcendam.

Parari verò consuevere ex farina fabarum, seminum lini, rad. altheæ flor. camomelli, absynthio, scordio, seminibus cumini, in vino coctis hyeme. Vel in aqua æstivis temporibus.

Naturam verò puris investigare pro legitima vulnerum curatione, magna lumina afferre poterit. Pus itaque est liquor albugineus nutritius nervorum. Seu albarum spermaticarum partium nutrimentum alteratum, cui paritèr dilaceratorum tubulorum portiunculæ corruptæ, simul cum cruore admiscentur. Cum hac distinctione, quod quando his variis naturis commixtum est, pus crudum, etherogeneum, illaudabile judicatur.

Ostendit enim per varia vascula dilacerata, diversas confluere materias. Quando verò album, crassum, sibi æquale fuerit, pus laudabile reputatur. Tunc enim ex mero

succo

succo nutritio spermaticarum partium fit, qui jam proximè accedit ad fibras spermaticas agglutinandas quæ sunt aliarum partium vera stamina; ideòque ad glutinis naturam accedere observatur.

Si autem benignus hic liquor, ob aëris appulsum externum, vel perperam adhibita medicamenta, aut ob malam victus rationem servatam, acorem contraxerit. Tunc præternaturalia crassamenta, circumvicinorum tubulorum obstructiones parit, febres concitat, & loco consolidandi, ac uniendi, canaliculos ipsos, & fibrillas proximiores exedit.

Si autem aquosus, tenuis nimis, vel viscidus, inæqualis, fœtidus fuerit, pejoris adhùc notæ erit. Atque præsentiam obstructionum, impeditam perspirationem spirituum, atque caloris, bonorumque succorum carentiam. Putredinis, & à naturali statu recessum. Atque debitæ nutritionis defectum clarè ostendit.

Vulneris itaque consolidatio à fibrillarum albarum nervearum, seu spermaticarum partium coalitu primo facto per nutritivam potentiam exordium summens, mediante liquore albugineo, ad carnis deinde circumstantis generationem, sanguine interveniente procedit.

Hinc est quod perperam sarcoticis medicamentis, & sine discrimine vulgus utitur. Legitima namque sarcotica medicamenta ea dici promerentur, quæ succum hunc albugineum in suo naturali statu fovere, imminutum augere, atque ad locum vulneratum ducere, vel accedere posse procurant.

Dum enim hic, tubulis agglutinatis per partem vulneratam liberè profluere potest, secum spiritus vivificos, & calorem adducens, citissimè vndique his staminibus affuso sanguine carnis globuli agglomerantur, atque citissimè vulnus consolidatur.

Verum si talis succus acorem, vel salinam naturam induat, prava subsequetur agglutinatio, nullaque recta nutritio, atque sic sanatio prorogatur. Nulla namque fieri consolidatio potest, nisi acidum prius tollatur, vel sal acre attemperetur, succusque albugineus nervorum nutritius, albarum, ac spermaticarum partium nutritioni aptus ad locum vulneratum demandetur, & foveatur.

Sed jam tempus est, ut præciosiora nobis nota per experientiam balsama enumerentur exorsus à Chyrurgiæ principe Paracelso, qui jubet, ut prius vulnera vino laventur (naturæ legitimo balsamo) deinde aliquo artis oleo balsamico inungantur.

Hanc enim curandi formulam indigitasse videtur Jesus Christus in persona Samaritani descendentis de Jerico, à latronibus vulnerato.

Oleum verò balsamicum à Paracelso indigitatum, tale est: Accipias terebenthinæ, & olei communis ana (ita ut eminere possint infra dicendis) florum camomelli, rosarum rubrarum, hyperici, foliorum chelidonii, centauriæ ana manip. j. atque soli exponantur æstivo per duos menses, iterata, vel etiam triplici facta infusione. Curat hoc balsamum ingentia vulnera absque mordicatione, procul à periculo inflammationis.

Sequenti anno si exprimatur oleum, cum terebenthina, atque recensad-

 datur,

atdur, noviſque floribus imbuatur, atque ſoli ut prius exponatur balſamicæ vires ingeminabuntur, & ſic deinceps &c.

Si etiam addideris lumbricos vino purgatos num. 100. plus minus, quoſcumque dolores, ac coagulationes tolles. Addi etiam poteſt mumia, maſtix, myrrha, thus, ſed in pauca quantitate, & ex tempore, ſi potiſſimum majoris exiccationis intentiones vrgeant. Nam legitima balſama potius floribus delectantur, & maximè hyperici, atque eius ſeminibus.

Robertus Boile cæteris balſamis antefert oleum terebenthinæ merum, tepens, recentibus vulneribus applicitum, eorum enim hemorrhagiam ſanat, citam digeſtionem, ac ſanationem promovet.

Nobile interim inſtrumentum ad pus è vulneribus educendum excogitarunt neoterici. Videlicet ſiphunculum quem vulneris orificio introducunt, ut pus à famulo exugatur. Ita verò aptatum eſt, ut in medio ventricoſus ſit, ad hoc ut pus exuctum in talem ventrem influens, ad ſugentis os non perveniat cum nauſea. Nec non ab vlteriori ſuctione, moleſtia illa arceatur. Et hac arte, magna profunda vulnera curari poſſunt abſque inciſione aliiſque periculoſis operationibus.

Hemorrhagia paritèr in vulneribus, plurimos in vitæ pericula adducit, dum vitæ theſaurus, & facultatum balſamus profunditur. Superponatur ergo bona quantitas vitreoli martialis canicularibus diebus calcinati. Tum petia eodem ſanguine commaculata, ſympathico eodem pulvere inſperſa infra ſtrata lectuli decumbentis ſervetur.

Per quinque circitèr dies ligatura vulneris non ſolvatur, ne cruſta detrahatur, & ſanguini fores iterum patentiores aperiantur. Hac enim arte, nullo alio adhibito remedio, vulnera ſanata vidi.

Alii adſtringentia auſtera, & liquida (ſi potiſſimum vas ruptum in profundo ſitum ſit) ut tinctura gallarum, malicorii &c. Verum his dum hemorrhagia cedere recuſat, applicito butyro antimonii, vel balſamo cauſtico meo, non ſecus ac per ignem actualem, dum tubulorum oſculi criſpati retrahuntur, in momento hemorrhagia omnis ſupprimitur. Cum hoc diſcrimine, quod tanta ſtypticitas per hoc balſamum introducitur, ut profundiùs occluſis tubulis, eſcara decidente ſanguinem profundere nequeunt; nec non pauco admodum genito pure, vulnus citiſſimè conſolidatur.

Si autem vas ſanguinem profundens in loco oculis obvio ſit, & per compreſſiones claudi poſſit, pacta mercede aliqui convocari poſſunt, qui alternatim in excubiis ſedentes, ſauciati vaſis labia comprimant.

Sed revertentes unde digreſſi fuimus, dicimus, quod in balſamorum adminiſtratione, prius vulnus lavandum vino ſimplici, vel medicato eſt.

Quia verò multi mihi videntur peccare deſtillando terebenthinam, aliaſque reſinas, ac gummata, dum calidius medicamentum parant, magiſque intemperatum, quam ut carnis generationem in vulneribus promovere poſſit. Temperatum noſtrum parabitur, ex olei olivarnm lib. iiij. tereb. lib. j. Florum hiperici quantum ſatis ad tenuem eminentiam olei. Vini albi veteris lib. iij. decoquantur

ad

ad consumptionem vini, inde legitimè insolentur. Quibus addendo vernicem, masticis pulverem, thus, myrrham, sal saturni, & cauphuram efficax, & temperatum balsamum habebis, quod à suppuratione alienum, citissimam consolidationem olitur.

Nobis etiam pro efficaci balsamo inservivit spiritus terebenthinæ unc. iiij. salis saturni unc. ij. canphuræ dr. j. commixta, atque in cineribus per diem digesta, invicem enim attemperatione gaudent.

Balsamum Hispaniæ propositum à Serodero cap. de balsamis, unum ex præcipuis enumerandum est, quoniam temperatum. Qui enim copiosa myrrha, viride æris ac symplicibus valdè calorificis utuntur ad vulnera, dum nimis calefaciunt per valdè activa, ac potentia, naturalis facultatis munus deturbant & partis robur infringunt, indè omnia invertentes, phlegmones, tumores, calores præternaturales, dolores pungitivos, putredines, ac fœtores accersunt.

Ideòque longè errare observantur, qui per aromatica incorruptibilia, aliaque magnarum virium vulnera sanare aggrediuntur, decepti ab auctoritate *Paracelsi dicentis. Vulnera curari debent per ea quæ putredini resistunt*. Ea etenim verè putredini resistere dicuntur, quæ nutritivæ potentiæ munera non impediunt, sed potius ejus impedimenta removent, eique obsequuntur patiendo, & non imperant, neque opponuntur agendo.

Hinc est quod procurata virium omnium conservatio, & potissimum concoctionis stomachi semper utilissima fuit.

Atque notat Kergerus quod si oculi cancrorum per noctem in vino infundantur, vinum vim, & saporem lixivii induit. Ideòque non est cur abhorreat medicus vini usum in vulnere, vel in febribus propinare, hac enim ratione vini vires, & proprietates (exuens nativam aciditatem) amisit, ut etiam vult *Elmontius, & Tachenius in suo Hippocrate chymico sic: Ideò nos vulneratis vinum prohibemus, non quia calefaciat, & ob id sanitatem impediat; sed quia innata vini aciditate vulnus acessit, & ad putredinem promovetur. Si verò ad drach. ʃ. lapillorum cancrorum pulverem exhibeas, tunc moderate vinum epotum, vulnus citò, tutò, jucundè, & absque febre cicatrizabitur. Tollitur enim hac arte acidum puris artificem*.

Doctrina est etenim Elmontii, quod pus ab idiotis dum bona vulneris digestio dicitur, à nobis rectiùs minus malum appellatur. Vulnus namque recens, dum balsamo imposito à corruptione munitur non advenit pus. Verùm quando fundus, vel labia acorem (putredinis indicem) contraxere, fit pus. In culinis namque si carnes corrumpi incipiant, earum juscula acescunt.

Hinc est quod vulnerariæ potiones, alcalicæ naturæ esse debent, vt acidentibus ex corruptione acoris ortis resistere possint. Sic lapides cancrorum diuretici sunt, & vulnerarii jure meritò esse dicuntur. Sic mercurius dulcis semper in vulneribus magnus auxiliator est.

Ego vidi (*ait Elmontius*) *rusticum qui ingentia vulnera sanabat, potu lixivij ex tilia parati, videlicet cohibendo corruptiones acidas hac arte*.

Ut verò ad particularia magis descen-

ſcendamus in vulneribus atque punċturis nervorum inſtillabimus medicamentum quod cum moderato calore maxima partium tenuitate præditum ſit, ac vi exiccandi inſigni, nativo calori ac nervorum temperiei amicum ſit.

Hoc enim auxilio ſperandum erit, ut vulnus prius agglutinetur, quam colligatur materia in ipſo effatu digna, aut per moram virulentiam, & acredinem acquirat.

Tale auxilium eſſe poſſet oleum ſtillatitium terebenthinæ, vel de hyperico compoſitum cum ſpiritu vini. Cui ſi lumbrici terreſtres incoquantur, & canphura addatur, multò preſtantius erit. Mordax quidem prima impoſitione videbitur, ob ſuam activitatem, tenuitatem & calorem, & nerveas fibrillas valdè ſentientes. Sed paulò poſt omnis mordicitatis ſenſus ceſſare obſervatur, ob eandem ſuarum partium tenuitatem, per quam vndique diffunditur, ac dilatatur.

Oleum paritèr Hiſpaniolæ, tum balſamum Peruanum cum ſpiritu ardente ad hoc opus inſervire poſſunt.

Medicamenta verò ſive actu, ſive potentia frigida non admoveantur (frigidum enim vulneribus mordax) imò neque tepens, ſed calens adminiſtrari debet.

Nobis familiarior mixtura eſt ex oleo terebenthinę, hyperici, & vini ſpiritus cum canphura in nervorum puncturis, & partium nervoſarum vulneribus.

Victus tenuis in his vulneribus ſervandus erit, ex *Cælſo lib.* 8. *cap.*30. quo mediante inflammatio inhibeatur, & febris procul arceatur. Sic acida univerſa nervis hoſtilia fugiantur. Et ea cuncta quæ liquores ad fermentationem concitare, vel eoſdem coagulare valent. Vulneraria verò decocta magis fortè quam in aliis vulneribus neceſſaria ſunt.

Ad vulnera thoracis penetrantia oleum Hiſpaniolæ per ſyphunculum iniectum ſufficere poteſt, & niſi poſt quintam diem detegatur vulnus, ſed ſolum pro adſtantium, & ægri ſolamine in vicinis partibus linimenta admoveantur, ſi etiam res vrgere videatur, in ima vulneris parte, & per exiguum foramen immiſſo ſyphone ſuctorio pus ſi copioſum ſubſit hauriatur.

Itaque tutius eſt in expectorantibus, diaphoreticis, & aliis confidere, quam exitum puri per patefactum os vulneris quærendo, mortis ingreſſui miniſter fieri.

Fatemur, & nos quidem omnes hoc noſtro medendi methodo ſanare impoſſibile eſſe, ſed aliquos præ dilaceratione vaſorum majorum, atque ſuccorum ſtagnatione perituros (ut noſtra, & aliorum amicorum autopſia edocuit) qui ad puris eductionem omnia dirigentes, naturæ medicatricis artem, cum ægri internecione negligunt vulnus ſæpiùs contrectando.

Sudorifera igitur decocta lignorum his propinare utilimum erit cum liquiritia ſemper. Tum ſtybium diaphoreticum, oculos cancri, pulverem viperinum, cornu cervinum, & alia conſimilia.

Si aliqua indicia adſint de ſanguinis grumis, diſſolventia exhibeantur in aqua ſcabioſæ, cardui benedicti, oculi cancri, ſtybium diaphoreticum ſperma cæti, coagulum leporis, cum ſyrupo de betonica. Ex quibus mixtura parari poterit, de qua

capiat

capiat æger singulis tribus horis coclearia duo.

Bechichia paritèr, & tussicularia consueta auxilia proderunt. Tum antepleuritica fermè universa. Ideò elapso tertio, vel quarto die pulvis corallorum, stybii diaphoretici ad scrup. j., cum aqua florum papaveris erratici singulo manè propinetur.

Imò crustacea omnia, & universa, quę acidum attemperare, & coagulationem impedire possunt optima auxilia reputanda sunt. Tum diuretica alkalina potissimum oculi cancrorum primum occupare locum certum est.

Verum assiduum usum papaverinorum usque ad diem septimum suademus. Non enim coagulandi liquores, sed dissoluendi vim habere, certa experientia convincit, mediante sudore quem repetitis vicibus educunt; adversùs verò pectoris inflammationes, quam strenuè pugnent papaverina, nemo est qui ignoret. Decoctum florum papaveris rheados, tum syrupus etiam cocleatim singulis horis propinari poterit.

Vulnus autem thoracis non penetrans, curetur, ut vulnus simplex, absque magna dietetica cura. At in penetranti magna sit in victus ratione cautio.

Nam in ferculis ptisana cum emulsione quatuor sem. ma. admisceatur. Omniaque peragantur, ut inflammatio quantum fieri possit arceatur.

Potus sit decoctum hordei, vel ex rebus pectoralibus. Si grumi sanguinis adsint posca tepida adhibeatur. Acetum enim sanguinis concretiones mirificè dissolvit. Ad mensuram difficilis tussis, vel materierum crassarum, vel tenuium, lambitiva exhibeantur.

Quandoque evenit, ut per vrinam pectore contenta expurgentur, & tunc boli ex terebinthina, vel guttulæ olei terebenthinæ magno cum fructu exhibentur, vel tinctura carabes.

Si de vulnerato pulmone indicia constent, admodum sollicitus esse debes, ut per sanguinis missiones repetitas tum apertis hemorrhoidibus, venarum tumor quodamodo concidat, minorque ad vasa magna pulmonum confluat sanguis, atque sic inflammatio, & extravasatio pro viribus arceatur.

Ab initio medicamenta adstringentia, emplastica, sanguinem sistentia, inflammationem arcentia, ac glutinantia conveniunt. In progressu dissolventia, expectorantia, ut jam innuimus.

Qui vulnerato thorace, ac pulmone obiere postquam aliquot dies supervixerint, pectore discisso à nobis, & amicis nostris reperti fuere sfacellatum habere locum vulneris. Nulla equidem alia ratione nisi quia per turundas fræquentèr adhibitas admisso aere ad loca adversus aerem à natura munita, à sanationis via digredi cogebantur.

Re namque vera thoracis vulnera, nostra hac methodo curata intra paucas horas ne dicam dies exitus sui indicia proferunt, loco fervido existente, ac cordi proximo, sanationem suam in longius differre recusans. Neque ejus sanatio nisi coactè, & cum periculo differri potest. Si autem post sanatum vulnus quid in pectore supersit. Absque magna difficultate viribus vegetis, & affectu cronico non existente

ſtente per anacatharſim purgantur.

Pro vulneribus capitis, ejuſque contuſionibus, omni arte, ac induſtria externus aer à vulnere arcendus, atque calidus procurandus eſt magis quam in alio quovis vulnere. Nam ſuper cætera membra cerebrum à frigore læditur.

Interius verò cerebrum magis fervet, quam aer æſtivis canicularibus diebus. Si verò poſt inflictum vulnus in momento operiri poſſet, atque externus aer ad cerebrum accedere prohiberetur, ſolius naturæ non impeditæ opera, intra breviſſimum tempus conſolidari obſervabitur. Si quis negat hæc in cane vel aliis beſtiis recentèr ſauciatis, & ab aere munitis experiatur, ut nos fecimus, & tunc non amplius opinioni, ſed noſtræ autopſiæ favere gaudebit.

Vinum his ſauciatis oligophorum exhiberi poterit (niſi febris obſtet) in modica quantitate, & cui oculi cancri admiſceantur. Quieſcere his adeò conducit, ut à riſu ipſo etiam abſtinere cogantur. Atque papaverinis ſomnum, & ſpiritibus quietem procurare ſtudeant.

Si capitis vulnus, cum inſigni contuſione conjunctum ſit, totis viribus annitendum erit ne extravaſatus ſanguis, vel ſerum nutritium albugineum nervorum in glandulis, vel in cerebri cortice concreſcant. Ideòque ſanguinis motus circularis in ſtatu naturali ſervandus, per ea quæ acida coagulantia abſorbent, ex. gr. per lapides cancrorum, cornu cervinum, oleum ſuccini, viperina, & eſſentias ſimplicium cephalicorum ſpiritu vini extractas, nec non ſpiritum vini theriacalem canphuratum. Quæ etiam cum aquis, vel decoctis cephalicis, aut lignorum propinari poſſunt.

Maxima cura ſit, ut capillis abraſis, pars ſacculis foveatur ex rebus cephalicis paratis, ſed potiſſimum betonica, ſalvia, roſmarino.

Vel etiam ſpiritu vini canphurato, vel tartarizato, vel crocato. Sed potiſſimum aqua Reginæ Hungariæ aut ſummitatibus betonicæ in vino decoctis. Vel lixivio ex ſimplicibus cephalicis parato.

Interim balſamus Peruanus cum ovi vitello, & vini ſpiritu diſſolutus vulneri applicetur. Si partes nervoſæ, contuſæ ſint, oleum aniſi inungatur. Sola etiam brionia in vino cocta Elmontio ſatisfacit ſupra contuſionis locum diù in fotu adhibita.

Valet & radix ſimphiti. Per hæc enim auxilia cutis pori aperiuntur & extravaſatus ſanguis attenuatur, atque volatilizatur. Ut vaſa iterum ingredi poſſit, vel per cutaneos poros inſenſibilitèr egrediatur.

Si contuſio gravior ſit, jamque fibrillæ diſruptæ liquores in interſtitia, & cavitates evomant, inde ad neceſſarium acorem, & corruptionem feſtinent. Tunc ſuppurantibus reſpergatur, abſceſſus aperiatur, atque mundificatus conſolidetur.

Suppurata itaque contuſio felicitèr curatur per balſamum ſulphuris, vel Pervanum. Digeſtiva agglutinantibus temperentur, videlicet terebinthina cum thure, maſtiche, aloe, myrrha balſamo Peruano, hyperici &c.

Aer vulneribus capitis inimicitiam ideò gerit, quia in ſe acidum nitroſum continet, quod cauſa eſt, ut ſanguine à vena per phlebotomiam extracto ſtatim coaguletur. Quamobrem

obrem dum capitis vulnera solvuntur, capiti admoveri debent vasa cum carbonibus accensis, nec non pulvere myrrhæ, & thuris insperso, frigus ambientis aeris aliquo modo attemperandus est ejusque acidum nitrosum corrigendum.

Cavendo ab omnibus medicamentis pinguibus in capitis vulneribus applicitis, hæc enim particulis suis ramosis, poros cranii, tubulosque obstruunt, & humores ad stagnationem, & acescentiam ducunt.

Sed quæ resinosa balsamica sunt, acidum pericranio, & fibrillis nervosis molestum corrigunt, atque vlteriorem succorum corruptionem præcavent, ut est balsamum Peruanum.

At oleosa pinguia capitis vulneribus ideò inimica sunt, quia in sinu suo occultum acidum gerunt copiosum, nec non vnctuositate sua poros obliniendo, transpirationem liquoribus liberam non admittunt, sed stagnare permittunt, atque acescere.

Hanc itaque liquorum acescentiam attemperare studebis, fomentis ex herbis cephalicis in vino coctis, sacculo inclusis, & singulis horis calidè alternatis. Circa ceratorum superponendorum electionem Paracelso placent ea quæ gummata, & letargium recipiunt. Rejicit verò ea quæ resinam, colophoniam, vel canphuram recipiunt.

Atque in condictionibus calidioribus, utendum refrigerantibus, in frigidioribus temperatiora &c. Spiritu vini cephalicis potissimum imprægnato, tum balsamo Pervano usus est Aquapendens felici cum successu, nam siccant, atque corruptionibus adversantur.

Usum potionum vulnerariarum ad vulnera capitis Quercetani summoperè commendamus.

Quæ vulgus de sedula deligatione vulnerum capitis, per tot repetitas fascias, & Hippocrates libro peculiari de vulneribus capitis tradidit, cū neotericis experimentatoribus non approbamus; nam sudariolū sufficere potest. Pro aliis vero Hippocr. intentionibus fotus, aeris alterationes, aliaq; cautiones sufficere possunt. Et interim, doloris, compressionis, incalescentiæ inflammationis, ac prohibitę perspirationis pericula prȩcaventur.

Quibus tamen Hippocrates assentiri videtur inibi dicens: *Vulnus in capite nullo humore humectare convenit, ne vino quidem. Neque cataplasmate integere, neque linamentis curationem facere, neque vulnus comprimere in capite, nisi fortè in fronte fuerit, vel in loco pilis denudato. Talia enim vulnera cataplasmate, ac deligatione magis opus habent, quam in aliis capitis partibus. Neque etiam ea quæ in fronte sunt vulnera per omne tempus cataplasmate integere oportet, ac deligare, sed postquam inflammatio sedata est, & tumefactio minorata.*

Amicus meus oleo abietino semper felici cum successu usus, dicere folitus, quod pro capitis vulneribus vnicum destinatum auxiliū est.

In vulneribus autem abdominis, statim acidum absorbentia, sanguinem dulcificantia, atque succorum circulationem promoventia propinentur.

Inter quæ præcipua in hoc opere putantur lapides cancrorum, stybium diaphoreticum, sperma cæti, cornu cervinum. Quæ cum decocto lignorum, potione vulnera-

ria exhiberi poterunt.

Sic per diaphoretica grumi sanguinis evasati dissolventur, & humorum omnium naturalis circulatio promovebitur. Cocleatim exhibita aqua cardui benedicti cum syrupo de papavere, stybio diaphoretico, oculis cancri, sperma cæti validum auxilium est singulis horis.

Omentum diù aëri expositum abscindendum post deligaturam. Intestina vulnerata consuenda, postmodum balsamo vulnerario illita, & pulvere cosspersa myrrhæ, aloes, saccari saturni, reponenda erunt. Deinde pars foveatur vini spiritu cum aloe & sale saturni, vel vini spiritu canphurato, aut aqua Reginæ Hungariæ cum canphura.

Ad præcavendam internam inflammationem, & febrem, singulis quatuor horis duo coclearia aquæ menthæ exhibeantur, cum modica aqua Reginæ Hungariæ, oculis cancri, canphura, & granis saccari saturni admixtis.

Præter intentiones acida absorbendi, consolidandi vires habent oculi cancri, stybium diaphoreticum, mumia, terra sigillata, sal tum saturni, tum martis in vini spiritu solutum, nec non mastix, quæ cum decoctis lignorum, vel potionibus vulnerariis propinanda. Tinctura hyperici cocleatim sumpta efficax est.

Decocta vulneraria his magis accomodata parantur ex plantagine, summitatibus hyperici, & ejus seminibus, tum ligno lentiscino, radicibus tormentillæ, consolidæ, & succino.

Commendabilis est & aqua millefolii, tinctura hyperici, syrupus de corallis. Balsamica per syphunculum injiciantur, quæ vim acidi corrigendi habent; ut vini spiritus balsamicis tincturis impraegnatus, oleum juniperinum, spiritus ardens theriacalis, cum spiritu salis armoniaci.

Vel vini spiritus canphuratus cum sale armoniaco. Vel spiritus terebinthinæ cum balsamo Pervano. Aut aqua Reginæ Hungariæ, cum tantundem ovi vitelli, & pulvere myrrhæ, & aloes.

Decumbat æger in partem vulneri oppositam ut hac ratione intestina minus impetum faciant ad foramen. Præter suturas, ego appono glutem meum ante descriptum, cum suis ansulis, exiguo foramine relicto in angulo inferiori vulneris, ut iniectiones, tum puris suctiones, si quandoque necessariæ videantur fieri possint, absque vulneris detectione.

Quibus glutem minus arridet, pulveres inspergant ex mastice, sanguine draconis cum ovi albumine. Vel ceratum agglutinans, potissimum diapalmeum, vel stybii.

Ad suturas itaque conservandas glutem proponimus. Nullo etenim modo abdominis vulnus apertum detinendum est. Sed recta auxiliorum administratione extravasati succi interius contenti insensibilitèr evacuandi sunt, per rarefacientia, ac dissipantia.

Post suturas igitur intestinorum, repositio eorum fiat prius fomento facto ex vini spiritu canphurato tepido, & consperso pulvere mastiches.

Postmodum in abdomine sutura fiat, ut aeris accessus ad internas partes omninò prohibeatur, & sic conclusus calor, & spiritus non expirantes, celeritèr intestina sanent.

Victus.

Victus ratio potius humectior sit, ne duræ fæces intestina irritent, ideò clysteribus fæces emollire consultum erit, & simul vulnus agglutinare studebis. Quod facies vino austero, cum pulvere masticis. Vel jure pedum vituli, cum pulvere masticis.

Agglutinatio etiam promoveri potest per os assumpto decocto caudæ equinæ, saccaro rosaceo antiquo cum bolo. Conserva cydoniorum sola, vel cum pulvere masticis.

Pro vulneribus verò punctim inflictis, vel etiam partium nervosarum, atque valdè sensitivarum balsamum paro ex thuris, myrrhæ, aloes, balsami veri ac solidi, benzoini ana vnc. j. ambræ moschi ana scrup. ſ. Aquæ vitæ vernicis dictæ lib. iiij. stent in sole viginti diebus, vel in cineribus tepentibus aut B. M. octo, deinde evaporetur tertia pars spiritus vini, atque in residuo misceantur extracti florum, & seminum hyperici vnc. ſ. salis saturni unc. j. canphuræ drach. j. Hæc tepentia per syphonem iniecta, omnem dolorem mitigant, & citissimam sanationem promovent.

Vel accipias vini spiritus rectificatissimi lib. iij. terebenth. vnc. iij. sang. drac. in lacryma vnc. ij. myrrhæ vnc. iij. stet in cineribus per octo dies, & post evaporationem tertiæ vel quartę partis adhibeatur.

Decubitus interim in magnis & profundis vulneribus aptus eligendus est. Nam si supinum membrum teneat æger, periculum est ne gurgitem purulentum faciat, neque consolidetur æqualiter ab imò ad superficiem, membrum etenim vulneratum si pronum detineatur faciliùs est, ut ab imò exiccari, atque consolidari incipiat, quam circa os externum vulneris ad quod pus affluit.

Tempore tamen quo balsamus infundi debet, supinum decubitum possideat membrum, ut ad imum pervenire possit iniectum balsamum.

Vulnera autem quæ transeunt in fistulas curentur, ut fistulæ balsamo caustico meo ad intemperiem, vel callositatem removendam, & magnum siccitatis gradum imprimendum, vel oleo vitrioli, vel butyro antimonii prius & per tres dies butyro, deinde balsamo sulphuris terebenthinato, vel succinato sequentibus diebus utendum.

Vulnera venenata ferarum, magna ira percitarum, vel aliis rationibus virulenta facta, curari paritèr debent butyro antimonii, vel balsamo caustico meo, vim ignis habente, atque virulentias omnes absumente. Vel etiam adhibito igne actuali. Vel podice deplumato pullorum prius applicito, deinde balsamo sulphuris terebenthinato ad integram sanationem deducentur.

Pro vulneribus sclopetorum, inflammationi occurrendum erit omnibus viribus; atque curandum ne per victus intemperantiam humores ad fluendum invitent. Tenuis igitur, & refrigerans victus, ut in morbis acutis eligatur. Magna sit quies animi, & corporis. Validissimum est oleum hyperici part. iij. lumbricorum par. j. spiritus terebenthinæ, & spiritus vini ana unciam unam misce ac in cineribus digere saltem per aliquot horas.

Deinde linteamina balsamo saturni madefacta superponantur, primis diebus. In progressu verò cerato de stybio uteris tum in his, tum

in aliis vulneribus. Hoc enim miram exiccandi vim habet, & succos à corruptione defendit sua saturnina infrigidatione.

Tectum quantum fieri potest servetur vulnus ad plures dies, curando tantumodò, ut per tenuem, & in imò loco aptatum foramen, materia purulenta exitum adinvenire possit.

Exteriùs interim saturni balsamum frequentari poterit. Tum locus vino, vel lixivio, ex rebus balsamicis incineratis ablui posset.

Sed potissimum inflammatio, & dolor omnis arcendus per succum ex vivis cancris expressum, tum per sal saturni aliaque multa adhibenda, quæ in combustionibus proficua esse insinuavimus alibi. In magna corruptione, nil melius vnguento Ægyptiaco cum mercurio præcipitato. Videlicet Ægyptiaci uncias tres, mercurii præcipitati drach. j. misce. Vel in casu difficiliori ad butyrum antimonii confugiendum erit. Vel saltem ad mercurium pręcipitatum dulcificatum, ad oleum antimonii, aut sulphuris.

Res tamen ita se habere solet. Si sclopeti vulnus sit proximè inflictum, videlicet in distantia unius circitèr brachii, rari sunt qui ultra horam supervivant, nisi vulnus in parte ignobili, atque procul à magnis vasis sanguifluis sit. Nam sicuti ex nitro & vitriolo elicitur per retortam aqua fortis, quæ in vena aliqua immissa alicujus animalis intra pauca momenta universum sanguinem venefica acida ratione coagulat, & mortem affert.

Sic in tubulo sclopeti violenta ignis displosione ex nitro & sulphure (quod dat eundem spiritum quem dat vitriolum) veneficus coagulator spiritus conflatur, qui si in aliquam venam sese insinuare possit, sanguinem coagulando mortem aflert.

Sic verò rem se habere ostendit intensa nigredo quæ observatur in his hac ratione interfectis, & quod stertentes moriuntur dum sanguis in pulmonibus ipsis coagulationem suscipit.

At sclopetorum vulnus in dictans inflictum, habet quidem secum portiunculas aliquas hujus spiritus venefici; sed non adeò potentes, ideoque facilius curantur isti, quam priores. Mirum etiam dictu, (& nisi in vallibus Clodiæ evidenti experimento mihi innotuit) quod pyrii pulveres alii de hoc venefico coagulatore spiritu plurimum continent, itaut uno vel altero globulo inflicto interficiantur illicò volatilia.

Alii verò minimum de hoc venefico spiritu continent, itaut neque multiplicibus globulis, etiam in vitalibus partibus inflictis, interficitur volatile animal, sed procul evolans moritur post aliquot dies, vel etiam sanatur.

Concludimus igitur quod in vulneribus sclopetorum certiores fieri debemus an procul an proximè vulnus inflictum fuerit. Nam quod proximè inflictum fuit indiget internis alexifarmacis sanguinem præservantibus à coagulatione, inter quæ salia volatilia viperarum, cornu cervi, cum modica theriaca, vel elixire proprietatis Paracelsi. Atque succo cancrorum expresso inflammationi (à succis extravasatis, atque coagulatis factæ & proximæ fieri) occurrendum, tum auxilis ex succo & floribus sambuci, & aliis combustionibus inservientibus.

Post

Poſtmodum ceſſato hoc timore inflammationis, curatio per balſama feliciter ſuccedit.

Ad Vulnera Auxilia.

ÆQuè in vulneribus, ac in vulceribus ad acidum eviſcendum manus Medici pugnare debent. Noſtrum idcircò balſamum admirabile, citiſſimè vulnera, & vulcera conſolidans proponimus. Paratur verò ex ſpiritu terebenthinæ lib. 5. oleo myrrhæ vnc.ij. oleo ſuccini vnc.j. floribus ſulphuris vnc.ſ. Reponantur hæc omnia per horas 24. in cineribus tepentibus, ut eliciatur à ſulphure tinctura, quam miſcebis cum tinctura extracta à floribus, & ſeminibus hyperici, & camomelli ana vnc.j. ſalis ſaturni drach.ij. Canphuræ drach. j. ſpiritus vini lib. j. Hæc ſeorſim digeſta, inde percolata, & mixta evaporetur vini ſpiritus ad remanentiam medietatis. Tantæ energiæ eſt, ut intra horas 24 univerſa ſimplicia vulnera recentia, vel vulcera abſque intemperie perſanet; remota omni inflammatione, & abſque ſanie.

Ad vulnerum verò, vel vulcerum inflammationes ſuccus gammarorum expreſſus, vel lumbricorum terræ liquor in vino lotorum, & in olla cum ſuo operculo, paſta vndique contecta in furno poſt coctum panem locata collectus, præcipui ſunt.

Tum ſuccus ex floribus, vel ex cortice viridi, ac mediana ebuli, vel ſambuci, nec non florum, vel foliorum verbaſci, aut plantaginis cum ſemibus ſuis, aut etiam camomelli, addita ſemper canphura & ſale ſaturni.

Epythema itaque tepens applicetur ex ſpiritu vini canphurato, ſuccoque lumbricorum admixto, vel ebuli ſi dolor atque inflammatio vexet. Qui pravis vulceribus infeſtantur, & potiſſimum cum ſuſpicione luis, ut liquores cum ſanguine circulantes, acres, mordaces corrigere poſſint, & ad excretionum loca deducant; Vlcerumque ſanationem accellerent mercurio dulci utantur, & decocto lignorum, vel ſaltem ſaſſafras, & ligni indici cum ſtybio, vel roſmarini ligno.

Aut theæ potionem fræquentare non deſiſtant, aliaq; ſanguinem edulcorantia, non prætermittant.

Acida univerſa ab horum menſis exulent. Vinum ob acidam ſuam naturam procul abſit, ſed medicatum ſummoperè commendabile eſt, vel hiſpanicum aptè attemperatum.

Tinctura traumatica, vulneribus æquè ac vulceribus afflictis mirè ſubvenit, ſi ejus aliquot coclearia manè jejuno ſtomacho propinentur. Paratur ex ſummitatibus floridis hiperici, myrrha, aloe, maſtice, ſuccino, oculis cancri. Quæ in lixivio cinerum betonicæ, dictami, hiperici digeſta & poſtmodum evaporata ad medietatem circitèr, propinetur.

Balſamus etiam ſulphuris terebenthinatus tum applicitus, tum per os ſumptus ad drach.ſ. circitèr ſummo manè ad vulcera tum vulnera univerſa conſolidanda plurimum confert. Sic & ſuccinatus. Pulvis ſympathicus ex mero vitriolo ſolaribus radiis menſe Iulii calcinato æquè ad vulnerum, ac ad vulcerum ſanationem conſpirat.

Æſtivo tempore tinctura in aqua plantaginis ſpiritu vitrioli acidula facta, ex floribus verbaſci, hipericonis, roſarum damaſcenarum betonicæ, ſalviæ, papaveris, ſambuci, in

uſu

usu potulento frequentèr adhibita sanationem vulnerum, & vulcerum accelerat.

Vulcera magna vi mundificat, & à superfluitatibus liberat mercurius præcipitatus dulcificatus in vase stanneo videlicet tertia, vel amplius parte salis saturni admixta, & desuper duabus, vel tribus vicibus accenso vini spiritu rectificatissimo.

Multo verò minori molestia, sed minori etiam juvamine vti poteris mercurio sublimato dulci, vel aqua aluminosa Falopii.

A rebus verò pinguibus & oleis magis foveri universa vulcera pro certò habeas, nam eorum acidum auget, sordida, purulenta, ac fœtentia reddit.

Sed acria, mordacia, absumentia, exiccantia vulcera, & fistulas sanant. Si negas hoc accipias arsenicum, sulphur, calcem, & cum sapone ad libitum linimentum efforma, atque auxilium adversus vulcera, & fistulas cæteris anteponendum habebis, citò sanans, & universa prava fermenta absumens.

Adversus quæ si quandoque pugnandum sit, vel balsamo caustico meo, vel butyro antimonii certam tibi pollicemur victoriam, nam certo certiùs omnis callositas, & omne prauum fermentum, ferro, & igne vehementius, ac feliciùs absumatur. Solo vero butyro recenti per aliquot dies adhibito, vel etiam sale saturni admixto, & canphura postmodum ad cicatricem festinabant vltrò absque alio auxilio.

Post callositatem in fistulis, vel prava fermenta in vulceribus per antedictam oleum terebenthinæ, & myrrhæ destillatum misceantur, atque injiciantur, vel illiniantur.

Sed semper curandum est, ut acidum in his latens demulciatur per alcalica, tum per volatilia, decoctaque vulneraria, ex lignis, salsa, cineribus betonicæ, salviæ, rosmarini, liquiritia etiam admixta, cum oculis cancri, & crustaceis.

Atque omni arte annitendum, ut chylus dulcis, & non acidus celebretur. Valent idcircò absynthiaca, tinctura tartari, vel martis. Tum mercurius dulcis, aut saccarum saturni, quæ interius administrata, acida errantia corrigunt, & citam sanationem afferunt.

Sic potus theæ his temporibus pro his magno fructu invaluit, non minus ac decoctum lignorum. Aut si mavis (ut nos frequentèr utimur) cum decocto lignorum, theæ decoctum admiscemus cum fructu, & ægri voluptate.

In cronicis, & pertinacibus exulcerationibus pertinaci usu insistimus in tinctura antimonii ad scrup. ſ. cum decocto lignorum manè quatuor horis ante prandium. Summis autem laudibus ad mundificationē efferri promeretur balsamus sulphuris terebenthinatus, & succinatus.

Imò ad horum consolidationem valet tinctura sulphuris, succini, hiperici.

Dolores molesti quandoque vulcerum sanationem procrastinare valent. Ideòque ad illos leniendos opiatis, papaverinis, lacte incoctis anodinis quandoque utendum erit. Spiritus tamen vini canphuratus, cum myrrha, aloe, seminibus hyperici pro mediocribus doloribus sufficere soles; Vel aqua Reginæ, copiosa canphura admixta.

Pro vulneribus internis, ut succi stagnantes acres, viscidi, fluidiores,

res, & spirituosiores reddantur volatilia sudorifera fræquententur, nec non usus mercurii dulcis.

Fistularum topica curatio consistit in calli absumptione per balsamum causticum meum vel oleum arsenici, vel butyrum antimonii, aut oleum mercurii dulcis. A quibus prava fermenta obliterantur, inde mundificatio felici omine procedit, & consolidatio, atque sanatio subsequitur factis iniectionibus balsami sulphuris vel aquæ plantaginis admixto spiritu ardente, cum saccaro saturni, & mercurio dulci. Vel succo cancrorum fluvialium cum flore sulphuris.

Spinas ventosas pertinaci usu decocti lignorum, vel vulnerarii etiam in mensa administrato, tum applicita aqua calcis, cum saccaro saturni sanatas vidi. Aliàs per obstinatum mercurii dulcis usum internum, tum externum cum aliorum supradictorum absorbentium consortio. Scola *Salernitana, pagina mihi 83. pro infallibili remedio reputat auri pigmentum, sulphur, & calcem, quæ sapone nigro mixta fistulis pro colyrio infundantur, vel turundis oblinitis immitantur.*

Quia tamen spinæ ventosæ curari nequeunt vt plnrimum, nisi os desquametur, vel scalpello abradatur. Hanc tamen terribilem ignis operationem, dum æger recusat, balsamo caustico meo, vel butyro antimonii os attingatur, & paucis post diebus solo butyro recenti applicito desquamabitur. Atque ob siccitatis impressionem citissimè consolidabitur.

In universis verò cronicis, difficilimis vulceribus, usum viperatorum auxiliorum super cætera forte efficacia proponimus, & potissimum jura viperata.

In vulneribus sclopetorum præcipuam intentionem primis horis esse, effugere vim malignam spiritus impressi ostendimus superiùs. Qui cum analogiam multam cum ignis impressionibus, atque combustis habeat. Ideò si primò per combustorum auxilia, sclopetorum vulnera curare aggrediaris, donec omnis calor, & inflammatio recesserint, deinceps felici auspicio uti poteris balsamis antedictis, tum infradicendis.

Accipias igitur succum solani, sempervivi, & gamarorum fluvialium, atque eos per syringam injice. Vel eluatur universum vulnus ranarum, astacorum, ac lumbricorum succo.

Omnium tamen potentissimus censetur gamarorum succus, cum modico aceto rosaceo. Ipse super cætera validissima auxilia hoc expertus sum. Accipias mellis lib.ij. succi gamarorum, & semperviviana lib.5. aceti rosacei litargirio imprægnati vnc. iij. bulliant ad ignem per horæ quadrantem. His uteris donec calor atque inflammatio recesserint, ut diximus antea.

Postmodum aliquo ex antedictis balsamis uteris. Vel instilletur oleum terebenthinæ cum balsami Peruani modico, & elixire proprietatis Paracelsi.

Valet, & tinctura florum, & seminum hiperici, cum oleo succini, & terebenthinæ.

Itaque in potionibus vulnerariis, pulveribus absorbentibus insistendum erit. Pugnandum etiam internis aduersus calorem, ac impressionem ustionis exhibendo potiones ex succis simplicium refrigerantium, ac modi-

modicè adstringentium. Vt decocta prunorum, & fructuum subadstringentium. A vino interim, & à rebus sanguinis circulationem accellerantibus abstinendo.

Paracelsus capite de hipericone scribit, quod ex semine hipericonis conficitur oleum per expressionem. Cui addatur oleum olivarum vetustum. Vinum nigrum austerum, & terebenthina. In his decoquantur summitates cum floribus hiperici, donec vinum totum absumptum sit. Facta expressione insoletur per mensem, & postmodum addatur mastic, thuris, myrrhæ, & mumiæ pulvis.

Hoc mirabile balsamum universa vulnera interna applicitum non solummodò, sed etiam per os cum potione vulneraria exhibitum sanat.

In vulneribus itaque sclopetorum peculiari industria ad carnes, & fibrillas confractas, contusas, & venefico miasmate infectas, quorum causa succi stagnare coguntur, atque internæ mortiferæ inflammationes fiunt, optima remedia erunt attenuantia, & quæ succos ad circulationem promptos reddunt, ut elixir proprietatis Paracelsi, aloes, myrrha, aqua Reginæ Hungariæ, sal saturni, spiritus salis armoniaci, calidè cum plumaceolis applicita. Spiritus vini canphuratus, vel sambuci instillati.

Quibus addi potest crocus, ovi vitellum, balsamus Parvanus. Aqua theriacalis canphurata, stybium diaforeticum, oculi cancri, quæ ad acida errantia edomanda cocleatim exhiberi possunt.

Vulceribus autem communitèr vnguentum rationale dictum, ex copioso mercurio præcipitato paratum accommodatum auxilium est.

Istorum corpora ad sudorem semper disponenda sunt decoctis lignorum, salibus volatilibus, ac viperatis.

Super locum verò affectum valet aqua calcis lib. j. mercurij dulcis drac. iij. saccari saturni vnc. s. mixta ac ebullita pro fotu.

Vulcus cum ossis carie non sanatur, nisi ipsa prius sanetur, secus Luxurians caro excrescet, quæ postmodum luxurians repullulat. Ideo caustico meo, vel butyro antimonii, aut oleo mercurii ad cariosum os vsque devenire debemus, ut absedat.

Deinde hæc vulcera aqua Reginæ Hungariæ addita canphura, & spiritu salis armoniaci eluantur. Pro quibus valet & vinum cum stybio crudo, & saccaro saturni.

Si dolores pertinaces adsint, admisceatur canphura vel opium (universalis dolorum domitor) cum myrrha mastich, & cerusa. Valet ad hoc, & balsamus Peruanus cum mercurio dulci, & canphura facto linimento. Maximas etiam corruptiones moderatur aqua Reginæ Hungariæ, cum canphura, & mercurio sublimato.

Calx viva pro sordidis vulceribus ingens auxilium est. Nam acida universa in se absorbet inspersa, sordes, & acidum vulnerum fermentum obliterat. Simulque dilaceratos tubulos consolidat. Ideò inter cicatrizantia primas occupat sedes, & ex ea aqua benedicta à chirurgis dicta paratur pro universis fermè externis cutis affectibus auxiliatrix. Mercurius paritèr dulcis quolibet modo adhibitus magni est auxilii.

Vulcerum labia dura emoliuntur spi-

ſpiritu ſalis armoniaci, aqua Reginæ Hungariæ, alumine uſto, vel mitioribus cauſticis illitis.

Sudorifera acres ichores, & ſeroſas ſuperfluitates aſſiduè ad locum affectum affluentes eliminare valent. Inter quæ ſal viperarum volatile. Pro hac indicatione valent & diuretica, & ſalia fixa.

Sinus calloſos fiſtularum, & conſimilia curare ſolet mercurius dulcis in ſpiritu vitrioli vel ſulphuris ſolutus. Tum oleum mercurii. Vel aquam Reginæ Hungariæ ad vnc. j. cum mercurii ſublimati drach. ſ. & canphuræ gr.xv. ſpirit. ſalis armoniaci ſcrup.ij. miſce ac injice.

An fractuoſos pariter ſinus ſanat vnguentum Ægyptiacum ad vnc. ſ, cum myrrha vnc. ſ. mercurio dulci drach. j. coctum ad vnguenti conſiſtentiam.

Vulcera ad cancrum tendentia ſanat, ſuccus cancrorum, cum mercurio ſublimato. Vel balſamus ſulphuris terebenthinatus, cum ſale ſaturni.

Ex ſaturno validiſſima auxilia adverſus vulcerum malicias eliciuntur, ut jure meritò à quibuſdam quarta chyrurgiæ columna appellari poſſit. Abſorbendo etenim potentèr acida, proximam cauſam vulcerum omnium deſtruit.

Flos ſulphuris, cum pulvere viperino ad gr. vij. pro ſingula vice valdè commendatur. Si etiam externo fotu ex alumine, ſale, & pauco ſulphure, intra paucos dies ſanationem moliaris.

Balſamus ſulphuris terebenthinatus, vel ſuccinatus nullis cedit. Spiritus terebenthinæ, oleum ſuccini, oleum ſaturni egregia auxilia ſunt.

Suffumigia facta loco exulcerato, ex gagate, maſtice, thure, galbano, celeri pede vulnerum ſanationem promovent.

Super cætera cogitandum eſt de auferendo fermento corruptivo, per auxilia tum interna, tum externa. Quod obtinere ſolemus per venena inverſa, ac fixata, quæ jam mitia reddita, fermentum vlcerum fabrum, & corruptorem enecant, quod erat veluti venenum nutritiorum liquiorum corruptiuum. Semel verò ablato, ac extincto corruptore, caro deinceps ſpontè è fundo ſuccreſcit, dum nutritio partis non impedita felicitèr munere ſuo fungitur.

Prava ergo qualitas virus, ac contagioſum fermentum vlceris fundo potiſſimum inſitum, quod nutritium ſuccum vulceratæ parti diſpenſatum pervertit, ac corrumpit, omni arte tollatur, per ſceptica jam propoſita Nec non ad ſanguinem, & ſuccos emendandos per univerſalia proſpiciendum erit.

Hoc luis cælticæ infelici ſæculo, in quo pertinaces affectus, ſub larva ignotorum quandoque morborum, ſed potiſſimum fiſtularum, ignis Perſici, vulcerumque omnifariorum medicos illudunt; adhibendo decocta lignorum cum dieta ſudorifera, nec non viperina, mercurialia, tum antimonialia auxilia, certa ſanationis ſpes affulgebit.

Niſi verò vlceris fundus mundus procuretur, fruſtra conſolidatio tentabitur. Poſt hanc verò mundationem per balſamum ſulphuris terebinthinatum applicitum, tum per os ſumptum vulcera, & vulnera univerſa ſanabis.

Vulcera etiam pungitivo dolore moleſta, ſanat terebenthinæ ſpiri-

tus, balsamo Pervano; oleo Hispaniolæ canphura spiritu vini, ac sale saturni admixtis.

Balsamum etiam Pervanum, cum oleo myrrhæ pulvere aloes, & myrrhæ, unum ex egregiis artis sarcoticis, vulnerum, & vulcerum auxilijs esse mecum fateberis.

Pro tumoribus externis vel inflammationibus in principio succus plantaginis, cum aceto, & sanguine draconis, linimenti forma applicitus. Vel portulacæ aut sempervivi succus cum ovi albumine, & salis modico. Aut ovi albumen cum aqua rosacea, & sale saturni. Succus etiam solani, semper vivi, gamarorum fluvialium expressus. Aut gamarorum succus, & plantaginis cum sale saturni sufficere possunt.

Pro tumefactionibus dolorosis ad suppurationem festinantibus, pro singula vncia olei amygdalarum, salis saturni drach.j. admisceatur. Atque in mortario plumbeo optimè misceantur, stupisque imbutis imponantur. Locus etiam aqua calcis vivæ madefiat, deinde saturni sale aspergatur. Hippocraticum fomentum est pro inflammatis, tumefactionibus dolorosis dissolvendis, ac ressolvendis, furfures aqua benè salita, & aceto subactæ in sacculo alternatim applicitæ.

Hac enim arte sæpè intra horam incipientes pleuritides evanescere vidi, dum materia attenuata, ac fusa à stagnatione cohibetur, & pars imbecillis à confortante auxilio vigoratur, ac firmatur.

In statu verò, ac declinatione incipiente inflammationum, vinum convenire potest, ad humorum coctionem, & expulsionem magis promovendam, ac ressolutionem in parte moliendam.

In principio succus granatorum solus, vel cum aqua, succo, aut decocto florum sambuci, aut corticis viridis seu medianæ ipsius sambuci, inter validiora auxilia reputari promeretur. Succus etiam cydoniorum in laxis, ac debilibus partibus cum aceti rosacei modico permixtus, efficax est.

Inflammationes verò internas, & acutiem liquorum quaslibet inflammationes foventem, moderari valet, serum in copia, & potissimum asininum pluribus diebus manè quatuor horis ante cibum exhibitum. Tum vnciæ duas, vel tres succorum endiviæ, borraginis, malvæ, acetosæ depuratorum cum eorundem decocto in jure facto tantundem. Aquæ etiam stillatitiæ pimpinellæ, capilveneris, malvarum cum aliquo vehiculo diuretico ex. gr. succo limonum, vel spiritu vitrioli præberi poterunt. Nec non emulsiones ex 4. sem. frig. ma. cum lapide prunellæ, spiritu salis vel nitri.

Si à bile flava nimis exaltata inflammationis fervorem venire reputaveris, in obsoniis splenis bovis decocta, vel in substantia adhibeantur. Nam ob sui succi acidi contrarietatem, imbibentis alkali bilis, admirabiles effectus in progressu observabis.

Cibi interim & potus dulces vitentur, nec non valdè acres, aliaque insigni qualitate præditos. Atque ad insipidos, & aqueos potius accedere expediet.

Decoctum ranarum contritarum. Vel earum hepatum combustorum, bilem ultra quam credi potest frænant. Atque hac via inflammationum progressus omnes arcentur. In

victu

victu etiam attenuante ranarum usus commendatur.

Pro inflammationibus genericè, documentum *Galeni est in lib. de inaeq. intemp. Si in nostra potestate esset, optimum esset efficere in inflammationibus, ut arteria quiesceret, vel tardiùs pulsaret. Ob motum enim arteriarum in inflammationibus dolor vehementior fit. Omne verò inflammatum integram quietem desiderat, secus invicem partes atteruntur, fluxio major fit, dolorque augetur.*

Quo fundamento innixi ad opiatotum, ac papaverinorum exhibitionem alacres accedimus, atq; emulsiones ante somnum magno cum fructu exhibemus.

Idem Galenus lib. 12. *meth. insinuat: Incipiente inflammatione frigidis, & adstringentibus uteris. Sic enim angustiantur pori, & robur parti donatur, ut priusquam influant, & extravasati coagulentur exprimantur, & non recipiantur liquores fluentes.*

E contra Neotericorum plurimos reperies, qui methodicam hanc Galeni doctrinam spernentes conclamant. Absit à nobis (ait Elmontius) *timor panicus de interna inflammatione aut augenda per calorifera. Non est enim calor morbi causa, neque calida intemperies. Sed acidi, viscidi coagulati liquores dissolvendi, ad circulationem promovendi, obstructionum fores ipsis recludendo.*

Quae quidem indicationes per infrigidantia neutiquam perfici poterunt. Valent idcircò diaphoretica, cornu cervinum, stybium diaphoreticum, decoctum salsae, sassafras, bezoardicum minerale, oculi cancri. Potus theae.

Extrinseci verò fotus ex foliis absynthii, scordii, rosmarini, & ex simplicibus cephalicis & aromaticis seminibus cumini, coriandri, &c. modico sale armoniaco admixto bulliant in vino, atque facto sacculo alternatim tepentia applicentur, ac saepiùs repetantur.

Hac enim arte tumores ressolvuntur. Inflammationes, & dolores tolluntur. Valent etiam simul commixta, calx viva, cineres clavelati, sal armoniacum, & nitrum.

His etiam efficacius est lixivium ex cinere absynthii, & lumbricorum, cum canphura, & saccaro saturni, calidè, ac saepiùs applicitum. Aut vini spiritus canphuratus, seu aqua Reginae Hungariae cum aqua, vel decocto calcis vivae, sale armoniaco, & aqua florum sambuci. Haec enim citissimè inflammationes, ut radii solares, nives, abijcere solent, & tumores dissipant.

His tamen non obstantibus à recto methodo recedendum non est. Qui fortè elucescet, si attentiùs ad Galeni verba *in lib. de arte cur. attendamus. Ait imbi: In inflammationibus sine fluxione, calefacere, imò eas scarificare nil prohibet. Quod facere non licet praesente fluxione, ut plurimum verò inflammationum causa communis solet esse fluxio. In pletorico itaque cavendum erit à fomentis calefacientibus super locum inflammatum, priusquam totum evacuatum sit, secus fluxio, & tumor augebitur.*

Totum ergo negocium versatur in magna, vel parva fluxione, facta, vel quae sit in via. Absente etenim ea rationabile, ac methodicum auxilium ressolvens calefaciens jure meritò dicendum erit, secus non; ob rationes satis manifestas.

Ob quas etiam mea magna admiratione Bixantii vidi Arabum quorun-

rundam Avicenæ discipulorum, barbarum tumentibus membris auxilium, Ad libras enim sex, septem, & ultra sanguinis, scarificationibus factis à tumefacta parte eliciunt. Eventus autem hic est. Quod si evacuari contingat universa materia peccans, fluxa, & quæ fluere potuisset, intra pauca momenta sanantur. Secus novo facto materiæ affluxu, atque imbeciliori facta parte, & toto, sævis obortis symptomatibus pereunt.

Tutiùs erit ergo Galeni methodo parere, qui sic (*incipientibus inflammationibus circa artus, tutò medicamentum actu frigidum administrari poterit. Non sic si viscera jecur, uel ventriculus inflammetur*) *de arte curat.* In principio itaque adhiberi poterit sanguis draconis cum succo plantaginis, vel sempervivi, & modico aceto subactus. In principio namque externarum inflammationum vasa, & porositates laxæ constringendæ, ac roborandæ.

Pinguia verò ad inflammata non conducunt. Docebit ex altera parte *Hippocrates in lib. de affect.* A quo tamen chyrurgorum vulgus dissentire videtur, oleosa, & piguia perperam inflammationibus adhibens. Ideòque non mirum si ad cancrenas aliaque gravia mala rapiantur malè curati ægri.

In qualibet inflammatione optimus dieteticus ordo requirit, ut vivendi ratio instituatur, quæ superflui sanguinis generationem prohibeat, genitumque imminuat, atque præternaturalem ejus motum impediat, imò tardigradum & minus fluxilem reddat.

Eligatur ergo victus refrigerans, & incrassans. Eaque adhibeantur quæ æstuanti fermentationi adversantia, præcipitant impura & eadem cum serositatibus evacuant. Panatellæ itaque cum emulsionibus 4. sem. frig. ma. Fercula cum onphacio, crespini fructibus, rhibes, amarenis, prunis accommodata erunt. Portulaca plantago, saxifraggia, papaver quocumque modo adhibita proderunt.

Vinum interdicendum erit, acidum etiam in se gerens acidorum fermentantium vim auget, & acuit. Aqueorum potus commendabilior est, quo mediante culinarum sasia eluantur.

Aer frigidiusculus potius eligatur, vel temperatus. Somnus prolixior fugiatur hic enim sanguinem magis fundere valet. Moderatus tamen sit. Vigiliæ etenim sanguinem ad præternaturales motus concitare, & acuere possunt. Aluus lubrica servetur.

Externa fomenta ex furfure, floribus camomelli, cum aceto, vino nigro austero, & aqua salita, in principio, & augmento inflammationum adhibita validissima sunt.

Balsamus saturni ex oleo amygdalarum dulcium, & aceto litargiro impregnato universis inflammationibus dolentibus efficax auxilium esse consuevit.

Tumoribus autem discutiendis inservire potest sal armoniacum, minium, canphura, stybium, & gummata. Tum sal tostum cum sale armoniaco in sacculo applicitum. Insensibiliter etiam tumores evacuat aqua calcis applicita.

Tunc verò potissimum ressolvuntur tumores, quando natiuus calor partis robustior fit, adeò ut attenuare, materiamque in halitus vertere possit

possit, & humidum densatum eliquare. Quod fieri poterit per spirituosa, tenuium partium, calorifica, vini spiritu præparata, atque nostro calori congenea.

Vel contraria ratione per ea quæ nostro calori innato partis adversantia, atque stimulantia, animales spiritus, & influentem calorem in subsidium accersunt, & sic valida commissa pugna, naturæ hostes in fugam vertuntur, & excrementa eliminantur.

Hoc negotium felici auspicio peragitur per balsamum causticum meum plurimo butyro dilutum, tumoribus ac inflammationibus applicitum. Vel per butyrum antimonij eadem ratione adhibitum, aut oleum arsenici. Quæ tumores, ac inflammationes aliàs difficiles celeri actione vincere solent, ac ressolvere. Et potissimum si à fluente materia non foveantur.

Sine verò affluxu materiæ raræ sunt inflammationes, ac partium tumefactiones. Ideòque mortuorum corpora fustibus verberata, in nulla parte intumescunt. Quare conijcimus quod eadem ratione, qua sana pars percussa intumescit, eadem quoque in membris singulis tumor, vel inflammatio fit.

Causamque universalem cognoscimus liquorum stagnationem, atque interruptum cursum circulationis massæ sanguineæ in eadem parte.

Hinc est quod in principio antequam extravasati liquores à circulari motu desistere cogantur, si per auxilia adstringentia, exprimentia, in venas ingredi cogantur, inflammationum, ac tumorum exordia, & augmenta tolluntur, ac prohibentur.

Ut igitur ad pristinam fluiditatem liquores deducantur, sudorifera exhibeantur, & potissimum quæ opiatam naturam habent, ut quiete liquoribus, & somno spiritibus procurato, felicem diaphoresim in his affectibus sortiantur, acidisque coagulatoribus opponantur.

Salia etiam volatilia sanguinem ob stagnationem suam ab acido concrescentem, iterum solvere valent, suaque agitatione subigere solent.

Sudori namque comes solet esse pulsus fræquentior, major, & robustior. Dum silicet sudoriferum ad ventriculum cordis dexterum devenit, per sal verò volatile rarefit sanguis, & cordis motus accelleratur, & sic stagnationes, & sanguinis concretiones tolluntur.

Vbicumque æstus magnus in aliqua parte inflammata persentiatur, omninò à pinguibus atque inflammabilibus cavendum erit. Et potius posca, sempervivi succus, portulacæ, vel solatri his erit auxilio.

Ideò namque detestabilia sunt pinguia, oleosa, ac vnguenta, quoniam loca tumefacta, ac inflammata magis constipant, eorumque poros claudunt, quos apertos esse deceret. Proinde interiùs humorum major effervesentia calor, & partis dolor fit.

Brevitèr itaque ostendimus quod incipientibus inflammationibus in qualibet parte, convenire possunt vomitoria ad primas vias liberandas deinde opiata. Refrigerantia. Repellentia. Papaverina. Saturni præparationes tepidæ. Lapis prunellæ. Oculi cancri. Flos sambuci.

Ad jam factas verò, & absque fluxionis fomento inflammationes vini spiritus canphuratus, aqua Reginæ Hun-

Hungariæ. Diuretica. Diaphoretica sanguinem exagitantia. Cornu cervinum stybium diaphoreticum. Radices brioniæ. Folia absynthii. Flores camomelli. Crocus. Canphura. Animalium stercora, & potissimum columborum. Aqua calcis cum saturno, vel cum sapone. Suffitus gagates, vel fuliginis camini, aut salit armoniaci tumefactas quascumque partes sanare valent.

Sic sal commune tostum cum sale armoniaco pro fomento applicitum in sacculo, si potissimum addantur folia absynthii, scordii, sabinæ, rosmarini, seminum cumini.

Potentior adhuc est calx viva cum cineribus cribratis, sale armoniaco, & nitro. Vel lixivium ex cinere absynthii, & lumbricorum, cum canphura, & saccaro saturni, calidè, & sepiùs applicitum.

Item sapo forma emplastri solus, vel cum cerusa, oleo amygdalarum, & canphura.

Vel balneum in aqua calcis vivæ, & decocto florũ, vel corticũ sambuci.

Tumefactas partes cum doloribus inveteratis ressolvendo sanat stercus columbinum in oleo olivarum ebullitum, ac applicitum.

Aqua lumbricorum cum sale armoniaco, & aqua calcis. Validissimus est & suffitus ex cinabari, cum resinis balsamicis. Aut vapor ex accenso spiritu vini canphurato.

Fermentationem itaque in succis frigidis, immotis atque stagnantibus excitare valent cataplasmata ex scordio, absynthio, stercore columbino, sale armoniaco, radice brionię, seminibus cumini, tartaro, & urina.

Innatum calorem fovendo, ac vigorando ad expulsionem dirigunt. Catuli, vel pulli vivi dissecti, atque appliciti. Castoreum. Verbascum, euphorbium, vini spiritus, aqua maris, aquæ thermarum sulphurearum, oleum vitrioli, de lateribus, aqua Reginæ Hungariæ succus ex lumbricis in clybano exceptus.

Ressolventia itaque calida, tenuium partium esse debent. Ut facilè penetrare, cutis poros dilatare, humores attenuare, & in vapores convertere possint, ac per diaphoresim evacuari disponantur. Talia sunt absynthium, majorana hysopus, ruta, semina dauci, cimini, fæniculi anisorum, baccæ juniperi, piper, flores stecados, camomelli.

Ex quibus parari possunt etiam emplastra addito vino, melle, sapa, cerusa, myrrha, succino, hyperico, croco, fermento veteri, stercore columbino, sulphure vivo, nitro, castoreo, lumbricis, lixivio.

Quorum multa volatilibus partibus constantia, poros penetrant, tubulos aperiunt, & succos stagnantes, ac quiescentes ad motum, suarum activarum partium agitatione impellunt, & obstructiones ac impedimenta removent.

Suppurantia verò, à veteribus etiam concoquentia dicta, moderatè calida, & humida esse debent, & parti similia. Præterea emplastica esse debent. Videlicet tenacitèr cutis poris hærentia. Ut hac ratione illis clausis, halituosi caloris transpiratus cohibeantur, & sic calor si non in qualitate, saltem in quantitate augeatur, & spiritus avolare inde non possint, nisi difficultèr. Innatus interim partis calor foveatur, ac augeatur.

Hinc est quod æquè à lacessentibus nimis, atque à valdè intempe-

ratis

ratis abstinendum sit. Nec non à valdè tenuibus, atque à rarefacientibus.

Sed inter legitima suppurantia enumerantur pinguedines, caricæ, fermentum, adeps gallinæ, farina triti, malva, butyrum, esipus althea radix brioniæ, liliorum, crocus, lini, semen, resina gummi.

Blandè emolliens, & nonnihil etiam ressolvens cataplasma paratur, ex floribus camomelli, croco, lacte, & vitellis ovorum.

Quia verò suppurantia ejusdem temperiei esse debent cum corpore illo humano, seu cum illa parte, in qua pus moveri debet, ut ejus innati caloris vim augere possint.

Qualis enim est calor nativus operans illius partis, tale esse debet calor suppurans medicamenti quod adhibetur.

Ideò in corpore calidiore, calidius medicamentum requiritur. Unoque verbo singulis hominibus singulare, ac proprium suppurans medicamentum desiderabile esset. Quod emplasticum sit, videlicet poros cutis obstruens, justa planam. ac evidentem *Hippocratis in primo Epid. doctrinam*: *Quæ concoqui oportet, conclusa esse oportet. Contraria verò siccari, & aperta esse.*

Quamobrem ad suppurationem promovendam validum emplastrum semper fuisse experti sumus, paratum ex cæpis albis sub cineribus coctis num. ij. Absynthii, malvæ, altheæ, sumit. scordii, florum camomelli, salis armoniaci ana vnc. s. cum hydromele coquantur ad consistentiam cataplasmatis conterendo, cum medulla panis.

Temperiem etiam partis servat, & cancrenam arcet cataplasma ex farina fabarum, seminum lini, radicibus altheæ, floribus camomelli, absynthio, scordio, seminibus cumini in vino coctis hyeme, vel in aqua æstate.

Facta postmodum tumoris quomodocumque apertione balsamus sulphuris terebinthinatus instillatus proculdubio sufficere poterit vsque in finem, ad mundificationem, incarnationem, cicatrizationem.

Si tamen ad hæc tardiùs procedere videatur ad vulnerum mundificantia prænarrata ascendendum erit, tum ad balsama sarcotica, carne replentia, & citò cicatrizantia alibi descripta.

Doloribus auxilia.

IN re chyrurgica frequens est mitigandorum dolorum exurgens intentio, in vulneribus æquè, ac in variis tumorum, ac inflammationum generibus, fracturis, luxationibus, & aliis.

Quare generalia auxilia mitigandorum dolorum proponere hoc loco non inutile pensum erit. Hæc itaque anodynorum nomine Græco veniunt delineanda.

Quorum alia sunt propriè talia. Alia verò impropriè. Propriè talia modicè calida sunt, & partium tenuitatem coniunctam habent. Ut hac ratione molestas, ac irritantes materias evacuare, atque digerere possint, rarefaciendo, extenuando, concoquendo, æquabile reddendo. Quidquid in partibus dolore vexatis reperitur humorum acrium, vel crassorum, lentorum, aut multorum in tenuissimis tubulis infarctorum. Vel qui admodum frigidi, torpentes, neque exitum commodum inve-

invenire potentes adhærent.

Hæc itaque anodyna nil adstrictionis habere debent. Qualia sunt anethum, althea, malva, camomellum, Castoreum. Fænugræcum, caricæ, lini semen, vitella ovorum, pinguedines.

Impropriè anodyna narcotica dicuntur, seu stupefacientia, quæ soporem conciliant, spiritus torpidos ad motum, & sensum reddunt, nervosasque partes blandis suis particulis demulcent, imò spirituum motu suppresso, sensus stupefaciunt.

De mixta verò alterutriusque facultate participat lac applicitum cum quarta parte olei ex seminibus papaveris expressum. Vel emulsio seminum papaveris cum succo sempervivi. Aut tinctura croci cum spiritu vini preparata vnc.iiij. commixta canphoræ, & opii ana drach.j.

Sic oleum ranarum, atque succus expressus à gammaris, cerusæ, vel saturni sale admixto, insigne dolorum in parte inflammata lenitiuum constituunt.

In aqua pariter, vel decoctione florum sambuci, litargiri, cerusæ, & calcis vivæ, si ebullitione facta, atque collatura, dissolvas canphuræ drach. ſ. omnem in externis partibus dolorem sui applicatione compesces.

Ad dolores autem valdè sensitivarum, ac nervosarum partium, spiritus vini crocatus, cum spiritu terebenthinæ magnarum sunt virium. Si verò etiam aquam, seu liquorem lumbricorum, cum aqua calcis sale armoniaco, & canphura dissoluta addideris efficaciores reddes.

Facto sacculo ex furfuribus irroratis aceto, & sale calentibus applicitis, intra breve tempus profundi dolores, ac sepulti, à succis incrassatis, & stagnantibus orti tolluntur. Semina papaveris albi contusa cum lacte muliebri applicata, dolores omnes leniunt, imò temporibus illita capitis cephalalgias tolluntur, & somnum conciliare valent.

Quandoque medica intentio est acrimoniam salis lixiviosi, & spiritus acidi attemperandi, ut dolorum causæ, & contractionum corrigi possit, ac demulceri. Ideoque oleum ranarum, vel anguillarum eximium esset, quia tamen porositates obstruere solent, ideò cum vini spiritu crocato, & canphurato omnem explere possunt indigentiam.

Interim supra partem dolore, ac fluxione conflictatam æger jacere non debet. Summum remedium semper est, atque tutum, aperto vivorum animantium, & potissimum pullorum volatilium, vel catulorum quadrupedum, eorumque supra locum dolentem applicatio. Tali namque cruento veluti sacrificio, evolantibus vitę spiritibus facto iratum archeum placari posse observamus.

Communi quadam ratione dolores tum externi inflammatorii, tum interni ac profundi mitigari consuevere per sacculos frequentèr repetitos calentes, repletos ex furfuribus manip.xij. flor. camomelli manip. iiij. sem. lini contus. lib. 5. sale marino vnc.iiij. aquæ & aceti ana ciathos tres. Hæc ad ignem calefacta, inde sacculo inclusa applicentur, atque alternatim uno refrigerato, alter calens imponatur.

Hoc etenim artificio stagnans, & incrassata materia dolorum attenuatur, funditur, & ad naturalem suum circulationis motum disponitur, introdu-

troductis mobilibus particulis fluidis, aquosis, spirituosis. Tum oleosis subtilibus, vel salinis volatilibus. Aliquibus etiam particulis acidis tenuissimis, viscositates solventibus, ac incidentibus materia coagulata, fluidior facta, debitè mixta, & agitata, ad circulandum cum sanguine iterum impellitur.

Quo fit ut tubuli laxentur, & dum à materia activiori, acutiori, tenuiori jam partes sentientes liberantur, sensim postmodum fibrillæ fortiores factæ, reliquias crassiores de se excutere valent, vt dolor omnis tollatur.

Incipiente etiam dolore cum calore locus foveatur petiis in aqua communi madefactis, in qua sal dissolutum sit cum aceto. Atque locus frigidè foveatur, ut docet *Gal.* 12. *meth. Incipiente inflammatione ac dolore circa artus, tutò medicamentum actu frigidum administrari poterit*.

Hoc tamen præceptum desumpsit ex Hippocrate 5. *aph.* 25. *Torpor modicus frigidæ applicatione introductus, dolores solvendi vim habet*.

Aliis verò magis arrident albumina ovorum duo quassata cum aqua rosarum, & modico succo citri, sale, alumine, & nitro panno lineo excepta, & loco dolenti applicita. Alterum eligas, incipientibus doloribus validum, ac præsentaneum auxilium erit.

Pro fracturis auxilia.

POst debitam coaptationem, ac repositionem &c. saturnina auxilia applicentur, quæ inflammationem arceant, & potissimum sal saturni, cum aqua, vel decocto florum, aut corticum sambuci, & vini spiritu canphurato.

A pinguibus verò, & oleosis omnibus penitùs abstinebis, quæ transpirationem cohibere, inflammationes, dolores augere possent, & pruritus intollerabiles concitare.

Tertio quoque die fasciæ solvendæ erunt. Si verò vesiculæ appareant, vel pruritus ingens, aqua calcis locus abluatur primò, deinde spiritu vini canphurato foveatur, sale saturni conspergatur.

Dolore transacto, nec non inflammationis suspicione priorum dierum decem circitèr. Deinceps optimis cibis nutrire patientem expedit, sed in modica quantitate, ut facilior agglutinatio nutritivæ facultatis opera subsequi possit.

Aut in principio victus ratio tenuis, ac refrigerans, quæ in acutis morbis servari solet, tutior est, ob metum ut febrilis calor accendatur.

Plurima absorbentia ab auctoribus proponuntur, me judice communia acidis, & incerta. Verum certi auxilii semper esse vidi Ostiocolam, lapidem insipidum, vbique venalem, pulverizatum ad drach. j. cum decocto lignorum, vel vulnerario propinatum quotidiè quatuor horis ante prandium.

(.)

Pro luxationibus auxilia.

POst factam repositionem &c. ante deligationem, vt inflammatio omnis, & dolor removeatur, confluxi humores exprimantur, ac in venas influere cogantur, recentes vero ab influxi arceantur, adstringentia primò apponantur.

Hæc enim præter antedictas intentiones habent, ut laxata ligamenta contrahere, & fibrillas omnes firmare valeant, & sic partem roborando, ad aptam nutritionem disponunt, ac integram sanationem. Talia sunt posca Galeni, vinum granatorum, vinum potens nigrum austerum.

Postmodum ovi albumen cum bolo armeno, cerusa, sanguine draconis, mirtillis, mastice, cum stupis superponantur.

Ab vnctuosis, aut oleosis omninò abstinere expedit. Sed si dolor vrgeat, & ad se curativas indicationes convertat, aliquo ex antedictis auxilio in fotu uteris. Quantum fieri poterit, immobilis servetur pars, per tres, vel quatuor dies saltem.

Si inflammatio vexet, mitigabitur aqua Reginæ Hungariæ, vel vini spiritu canphurato, aut aqua calcis vivæ, addita semper canphura. Vel facto suffitu ex succino, thure, mastiche, aliisque ressolventibus. Aut fomento ex scordio, absynthio, rosmarino, baccis juniperi, seminibus cimini. Liquor lumbricorum cum aliis ressolventibus magni momenti reputandus est, nam ad coagula solvenda validissimus est.

Fomenta pariter sacculis parata ex floribus camomelli, sambuci, seminibus lini in lacte coctis.

Per os verò absorbentia fixiora propinentur stybium diaphoreticum, oculi cancri, & crustacea.

Somnus largior procuretur, & membro post repositionem integra quies. Postremò linimenta nervina acida coagulata dissipantia in usu ponenda erunt, ex oleo succini, myrrha, castoreo Mastiche, olibano, oleo nucis moscatæ, & cera.

Pro ictibus, contusionibus, & delapsis ab alto auxilia.

SI ictus, & contusiones non admodum ingentes sint, contusionis locus petiis statim in aqua puteali frigida, vel in posca Galeni, seu aquæ quarta parte aceti admixta foveatur, ut sic incalescentia, extravasatio, coagulatio, dolor, & Archei furor omnis præcaveatur.

Monente *Hippocrate* 5. *aph.* 25. *Quod frigida affusa levat, attenuat, & dolores solvit. Torpor enim modicus doloris solvendi vim habet*. Hac itaque ratione humorum affluxum, extravasationem, liquorum coagulationem inhiberi in praxi observamus.

Quare nullus tumor subsequetur, & nulla nigredo manifestabitur.

Post hoc sufficiens contusæ partis fomentum (silicet donec pars frigoris sensum acquirat, & dolor recedat) postmodum vnguento cerusæ canphurato, vel balsamo saturni per tres dies sequentes inungatur.

Deinde ad accellerandam ressolutionem reliquiarum incrassatarum in magna contusione, liquore lumbricorum terræ utemur.

Vel succo brioniæ, aut brioniæ ipsa contusa post quartum diem duplicatis linteolis applicita, quæ in-

tra paucas horas omnem sanguinis coagulationem, ac nigredinem subtus cutem tollere, ac in halitum, vel in sudorem ressolvere valet. Pulvis ad usum Augustanorum validissimus est.

Pro delapsis ab alto. In detracta pelle vervicis, vituli, vel canis tota vino tepente, ac melle illita involvatur patiens, atque hoc repetatur.

Interiùs verò exhibeantur oculi cancri, cornu cervi, ebur. Fomentum fiat ex aqua Reginæ Hungariæ, aqua calcis, vel ejus decocto cum vini spiritu. Vinum nullum propinetur, nisi oculis cancri mixtum. Potus caffei potius, vel theæ aut lignorum decoctum accommodatum erit.

Transactis primis diebus omne genus sudoriferorum, tum sanguinis grumos dissolventia, ac ipsum fluidiorem reddentia cum magno fructu offeremus.

Sperma cæti, oculi cancri, cum decocto florum papaveris erratici, vel florum sambuci quocumque tempore commendantur.

Contusiones in parte carnosa sanat vini spiritus canphuratus cum croco & cum decocto calcis vivæ, tepens linteis duplicatis applicitus.

Contusiones verò nervosarum partium balsamus Pervanus cum ovi vitello, & vini spiritu canphurato tollere valet. Vel aqua Reginæ Hungariæ, cum myrrha, canphura, & tepens in fomento adhibita.

Quia verò in magnis contusionibus inflammatio metuenda est, inde gangrena, ob vasorum dilacerationem, frustratam partis nutritionem, ac spirituum impeditum influxum. Ideò ad hæc mala arcenda uteris summitatibus absynthii, scordio, floribus camomelli, sambuci ana pug. iij. Coque ad formam cataplasmatis misce cum farina hordei, & seminum lini quantum satis. In fine addendo salis armoniaci vnc. ſ. vini spiritus canphurati vnc. ij. misce cataplasma tepidè applicandum. Si autem dolores vrgeant canphura addatur. Tum in usu interno ad papaverinorum, & opiatorum exhibitionem devenies vesperi hora somni. Pulvis ad usum Augustanorum valdè commendatur vbique.

Pro obæsitate minoranda auxilia.

QUi obæsi corporis molestam molem minuere desiderant, digestionem ventriculi infirmare debent, & insensibilem corporis transpirationem augere.

Ventriculi digestio infirmatur per ea quæ ventris dejectionem procurant. Vel per ea quæ acido stomachicho ingrata sunt, imò repugnantia per longam experientiam sibi nota; & quæ instrumenta nutritionis ad expulsionem concitant.

Corporis autem exhalatio, celeri exercitio augebitur, cursu, frictionibus, vnguentis evaporatoriis. Post duras frictiones balneum ingrediantur. Post balneum cibum non assummant, sed quiescant. Deinde balneum iterum ingrediantur, atque exigui nutrimenti cibi offerantur in copia, ad saturationem, ut minus non coqui, minimè nutrire possint.

Adversus gracilitatem auxilia.

DRopaces, tum frictiones molles, ad ruborem ante balneum, his magno sunt auxilio. Tum mediocria exercitia, ac tepentes inunctiones.

Intentiones etenim in his esse debent probum sanguinem generare. Nutritivam potentiam firmare. Attractum alimentum ne exhalet prospicere.

Firmatur itaque nutritiva potentia, calore in carnibus excitato. Non exhalabit, si oleo inunxeris. Nisi verò ætas prohibeat, vel anni tempus, à frigida lotione (post balnei calorem) plurimum juvabitur.

Ea verò in cibis usurpanda sunt, quæ acidum stomachichum sui familiaritate vigorare valent, quæque per experientiam patientis sibi nota sunt.

Qui autem his ampliora desiderat, addeat libellum meum de cons. valet. in part. 5.

Ad ambusta auxilia.

IN magnis combustionibus cauta vivendi ratio servanda est, ad imminentia symptomata vitanda.

Alimenta igitur quæ exhibentur refrigerantia sint, quæ in proprio loco in appendice prima exaravimus, ut cucurbita, acetosa, aceto respersa, & alia consimilia.

In adustionibus à pulvere pyrio factis, in quibus suspicari debemus, ne per unionem sulphuris & nitri (ex quibus aqua stygia resultat) venenificus spiritus introducatur, magnorum symptomatum auctor.

Nec non in valdè penetrantibus combustionibus, & profundis, validiora refrigerantia humida exhibenda sunt, ut cancrorum succus, vel sempervivi, portulacæ, copioso sale saturni admixto. Quibus si fieri possit illicò adusta pars foveatur frigidè per horam, ad doloris cessationem.

Sal etiam saturni cum succo cancrorum fluvialium validum auxilium est in vulneribus sclopetorum in pauca distantia factis, ob rationem venefici spiritus, prout superiùs de vulneribus ostendimus.

Nam si immittatur per syringam in vulnus, intra paucas horas cessat cum dolore incendium, quo sopito postmodum, nullum accidens metuendum erit.

Zeferiel Bovius concivis noster Veronensis, illicò petiis applicitis in vino nigro potenti, vel atramento, vel cæparum succo, statim ab initio intra paucas horas ambusta feliciter curavit.

Validæ etiam sunt duplicatæ petiæ applicitæ cum lixivio frigidæ illicò ab inustione facta. Si verò etiam cum lixivio calx immixta fuerit, validiùs operabitur.

Uno verbo universa, quæ ignis acidum spiritum, in se assorbere valent analogiam cum ipso habentia, ad hoc opus inservire possunt. Quorum catalogum recensere non pigebit.

Sunt ergo succus plantaginis, vel portulacæ cum albumine ovi. Sal saturni, quacumque ratione cætera auxilia superare creditur. Succus solani, vel sempervivi, tum ex gamaris expressus cum myrrha, & vitriolo rubificato modico.

His igitur statim ab initio uteris fri-

frigidis, repetitis, ne fibræ, aliæque partes combustæ, & laceræ in cincinationes & crispationes transeant, inde invicem divellantur, ac abscedant.

Si etenim hæc statim applicita fuerint duplicatis linteis vexiculæ ipsæ, & cutis à subiecto paniculo carnoso non elevabuntur, neque divellentur, atque dolor omnis arcebitur, inde inflammatio, & liquorum affluxus prohibebitur. Indè benè cuncta procedere solent.

Ad vexiculas etiam frænandas, valet aqua maris, vel communis cui sufficiens sal admisceatur. Vel sapo niger linimenti forma cum vini spiritu dissolutus.

Valet eximiè decoctum ranarum, sed magis succus ab iisdem expressus, vel epatum earum.

Atramenti scriptorii spongiam illico applicitam vestigium combustionis reliquisse duabus, vel tribus vicibus observavi in mediocribus combustionibus.

Albumen ovi, cum aqua rosarum, & sale saturni. Liquida verò, ut decoctum calcis, vel ejus aqua, cum spiritu vini canphurato plus valere reperies, quam quodlibet vnguentum, vel linimentum usuale.

Hoc potissimum inculcamus, ut statim per ea quæ actu, & potentia frigida sunt, & humida, humorum confluxus præveniatur, & dolor sedetur.

Vbi verò cutis contracta fuerit, ad fortiora auxilia transeundum erit, ad aquam calcis cum aqua Reginæ Hungariæ, & canphura.

Mucilago seminum cydoniorum cum aqua plantaginis extracta addito sale saturni, & canphura, quolibet tempore usurpari poterit.

Transacto tamen principio universa auxilia, quæ parti administrantur, tepida applicari debent. Semper verò aer omninò arcendus, potissimum frigidior. Sæpè enim ob aeris frigidioris noxas, vlcera maligna facta fuere.

Sapo Venetus omni modo adhibitus egregium auxilium est. Ab ejus enim oleosis tenuissimis particulis, cutis fibrillæ contractæ laxantur, ac demulcentur.

Acidæ verò salsæ particulæ ab introductis igniculis provenientes, alcalicis calcis particulis imbibuntur, ac attemperantur. Jcor devorans fibrillas subtus contentus, ut effluere possit curandum est, parato situ declivi ad exitum.

Si circa oculos sit combustio, doloris ratio potissimum habenda est. Ideò lac muliebre supra oculum sæpiùs emulgatur, & post aliquod tempus abstergatur; nam facilè acescit. Valet & mucilago seminum cydoniorum aqua rosarum albarum extracta addito saccaro saturni, & canphura.

Primis diebus vesperi post horam unam circitèr à cœna, laudano nepentes ad tria, vel etiam quatuor grana, in magnis, profundis, & dolentibus combustionibus felicitèr usus sum.

Magnas etiam combustiones appello factas pice, oleo accenso, & consimiles, quæ quandoque in capite, & valdè sentientibus partibus contingunt. Pro quibus etiam omnium validissimum auxilium esse expertus sum hoc. Acceptis melle ad lib. ij. succis gamarorum fluvialium & sempervivi ana lib. ʒ. Aceti rosacei litargiro imprægnati vnc. iij. Hæc bulliant ad ignem per horæ quadrantem.

Qui

Qui autem compendiosiora, ac magis validiora cupit accipiat succum à gammaris expressum cum sale saturni, & canphura.

Vel ut Otto Tachenius jubet, priusquam vesicula elevetur, statim ardor extinguatur, quod fiet si petiæ sæpiùs frigidè apponantur in aqua rosacea, vel alia cui tantillum spiritus vitrioli instilletur, ut vix aciditas percipi possit.

Qui autem in loco fuerit, in quo his careat, posca Galeni utatur, videlicet partibus tribus aquæ, & una aceti, namque si doloris, vexicæ elevationis, caloris, ruboris atque affluxus liquorum symptomata per hæc removere satagat, certam sibi victoriam polliceri aprimè poterit citissimam.

Erisipelatis Auxilia.

INsurgente erisipelate circà caput, & cervicem, vivendi ratio tenuissima esse debet, res est enim plena periculi, ob corticum, & glandularum cerebri viciniam. Tunc etiam cautè topica auxilia administranda sunt, ne ad nobilem partem, peccans materia recurrat.

Verum testibus, & hepatis regioni tutò admoveri poterunt duplicata lintea madefacta, in succo lactucæ, endiviæ, aqua rosarum, naphæ cum modica canphura, & aceto rosaceo. Syrupi, ac potiones propinentur, ex papavere potissimum. Tum ex endivia, portulaca, lactuca, acetosa, plantagine, hordeo. Si adhùc condictiones calidiores adsint, serum in magna quantitate exhibeatur.

Videlicet ad libras tres, vel quatuor, cremore tartari dejectorum, vel succo limonum, & oculis cancri diureticum factum.

Caveant interim ab ambiente frigido, ne lympha, & serum nutritium nervorum, (quod est hujus affectus legitima atque materialis causa) in glandulis cutis miliaribus incrassetur, magis acescat, & stagnare cogatur.

In cęteris locis summoperè commendamus diaphoretica, tum absorbentia, quæ poros aperiendo, succos acidos pessundare valent, ut cornu cervinum, essentia viperarum, stybium diaphoreticum, oculi cancri.

Tum diuretica magnifacienda sunt, per quæ coagulata lympha dissolvitur, & stagnans serum agitatur, ac commovetur. Quod peragi potest per succinata, per salia potissimum absynthii, anonidis, & oculos cancri.

Topica ressolventia, acidum destruentia, coagulatum serum, & stagnans dissolventia erunt universa alkalina, absorbentia, canphurata, aqueis temperata.

Sola sæpè aqua calidà cum sapone Veneto calidè applicita. Vel vini spiritus canphuratus, aut crocatus. Vel aqua calcis vivæ. Quibus omnibus semper sal saturni, & canphura admisceri poterit.

Valet & scordium, & absynthium cum lixivio ex cineribus cephalicis, vel urina & sale armoniaco ebullitum, & applicitum.

Volatilia etiam poros penetrantia, tubulos aperientia. Succos stagnantes ad transfluxum invitando & obstructiones tollendo calidè applicita prosunt.

Cataplasmata etiam ex creta diluta, corticibus viridibus interioribus sambuci, vel aquam ex hujus flori-

floribus, saccaro saturni, & cerussa, nulli auxilio palmam cedere observabis.

Sit aer frigidus & humidus, qui nisi naturalis sit arte paretur. Vivendi etiam ratio universa ad frigidum, & humidum inclinare debet.

Si de bile admodum tenui suspicio sit, incrassantibus frænanda. Exhibendo animalium quadrupedum extremitates, caput, pedes, gelatinarum potius forma, pisces optimæ notæ, & potissimum saxatiles.

Ex holleribus utantur lactuca, endivia, malva, cucurbita, ptisana, pane in aqua gelida macerato, cum modico aceto. Potus sit aqua hordei, vel stillaticia endiviæ, acetosæ cum modico vino granatorum.

Universa pinguia, oleosa, dulcia, vnctuosa vitentur. Quies eligatur animi, & corporis. Aluus lubrica servetur, & somnus opiatis, ac papaverinis procuretur.

Pro Herpete, ac igne Persico auxilia.

ANte cætera tollendæ sunt universæ suspiciones, de lue Venerea, præmissis saltem per viginti dies consuetis auxiliis, quæ hujus luis alexipharmaca esse diximus.

Postmodum lac asini per quadraginta dies propinetur. Decoctum itaque cum sudore, ac dieta sudorifera in graviori casu proponimus.

At in leviori decoctum trium dierum, catharticis stybiatis, ac mercurialibus intermixtum sufficere posse observavimus. Videlicet exhibendo in debilioribus pulverem Cornacchini. Vel mercurium dulcem, in robustioribus turpetum Paracelsi vel herculem Bovii.

Exhibenda sunt etenim, quæ salinam acrimoniam obtundant, poros glandularum milliarium cutis reserent, cuticulæ angustiores poros patentiores faciant, & lymphæ penu augendo, culinarum universarum excrementa elvant.

Intemperies sanguinis acida, salsa, per alimenta, atque medicamenta acredinem tollentia auferenda erit. Atque potissimum per chinæ decoctum, aliisque interiùs usurpatis medicamentis insistendum erit; quibus solis hic affectus sæpè tollitur.

Plurimosque sanatos vidimus, quibus viperatorum, & theriacalium usum commendaveramus, & quorum obliti eramus, qui post annos se sanatos fuisse meis monitis gloriabantur, suaque patientia.

Ex topicis verò externis, quæ selectiora, magisque fidelia auxilia esse experti sumus, sincero calamo exarabimus.

Flores antimonii modico butyro recenti admixti, secretum Ballestræ domus nobis communicatum fuit, cum magno multorum sanatorum emollumento, plusquàm lucro.

Mercurius præcipitatus, sale saturniana, cum vini spiritu desuper accenso in vase plumbeo admixtus, intra breve tempus sanat.

In condictionibus valdè biliosis, lac virginale. Vel sal saturni in aqua plantaginis solutum, ac linteis duplicatis applicitum efficacissimum est.

Pulveres etiam inspergantur ex cerusa, tutia, oculis cancri, sale saturni. Valent quinimò universa, quæ scabiem extirpare solent saturnina, aluminosa, sulphurea, mercurialia.

Ut

Ut mercurius sublimatus officinarum, vel dulcificatus in aqua plantaginis solutus, modico alumine crudo admixto.

Valet ęquis portionibus admixtis olei mercurii, & saturni.

Oleo tartari per deliquium parato, in quo sulphur vivum ebullierit locus manè, & vesperi foveatur.

Cum mercurio pręcipitato, sulphure vivo, & sale saturni butyrum recens, vel vnguentum populeonis, celebre his auxilium constituit.

Externa fomenta fiant in contumaciori affectu, ex decocto calcis vivæ, salis armoniaci, cum sale saturni, absynthio, aloe, myrrha canphura. Vel solo oleo tartari per deliquium parato, inde balsamo Peruvano inungantur, aut oleo viperino.

Recta interim vivendi norma instituatur, à salitis omnibus abstinendo, & à carne suilla, atque ab eduliis crassæ substantiæ.

Nisi tandem his cesserit affectus in vnc. ß. butyri recentis misce drach. ß. balsami caustici nostri pro linimento, & salus in foribus erit.

Pro scabie, & affectibus pruriginosis cutis.

CArdanus lib. 5. de subtilitate admiratur sulphuris energia in linimentis, scabiem, lepram, luem veneris à confinibus cutis propellentem.

Cui favet Jo: Elmontius in se ipso expertus, quod purgantibus, & aliis incassum adhibitis, tandem sulphuris inunctione sola convaluit. Accipiendo sulphuris vivi pul. vnc. ß. salis communis drach. j. & butyri recentis vnc. ij. & optimè miscendo.

Methodica tamen ratio vult, ut priùs vitiosi succi deturbentur, tum internis auxiliis, tum salubri dieta. Et potissimum instituta dieta sudorifera per decoctum lignorum, si de lue Cæltica occulta, aliqua indicia supersint. Deinde ad topica tutò accedere poterimus.

Vel saltem jus pullæ cum salsa, & china, præmisso pulvere viperino ad scrup. j. per quindecim dies summantur. Et post horam descendant in balneum paratum ex decocto malvę, radicum altheæ, furfurum.

In usu hujus balnei insistant septem diebus. Mox intermittatur, & cucurbitulæ plurimæ parvulæ scarificatæ, universæ cuti apponantur, deinceps in decocto, & pulvere viperino pluribus diebus insistant.

Corporibus autem extenuatis, etiam lac asininum (vel salē artificialem ex quatuor sem. frig. ma. in jure pullæ) cum modico saccaro, & pulvere cornu cervi, vel cum decocto viperarum propinetur per 40. dies.

Serum etiam caprinum in larga copia, cum succo borraginis, & balneatione in aqua dulci inservire his poterit, minori auxilio indigentibus.

Caro autem viperæ, tum testudinis nemoralis à proprietate in his affectibus prodesse observantur. Verisimile autem est hoc contingere, quoniam impurum sanguinem alienis salibus inquinatum dulcificant, alcalica ratione attemperant, modificant, atque ad exitum, & transpirationem per poros cutis dilatatos disponunt.

Impuro autem existente corpore, diaphoreticis ad cutem pellere, & per

per eam evacuare velle, non licet medico methodico, quare per emetica antimonialia, vel mercurialia si quis prius totum evacuaverit, rectè ad affectus hujus sanationem procedet.

Tunc enim alternis diebus sumptis in ovo sorbilli gr. vij. florum sulphuris, tribus, vel quatuor vicibus, absque alio longo auxiliorum apparatu plurimos me sanatos vidisse bona fide testor, qui multis annis cum hoc insuperabili affectu luctabantur.

Cum mercurio etiam dulci, sale saturni, sale marino, sulphuris pulvere, admixto vnguento florum aurantiorum, limentum efficax si quod aliud parabitur.

Aut si ab inunctione abhorreant, in aqua florum aurantiorum lib. 5. bulliat mercurii sublimati dulcis pul. vnc. j. neque vlteriori auxilio indigebunt; interim ab ambiente frigidiori se cautè munire patientes velint.

Scabiosorum sagacissima industria varios sapones excogitavit, quibus sordidarum manuum saltem tabo madentium immunditiem removeri posset.

Inter quos magis expertos recensebo. Accipias saponis Veneti vnc. j. sulphuris vivi drach. j. s. salis armoniaci scrup. j. canphuræ drach. s. mercurii sublimati dulcis scrup. j. misceantur, ac dissolvantur hæc omnia in lixivio calcis, & cinerum optimo, deinde ad debitam consistentiam coquantur, & sensim exiccari permitte.

Si autem in forti lixivio ex cineribus simplicium cephalicorum, aromaticorum, vel saltem ex cineribus sarmentorum vitis cum calce viva parato, inde ebullias modicam sulphuris quantitatem, addendo saponem Venetum quantum dissolvere possit (seu ad crassitiem mellis) & modicum olei tartari per deliquium factum, habebis perfectum saponem quo decantatissimus Scaramuccia circulator Bononiæ & in locis vbi plurima scabies grassabatur ditatus est.

Si autem vini spiritum canphuratum, cum sale armoniaco, & vnguento florum aurantiorum cum dicto sapone dissolvere volueris, non ingrati odoris, & efficacissimum linimentum, ad quamlibet abigendam scabiem obtinere poteris.

Imò pro virginibus aulicis, atque decori studentibus, varii sapones odorati his formulis confici poterunt. Videlicet ex sapone Veneto, styrace calamita, radice ireos, floribus sulphuris, benzoino mercurio dulci, oleo tartari per deliquium parato, cariophillis, mosco, & ambra.

Duriorum corporum flagellum pro abjicienda contumacissima scabie ad menses, & annos durante, balneum est ex lixivio in quo sulphur decoquatur cum modico alumine, & sale.

Vel loca scabiosa attingantur lixivio in quo copiosus mercurius sublimatus incoctus fuerit.

Memorabilis hoc loco pulvis Doctoris Gambelli est, qui paratur ex cinere clavellato, sulphure & sale, qui postmodum in oleo communi ebullitus, adeò efficax est, ut à canibus ipsis fœtidissimam scabiem (Italicè dictam la stizza) abigere valeat.

Si itaque lixivium paretur, communi ratione, ex dicto Gambilli pulvere, addendo mercurii dulcis drach. j. salis saturni vnc. s. dissoluti in

spiritu aceti litargiro impraegnati, & cum ana olei amygdalarum dulcium haec coagulaveris in linimentum molle, perfectum habebis adversus hunc pessimum contagiosum affectum, auxilium.

Ruriculae Jebeti cum sulphuris pulvere & calce ana vnc. ij. sale marino vnc. j. & farina siliginea, duobus ovis quassatis haec subigunt, & placentulas efformant. Quas butyro frixas abijciunt, & solo butyro pro inunctione utuntur felici successu.

Pro Lepra seu Elephantiasi auxilia.

LEprosos affectus, (nam legitima lepra antiquorum, Dei miseratione à nostris confinibus propulsata est) faedos, valdèque pruriginosos à causa Venerea quandoque nobis videre contigit. In vanum verò pro his abjiciendis medicos laborasse recordamur, nisi alexipharmacis suis decoctis, & optimis mercurii praeparationibus insuperabilem secus hostem aggressi fuissent.

A purgantibus igitur mercurialibus, ac antimonialibus exordiendum erit, atque à dieta lignorum sudorifera in tali casu.

Aer frigidior, & humidior magis desiderabilis est. Atque aeris assidua mutatio, seu peregrinatio per quam animus in his valdè maestus distrahitur, vires recreantur, & spiritus ad insurgendum expulsionibus vigorantur.

Quandoque maneant in aere aperto, & aprico. Ruraque fraequentare non desistant, ubi aer perspirabilior est, & venationes paratae. Prodest etenim moderatus motus ad sudorem usque deinde vestibus mundis induantur.

Torpida in his alvus blandè, ac humidè solventibus sollicitanda est.

Coitus super caetera fortè his infensissimus est. Experientia namque edocuit, quod qui coitu usi non fuere, leprosi non fiunt ex. gr. eunuchi, virgines, in quibus nervosus albugineus liquor superabundare solet.

Quod benè ab aliquibus pensitatum, eos in suspicionem venire fecit, luem Calticam originem traxisse à leproso, & menstruata foemina, albaque gonorrhea laborante. A quibus certè liquor albugineus nervorum nutritius contagione inficitur, inde cutis nostri corporis spermatica pars, pessimi sui nutrimenti penas luere compellitur.

Est igitur praecipua, & legitima leprosorum affectuum causa, liquor albugineus nervorum, & spermaticarum partium nutritius. Omniaque auxilia ad eundem emendandum, rectificandum, nutritionique aptum reddendum diriguntur, ut fusiùs postmodum Deo dante in mea praxi ostendam.

Quibus praemissis concludere possemus, quod castratio sicuti dementiae aliquibus fuit unicum auxilium, ita leprosis certum, & singulare remedium esse, atque rationabile. Quia tamen hoc in remediorum jucundorum catalogo venire non potest. Ideò hinc procul abesse jubebimus.

Sufficiat pro infallibili ostendisse quod Veneris ludi, his affectibus incrementa donant, dum à massa sanguinea serosum, albugineum, nervorum nutritium succum emulgendo, sanguinem suo butyro depauperatum, acribus salibus, ac muriaticis liquoribus praegnantem relinquunt.

Hinc

Hinc certa experientia monstrat, quod salacia animalia,(& canes) plus iustò coeuntia scabiosa fiunt, atque ad leprosos cutis affectus disponuntur.

Longo tempore insistere debent in tinctura antimonii singulo manè ad scrup.s. circiter.

Si vero altæ subsint obstructiones, etiam in obstinato usu martialium insistendum erit, & potissimum salis martis, & absynthii ana gr.v.cum decoctis aperientium simplicium.

Aurum potabile pro his redimendis captivis Hermeticorum turba profundere non desistit. At præciosiorem suo auro potabili, legitimam antimonii tincturam nostram, pro nunc sua pace reputabimus.

Sic viperata, & usum vespertinum theriacæ, ac opiatorum commendare non desistimus. Prout tincturam granorum juniperi, spiritu vini hyeme elicitam; vel spiritu eorundem granatorum, spiritu nitri admixto in aliis anni temporibus.

Summoperè in vivendi ratione lacticinia à nobis commendantur. Ideò multiplicia quæ lacte parantur à nobis fercula his accommodata sunt.

Carnes teneræ, & optimi succi exhibeantur. Vinum album dulce. Uno verbo universa quæ liquorem nutritium albugineum nervorum augere possunt. Inter quæ lac eminere certum est.

Quamobrem lactea dieta cum balneo, his adaptari debebit. Penitùs abstinendo à rebus salitis, ab aceto, & rebus acetosis. Succos enim melancolicos fermentant, & augent, & dulcem succum nutritium depravant.

E contra jura, seu decocta viperarum, & viperata (quæ mirè alcalica pro massa sanguinea edulcoranda primum fortè occupant locum) cum carne testudinum, hepatibus, ranarum, exaltatos acidos succos melancolicos enervant, & attemperant. Sic millepedum pulveris, cornu cervini universa præparata auxilia magnifacienda sunt.

Balneum itaque ex smegmaticis simplicibus abstergentibus, post propinatum lac administretur. Post balneum molles frictiones. Post has inungantur oleo arsenici copioso butyro recenti admixto, nec non nitro & oleo tartari.

Vel accipias butyri recentis vnc.iiij. salis saturni vnc. j. butyri antimonii drach.ij. canphuræ drach. j.misce optimè, & inunge crustas quas sanare optas, nam post tertium diem decidentes, oleo postmodum viperarum loco inuncto non repullulant,jam extirpato pessimo fermento.

Pro qua indicatione feliciùs obtinenda bibant potissimum quatuor horis ante prandium, & quatuor ante cœnam, decoctum vnius viperæ in die, per duos menses, & ultra.

Memini quòd tempore quo celeberimus D.Jo: Baptista Silvestrinus (theriacæ & mitridati confector ultra decem millium librarum singulo anno) viperarum decoctioni allaborabat, meis intercessionibus favens, multis miserabilibus, cutaneis omnis generis affectibus conflictatis, hac dispensatione opem tullit. Tres hebreos quadam die hac decoctionecepota intra mensem convaluisse meo magno risu audivi. Nam ex his duo sanationis impatientes, cum ad libras fortè quatuor, & ultra semel haussissent, per omnem viam eodem die purgati, absque alio remedio convaluisse audivi, qui se in foribus mor-

tis præ magna turbatione repentina crediderunt.

Qui verò tum decoctione usus viperarum ad vnc. vj. circitèr in die, tum etiam eadem decoctione loca cutis fovit felici omine ad sanitatis portum devenisse notavi.

Tempore quo hæc haberi nequeant viperarum pinguedo inuncta validissima est imò eadem pinguedine copioso butyro admixta uti quilibet poterit cum magno proventu in cibis.

Sulphur etiam inunctum more antedictorum scabiosorum, tum lac sulphuris, vel etiam flores sulphuris ad gr. vij. in ovo sorbilli manè pluribus diebus epotum efficacissimum est.

Sale interim viperarum in usu continuo mensæ vtantur isti. Lacte verò virginali dolorosæ partes, si quæ sint molestæ inungantur.

Adversus gangrenas, & sphacelos auxilia.

Tubulorum obstructio tollenda ante omnia erit. Atque stagnantibus acribus succis liberior transitus procurandus est. Quamobrem perspirantia, atque diaphoretica magni sunt usus, quæ insimul coagulantia acida absorbeant, & massam sanguineam dulcificando, nutritioni aptam efficere possint, excrementis remotis.

Inter hæc validum est antimonium diaphoreticum, quod inane alkali est. Tum bezoardicum minerale, oculi cancri, & alia fixiora alcalica sudorifera.

Cordialia etiam interna, quæ cor à putridis miasmatibus tueantur dum sanguis ad cor per venas redux à loco sphacelato horrido tabo infectus pervenire potest) necessaria sunt, eaque spirituosa, aromatica, fragrantia; ut aquæ theriacales.

Elixiria quæ alibi varia proposuimus, & pulveres præciosiores, margaritarum, fragmentorum hyacinti smaragdi. Vini spiritus canphuratus. Aqua Reginæ Hungariæ. Guttulæ balsami Peruani. Tinctura myrrhæ, & aromaticorum ad drach. j. bis in die.

Theriaca cum grano laudani hora somni. Tum salia volatilia viperarum, vel cornu cervi ad gr. vij. repetita bis etiam in die.

Topica verò auxilia partis, erunt fomenta facta cum aqua calcis vivæ, in qua ebullierint flores sambuci, scordium, absynthium, carduus benedictus, sabina.

Vel lixivium fortissimum paretur ex cineribus simplicium cephalicorum vel sarmentorum vitis, & cum ana vini spiritus canphurati, calidè applicetur.

Vel adhùc efficacius auxilium erit spiritus salis armoniaci tepens applicitus. Sæpè vero aqua calcis sola, vel cum aqua Reginæ Hungariæ sufficere solet, aut etiam admixto copioso mercurio dulci, vel supra locum affectum eodem consperso cum urina humana.

In casu difficiliori, si dissolvas Ægyptiaci portionem, & tritum salem armoniacum admisceas, potentissimum remedium habebis, quod ulteriorem progressum morbi semper inhibet, & duorum dierum spacio mortuam portionem à viva absque doloribus separare solet.

Si denique ad sphacelum devenisse videas affectum, veluti ad sacram ancoram ad balsamum causticum meum

meum

meum accedes; vel ad butyrum antimonii, aut ad oleum mercurii, aut denique ad optimum spiritum salis armoniaci illitum, atque escaram butyro recenti separare contendes.

Postmodum balsamo sulphuris terebenthinato citissimè locum carne replebis, & ad cicatricem oleo Hispaniolæ, vel balsamo Pervano deduces, aut insperso sale saturni.

Victus ratio optima servanda, electis, atque nutrientibus esculentis. Pro potulentis summant decoctum lignorum, sassafras lentisci, chinæ, salsæ. Vel potum theæ, aut aliud, quod alcalicam naturam sortiatur, acidis aversam.

Scorbuticis puerorum gangrenis in ore ortis, os spiritu vini eluatur canphurato, & myrrhato. Vel spiritu salis copiosa myrrha admixta locus attingatur. Aut spiritu salis armoniaci.

Verum nisi mineram à qua morbus initium summit eruere prius validis auxiliis aggressus non fueris interiùs, invanum laborans, oleum, & operam perdes, invalida fuisse auxilia perperam decantabis.

Adversus Cancros, seu Carcinomata auxilia.

Ante cætera cogitandum est, ut acida corrosiva infrænentur, atque attemperentur alcalicis. Nec non diaphoreticis sanguis ab impuritatibus liberandus est.

Quæ sanguinem, & succos nostros incrassant coagulant, atque ineptos ad circulationem faciunt arcenda sunt.

Quæ calida nimis, ac fermentativa, sanguinis fermentationem nimiam, ac præternaturalem promovent vitanda. Ut potè quæ tenues, volatiles particulas ressolvant, & crassioribus relictis, pro sanguine legitimo, sanguinis crassamentum procreant.

Quamobrem alimenta calidiora vitanda, & quæ crassi succi sunt. Lacticiniorum usus his admodum conducibiles est, & post debitas expiationes lac asininum, vaccinum, vel caprinum pro variis exigentiis, & conditionibus.

In lacte vero si cancri, vel ranæ, vel testudines incoctæ fuerint, in duplum virtus augebitur. Quibus lac minus convenire videbitur, serum cum succo expresso cancrorum, ranarum, vel testudinum ad vnc.vj.singulo manè exhibeatur, per 40.& ultra dies.

Universa alimenta, tum potulenta, sint alkali, & sale oleoso volatili referta.

Acida, vero vel viscida, terrestria, aut sale corrosivo prædita vitentur. Hæc enim sanguinis massam incrassant, torpidam, atque minus circulantem reddunt.

Motus his magis conducit quam quies & ocium. Experientia etenim docet, quod potiùs mulieres, & genus hominum vitam sedentariam degentium à cancro corripiuntur, quam exercitati viri, validisque laboribus dediti, in quibus anhelationibus factis, atque pulsationibus cordis accelleratis, universa sanguinis massa fluidior fit.

Eligantur optimus aer, optima aqua, optimi cibi. Frequens loci mutatio animi levamen, corpori solamen esse consuevit, pro istis afflictis.

In motu tamen, & somno moderatè se gerere debent. Ab aceto, & acidis abstemii vivant, ne per hæc

fer-

fermentescere; ac ebullire cogant atram bilem. Vel stimulos acribus salinis particulis exaltatis addant, & sic dolores augeant.

Dicta interim sudorifera lignorum per quam correctio, ac per insensibilem transpirationem evacuatio excrementorum impetrari possit commendabilis est, decoctis sallæ, chinæ &c.

Cordialia, seu potius antimelancolica auxilia, summoperè prodesse poterunt. (Eademque absorbentium catalogo adnumerabimus) videlicet margaritæ, cornu cervi, lapis bezaar, corallia, ebur, os de corde cervi, lapides cancrorum cum confectionibus hyacinti, alkermes, & consimilibus.

Riverius se cancros sanasse gloriatur aqua papaveris erratici. Eadem tamen usum fuisse pro potione suspicor, quam pro usu externo.

Convenientissimus est ab initio usus mercurii dulcis, ut potè qui optimus est acidi corrosivi domitor. Qui etiam diaphoreticis, ac sanguinem purificantibus interponendus est, videlicet viperinis, theriacalibus, canphuratis auxiliis, nec non à cornu cervino dessumptis.

Inter attemperantia adhùc corrosivam acidam acrimoniam, sunt oculi cancri, tartarea, tum saturnina auxilia, nitrosa, testacea, atque calibeata, quæ pro re nata, & juxta varias ægri, anni temporum, ætatis condictiones, varianda erunt.

Sal itaque tartari vitriolatum, vitriolum martis, salia volatilia tartari, vel cornu cervini, aut viperarum efficacissima erunt.

Si dolores intensi vexent, & repentinæ igneæ flammæ, opiata, tum canphurata interiùs; tum exteriùs adhibeantur.

Vnguenta universa, & ex farinis confecta cataplasmata quęvis unctuosa, post te abijce, ut potè quæ emplastica vi poros obstruendo, calorem que natiuum exasperando, influentem augendo, ad suppurationem invitando, dolores, aliaque symptomata adaugent, ac exasperant.

Topicorum auxiliorum alia vulceratum cancrum respiciunt, alia non vulceratum, sed dolentem, pro quo oppugnando methodicè à levioribus incipiemus ex. gr. à lacte non ebutyrato, vel à lactis cremore in mortario plumbeo agitato, & applicito, admixto etiam modico sale saturni.

Oleum paritèr ranarum eodem modo agitatum cum sale saturni elegans ac utile incipientibus cancris auxilium donat. Adhibita interim per os decoctione chinæ, salsæ, florum papaveris, scordii, admixto cornu cervi, & stybio diaphoretico.

Succus expressus à cancris fluviatibus quocumque modo adhibitus, validissimum lenitiuum in inflammato, ac dolente cancro semper extitit.

Cui tamen nihil cedit oleum recens ranarum (& potissimum viridium) ex quo, & ex succo prædicto camarorum, & cerusa, & canphura certum fit doloris cancrorum lenitivum.

In decocto etiam sempervivi, plantaginis, si coquantur contusi gamari, & dissoluas salis saturni bonam quantitatem, sufficiens doloris mitigatiuum habebis.

Sum-

Summant interim vinum calibeatum in usu mensæ quotidiano. Saccarum vero borraginatum, vel anthos, aut violarum in quotidianis deliciis sit.

Si nocturna quies, & somnus non benè procedere videantur ad opiata, atque papaverina ne verearis accedere paulò ante ingressum lecti, nam præter somni ac quietis impetrationem, acidorum vires infringunt, & melancolicos succos moderantur.

Emulsiones itaque papaverinæ. Quandoque & jusquiami semina cum croco, in aqua florum papaveris accommodata auxilia erunt.

Fatemur tamen, quod quandoque ad discutientia descendendum erit, per vices, inter quæ securius auxilium theriacam, viperinum pulverem, sed potissimum viperarum decoctum, longo tempore adhibitum, recensemus.

Pro cancro verò exulcerato balsamus saturni in primo loco tentandus est. Paratur vero ex sale saturni drach. j. & olei amygdalarum vncia una; Hæc pistillo ligneo optimè mixta, imbutis stupis imponantur. Deinde super has stupas, alias in vini spiritu canphurato madefactas collocabis, ut ressolvi, ac discuti possint aliquæ sanguinis particulæ, quæ sua mixtione sanguinis crasim alterant, ac conturbant.

Tum nonnullas alias, quæ in proximis tubulis ab acidis retardatæ stagnant, & præ mora, & corruptione corrosivam naturam induunt.

Aqua calcis vivę, sale saturni prius supra vulceratum cancrum dolentem insperso, dat auxilium facilè, sed nulli secundum.

Calidè etiam quater, & amplius in die linteis duplicatis vel stupa applicita aqua Reginæ Hungariæ, (vel vini spiritus canphuratus) cum aqua calcis vivæ, & balsamo Pervano, preciosum fomentum his affectibus adhibebis.

Interea stybium diaphoreticum, ut potè evacuatum, & inane alkali frequentetur, ad acida potissimum melancolica absorbenda. Eoque magis si prædominentur aciditates putrefactivæ, ac escaroticæ.

Ad acidum etiam acre attemperandum, duritiem, ac obstructionem cancerosam tollendam, & incuneatam materiam, durum tumorem efficientem ressolvendam, in spiritu terebenthinæ vnc. iij. imponantur flores sulphuris vnc. ſ. opij crudi in spiritu terebenthinæ dissoluti dr. j. & tepidè applicentur.

Vel cum ana sulphuris, & salis saturni & canphuræ pulvis paretur inspergendus. Desuper imposita duplicatis linteis aqua calcis cum aqua Reginæ Hungariæ.

In oleo tartari vnc. iij. si ebullierit vncia semis sulphuris vivi, fętorem à cancro aperto, & immunditiem omnem ab eo removebis.

Imò aliquibus tanto auxilio fuit, ut ejus usu diuturno præter spem sanitatem recuperare potuerint.

Monemus etiam hoc loco, quod medicamentorum mutatio in cancro necessaria est. Nam assueta medicamenta ab hoc morborum pessimo, ac cervicoso contemni solent, & semper ad nova medicamenta in melius procedere videtur.



Ad-

Adversus Carbunculos auxilia.

SVccrescenti carbunculo pulli gallinacei, podice deplumato applicentur, atque recentes iterum applicentur, donec amplius non moriantur (aliquando enim ad 5. & 6 imò ultra moriuntur.

Atque hoc idem in aliis omnibus tumoribus tempore pestis agendum est.

Utile etiam monitum sit hoc tempore pestilenti super cætera curam gerere, ut domi pullorum copia suppetat, non tantum ob prædictam adeò necessariam rationem. Sed etiam quia dum pulli adsunt, tum ova, carnes panis biscoctus, & optima cella vinaria, servi non compelluntur ad vivendi necessaria conquirenda hùc illùc vagari, & pestem ferè semper secum ducere, ac introducere.

In carbunculo interim pestillenti nil deterius somno, qui calore retracto, igneum ejus ardorem adauget.

In victu exhibeantur ea, quæ salem volatilem in se contineant. Optima itaque juscula accommodata erunt. Acida coagulantia, tum acria corrodentia vitentur. Potus theæ, tum decoctio radicum scorzoneræ, vel scordii, aut lignorum utiliter usurpabuntur.

Volatilia alexipharmaca, his coagulationibus adversantia, & vires cordis vigorantia, atque undique exolventia, dissolventia, ressolventia, in usu ponantur.

In primis valent theriacalia, canphurata, scordium, cornu cervinum, fixiora antimonialia, bezoardicum minerale, lapis bezaar. Viperina universa auxilia. Margaritæ, oculi cancri.

Progrediens carbunculus eadem ratione curari debet ut cancrena, quæ ad sphacelum tendit, (de qua suo loco curationem insinuavimus) silicet omni studio escara separanda erit. Inde optima mundificatio, ac suppuratio procuranda.

Quamobrem si balsamo caustico meo, vel butyro antimonii circumliniatur, pars sana à syderata, per hæc acida generosiora separari cogetur. Suarum ignearum particularum agitatione liquorum motus in parte sana augebitur. Prava fermenta tollentur. Inde nutritio non impedita rectè munus suum obire poterit, & sanatio superveniet.

Aperto jam carbunculo turunda imponatur potissimum cum balsamo sulphuris terebenthinato & vini spiritu myrrhato. Aut aqua calcis cum spiritu vini canphurato, aut aqua Reginæ Hungariæ.

Si autem liquida icorosa materia profluat, his addatur balsamus Peruvanus, vel hiperici.

Ex aloe etiam myrrha, canphura, sale saturni, croco, vini spiritu tinctura paratur, qua carbunculus per spongiam diu foveri utilitèr poterit. Vel ex scordio, myrrha olibano, croco, canphura, & aqua Reginæ Hungariæ obtinebis auxilium, & quod cum cæteris de primatu certare potest. Sed sceptico auxilio prius pugnandum est sicuti innuimus.

Ad-

Adversus panaritium auxilia.

Corrosivi succi stagnantes acriores facti in summitate digiti corrigendi, ac emendandi sunt per absorbentia, & sudorifera, anodynis maritata.

Quę succorum acrimoniam attemperent, & coagulata dissolvant, ad motum invitent, ac per sua vasa iterum refluere faciant.

Hujus farinæ sunt viperina, stybium diaphoreticum, cornu cervinum, decoctum lignorum, lumbricorum terræ pulvis, lapis bezaar, bezoardicum minerale.

Anodyna symptomati doloris, & acrimoniæ succorum obviam ire possunt. Quamobrem circa horam somni vespertinam, seu nocturnam commodè propinari poterunt, ut laudanum nepentes, theriaca recens, philonium Romanum, emulsio ex 4. sem. frig. ma. in aqua florum papaveris, decoctum eorundem, aliaque papaveracea, & opiata.

Topica verò præstantiora à Paracelso chirurgiæ facilè principe celebrata sunt terræ lumbricus linteo exceptus vivus ac dolenti parti applicitus inibique spacio 24. horarum detentus, vel etiam ulteriùs, donec moriatur. Quo emortuo morbum curatum esse decantat ipse, tum discipulus ejus Elmontius.

Valet præterea ad dolorem mitigandum vini spiritus canphuratus, crocatus cum castoreo.

Digitus verò statim ab initio, in panem siligineum calentem à furno extractum immissus, ad extremam ægri tollerantiam, plurimis salutem reportavit.

Ex pulvere vero lumbricorum terræ, cum stybio pulverizato, & laudano. Vtilissimum supra cætera huic affectui ceratum parabitur.

Riverius centuria quarta varias historias eorum adducit, qui in aurem fellis immissa summitate dolentis digiti, intra paucas horas à dolore liberati sunt. Et quod cum risu admirationem parit tanti viri testimonium est quod dolor in fellis aure transplantatur, cum indiciis manifestis.

Topica ex legitimis indicationibus decerpta sunt quæ succos in digito stagnantes, ac jam evasatos, viscidos, ad refluendum in vasa sua ineptos factos ressolvant.

Quamobrem præmissis internis absorbentibus volatilibus, & sudoriferis superiùs enarratis, lintea duplicata madida applicentur cum spiritu vini, oleo sabinæ, spiritu salis armoniaci, & canphura ana drach. j.

Si hoc minus valere videatur, accipias aquam seu liquorem lumbricorum terræ in clybano procuratum, cum sale armoniaco, & aqua calcis.

Dolorem lenit balsamus Pervanus exteriùs tepidè applicitus. Difficultas solummodo est, quod in levi ac initiante panaritio, supra recensitis auxiliis certè proficies.

Verum plurimum accidit, quod medicus in progressu convocatur, quando generosa quæque remedia incassum adhibentur. Et ratio est quia jam profundiùs malum hæret, & jam ad ossis cariem processit. Ideòque vel statim ferro aperiatur.

Vel balsamo caustico meo, aut butyro antimonii, aut alio validissimo acido tunc attingantur, nulla ex-

pectata suppuratione. Ne ossis labes major serpat, & partium nervosarum affectio ulteriùs increscat.

Adversus Strumas auxilia.

Quoniam strumarum parens ordinarius, malum in victu regimen esse consuevit. Mater vero acida in primis viis cruditas. A quibus coagula hinc inde procreari passim observantur.

Quamobrem inter prima & præcipua auxilia, optima vivendi ratio servetur, in attenuantibus insistendo. Fercula verò aromaticis condiantur. Mutatio aeris, & aquæ plurimum valet ad sanitatem inducendam.

Ob aquas enim de aliquibus mineris participes, variis in regionibus endemici affectus strumosi fiunt. E contra notavit Paracelsus quod præ aquarum probitate penès Helvetios, in Valle Engadina nulli unquam strumosi fieri observantur.

Aer itaque optimus ille pro his affectibus judicatur, qui acido nitroso admodum repletus non sit. Aromatica, aperitiva, diuretica in ferculis commendantur, & moderatè salita.

Potus sit vinum medicatum lignis, tum cephalicis simplicibus, & amaricantibus, ut absynthium carduus benedictus.

Si autem loco vini per mensem, & ultra lignorum decocto usi fuerint cum radicibus scrofulariæ, enulæ, anonidis, majorem sanationis confidentiam habere poterunt.

Decoctum etiam theæ, vel scrofulariæ seorsim adhibitum semper proderit.

Ne facilè acescat chylus in primis viis omnis alea tentanda est, per fixiora absorbentia, per oculos cancri, stybium diaphoreticum, bezoardicum mineralem, per testaceorum pulveres, per spongiam combustam, & similia.

Sed præ cæteris multis feliciter successisse observavi antimonii tincturam longo tempore usurpatam ad scrup. s. duabus, vel tribus vicibus summò manè cum decocto aperitivo.

Aliis verò usum decocti viperarum, vel carnium & frequenti theriaces sumptione, tempore somni.

Amara verò universaliter, smegmatica sua vi his affectibus generosa sunt auxilia.

Exercitia moderata, tum utilia, tum necessaria sunt, & quæ sanguinis fermentationem alacrem promovent.

Regis Gallorum benedictio, supernum auxilium naturæ leges ordinarias excedens est. Quo pro veris Christi fidelibus firmitèr credentibus, nec tutius, neque citius, neque jucundius esse potest.

Zacutus Lusitanus, strummas sic sanare aggreditur. Primò induratas nec apertas emollit brioniæ radice in oleo communi cocta, & more unguenti applicita. Secundò postmodum apertionem molitur. Tertiò insperso mercurio præcipitato, pessimum fermentum abolere satagit. Demum sulphure in lixivio forti (ex cineribus & calce parato) ebullito, & facto fomento mundationem ab omni earum inquinamento procurat. Et Pervano balsamo cicatrizat.

Si quis horum loco balsamo sulphuris terebenthinato usus fuerit, fortè feliciùs procedet. Et apertionem loco ferramentorum, vel septico-

pticorum post se pessimam qualitatem relinquentium, & partis imbecillitatem foventium, si quis caustico balsamo meo usus fuerit, vel butyro antimonii, aut oleo mercurii. Victoriæ spem certiorem concipere poterit.

Magnæ fidei viri, tum Elmontius testantur pro infallibili auxilio; quod ter manu mortui longa tabe infecti confricata certò sanet.

Multos audivi, qui longo temporis curriculo singulo manè urinam propriam bibentes, se ab his gullæ illaqueatoribus morbis liberarunt.

Aliis profuit sapo niger Venetus in forti lixivio solutus, & in vnguentum percoctus, applicitus ut vel resolvantur, vel citò ad maturationem, ac apertionem deveniant.

Ad fermentationem paritèr in succis stagnantibus excitandam, cataplasmata ex scordio, absynthio, stercore columbino, sale armoniaco, radicibus brioniæ, cimini cum tartaro & urina efficacissima sunt.

Ceratum verò de ranis Jo: de Vico cum quadruplicato mercurio duritiem omnem emolliendo, sui penetratione removet, glandulasque ab omni infarctu liberat, earum tubulis undique reseratis, ut circulantibus liquoribus aditus pateat.

Pro bubonibus auxilia.

PEstillentibus bubonibus incipientibus applicandos esse pullos deplumato podice, donec moriantur superiùs de febribus pestillentibus docuimus.

Iuxta vero Paracelsum buffo exiccatus applicetur, qui cum intumuerit, ad confluentium venenatorum liquorum concursum, alius applicetur.

Sed quia exiccati buffones non semper haberi possunt. Ideò commendabiliores sunt buffones exiccati pulverizati, & cum aqua dissoluti tragacanthi in trochiscos concinati. Aut ex tempore cum melle misceatur pulvis buffonum, forma cataplasmatis.

Archeus etenim hujus hostis propulsandi occasione, omnem pestis acrimoniam causticam validè insurgens expellit, & ad locum buffonis demittit.

Post hæc tentata, vix caustico balsamo meo meliora auxilia ab arte obtinebis. Citissimè namque maturationem molitur, & apertionem Quo deinceps aperto ad mundificationem balsamus sulphuris terebenthinatus inservire poterit, postquam diutino tempore solo butyro escaræ casum, doloris mitigationem, & emollitionem tentaveris.

Vel accipias calcis vivæ vnc. j. vini spiritus canphurati, succi hipericonis, plantaginis ana vnc. ſ. salis saturni drach. j. misce, atque plumaceoli his imbuti imponantur.

Fotus itaque ex volatilibus aromaticis, aqua calcis, spiritu vini canphurato, carduo benedicto, scordio, dictamo efficax esse consuevit.

Per os verò tinctura bezoardica propinetur, ex radicibus angelicæ, zedoariæ, myrrhæ, croco, macis, canphura.

Nec non diaphoretica ex cornu cervino, ex viperis, ex succino, & ex alexipharmacis. Vinum medicatum proderit ex herbis, & radicibus aromaticis, volatilibus.

Sed vino præstantius erit decoctum

ex china salsa, sassafras, stybio integro, & cineribus ex herbis aromaticis, quo coagula sanguinis, & aliorum succorum impediantur, & circulatio promoveatur, stagnationesque in glandulis remoueantur. Jucundius verò parabitur cum sassafras, salsa, china, & herba theæ, si saccaro edulcoretur, & corticibus citri aromatizetur, illudque ex parvis scutellis calens absorbeatur.

Pro parotidibus auxilia.

EAdem fermè quæ pro bubonibus auxilia proposuimus, pro parotidibus inservire possunt.

Nam balsamo caustico meo, vel butyro antimonii, aut oleo mercurii velocem maturationem, ac apertionem obtinebis.

Nec non mediante volatili, penetrante, ac tenuissimo hoc medicamento, tubuli omnes glandularum circumsiti adaperiuntur, deobstruuntur, neque diù stagnare permittuntur, & etiam prava fermenta extinguuntur.

Post talem maturationem, & apertionem, per quatuor, quinque, & ultra dies solo butyro uteris, deinceps balsamo sulphuris terebenthinato, & demum aliquo balsamo ex nostris vulnerariis ad cicatrizationem obtinendam.

Rei verò summa præcipua locata est, in maturatione, & apertione celeri, quæ absque validis prædictis medicamentis difficultèr impetrari possunt; inde prorogata stagnatio liquorum pravorum cerebri proxima, plurimis est causa extremi Fati, ac necis.

Ab initio igitur parotidis sal cornu cervi volatile, vel viperinum ad grana septem circitèr cum decocto sudorifero valebit.

Prout tinctura succini, & quæcumque alexipharmaca diaphoretica reputantur. Quæque cordialia vires cordis, ejusque fermentationem adaugere, ac stagnationes propulsare possunt.

Adversus tumores ædematosos auxilia.

AD serositates in toto redundantes evacuandas. Et pituitosas materias attenuandas, liquandas, sudor provocetur, vini spiritu accenso in instrumento caprea dicto, vel etiam undique stragulis circumpositis, per horam circitèr.

Prius tamen decocto sudorifero lignorum propinato, more consueto, &c.

Aer pro his ad calidum inclinans eligatur. Diutiùs vigilare proderit, atque vberiùs exerceri ad sudoris provocationem. Universa victus ratio, moderatè calefacere, non valdè exiccare, sed mediocritèr attenuare debet.

Frigida crassa excrementa in toto; & in capite (pituitæ metropoli) reddundantia eliminanda. Et eorum proventus inhibendus.

Quod potissimum obtineri poterit per optimè institutam dietam sudoriferam, decocto lignorum, salsæ, radicum chinæ, sassafras, stybio, & cineribus simplicium cephalicorum, aromaticorum, quadraginta diebus continuato.

Deinde per quindecim circitèr dies adhibita theriaca ad scrup. ij. cum scrup. s. olei succini noctu eundo cubitum.

In his enim multo magis confiderem,

rem, quam in mero decocto, seu jure galli in cujus ventre simplicia cephalica consuta ebulliant.

Annitendum est itaque per os auxiliis exhibitis, ut succi frigidi, crudi, corrigantur. Obstructiones aperiantur, ac particulæ in sanguine introducantur, quæ impedimenta sufficientis sanguinis motus tollant. Et debitam per singula membra sanguinis circulationem inducant.

Cibos aromatibus condire licebit. Vinum pro usu mensæ sit medicatum lignis decoctorum, tum simplicibus cephalicis. Verum si pro vino, decocto secundo lignorum, seu bocheto utantur magno cum ægri emolumento fiet.

Sorbiciuntulæ etiam quandoque voluptuosæ herbæ theæ, & sassafras quæ his proficuæ esse possunt non interdicantur.

Nec non amaricantium usum. Ut cortices aurantiorum conditæ, conserva absynthii, betonicæ. Elixir proprietatis Paracelsi.

Frequens etiam usus viperatorum, theriacalium, elixirium, ad vigorandam cordis fermentationem, admodum inservire potest.

Nam lympham incrassatam, & stagnantem attenuare, & ad motum progressiuum invitare valet.

Pro qua intentione executioni mandanda mercurialia auxilia primum occupare locum certum est. Nam ad deobstruendas infarctas glandulas lymphæ, ac seri albuginei nutritii receptacula, & incernicula, super cætera artis auxilia palmam reportant æquè intrinsecus propinata, ac extrinsecus admota.

Arcanum itaque corallinum Paracelsi, vel Hercules Bovij. Aut noster præcipitatus mercurius per ignem solum Muriani ad grana tria circitèr singulo die, donec salivatio compareat, sufficere poterit, quæ purgante per inferiora exhibito illicò cessabit.

Exterius vero fomenta ex lixivio, sulphure, & modico aceto valida sunt. Sed validiora fortè, quæ ex aqua sola marina parantur, ac reposito membro in eo situ, ut declive non sit, nec non fascia, aut valida compressione ligatum. Est enim Galeni documentum in 12. *meth. Si pars aliqua (potissimum extrema) edemate tentetur, post fomenta deligetur incipiendo inferiùs desinendo superiùs. Ea tamen ratione, ut strictior inferiùs, mollior superiùs ligatura sit. Emplastrum etiam ex farina lentium, calce viva, & aqua salita cum eadem deligatura inservire poterit.*

Spongia etiam alligata aqua, aceto, & sale imbuta, noctu tempore somni. Vel lixivium ex cineribus cephalicorum simplicium, & calce viva paratum, cum aqua salita, & nitro, valida admodum auxilia sunt. Validiora etiam, si & sulphur incoquatur.

Verum sicuti non admodum difficile erit per hujusmodi medicamenta, attenuare, ressolvere materiam in edemate contentam, vel (quod plerumque accidit) per situm declivem venis ressorbentibus lympham, & serum stagnans, ac edema constituens trudere, ut iterum ad vasa majora pergens circulationis, motui restituatur.

Ita difficilior provincia est, ut crassorum humorum generatio inhibeatur. Quamobrem ante cætera optima ventriculi concoctio procuranda est,

est. Per antidota magna theriacæ, mitridatum, tum per viperata, succinata, & decocta lignorum, quæ stomacho, ac capiti prospiciant, ut tum emendationi superfluæ lymphæ, inepti seri pro nutritione spermaticarum albarum partium sufficere possint.

Adversus Syrrhum auxilia.

Galeni monitum est in 12. *meth. quod in syrrhosis affectibus nullum vehementer calefaciens, & siccans medicamentum aptum est. Talia enim, subtilia digerunt, & quod reliquum est multò magis impingunt. Sed admoveantur ea, quæ emolliendo digerere possunt.*

Valet ergo decoctum brioniæ radicis, quod tum epotum, tum radix ipsa applicita, sæpè sola sufficere potuit.

In syrrho non admodum indurato, neque indolente decoctum absynthii, cum spiritu salis armoniaci suffecere nobis non semel; & herba pro cataplasmate applicita cum sale armoniaco, & gummi ammoniaco dissoluto.

Fotus, balneationes partis, nitro, sulphure, cineribus vitis, sale armoniaco, absynthio floribus camomelli in vino, vel vrina, aut lixivio coctis summoperè valent.

Absynthii summitates cum sale marino copioso, in sacculo calentes efficaces sunt.

Sed his non minus, radix brioniæ, cum seminibus cumini, sale nitro, gummi ammoniaco forma emplastri adhibita.

Minus inveterati syrrhi ressolvuntur vini spiritu canphurato, vel spiritu salis armoniaci.

Ceratum verò ex gummi amoniaco, galbano, cum terebenthina, & mercurio, duros, & inveteratos sanat. Quo etiam efficacius esse expertus sum ceratum de ranis Jo: de Vico cum quadruplicato mercurio.

Si autem his validis auxiliis cedere velle non videatur, balsamum causticum meum ad drach. ſ. butyri drach. ſ. optimè mixtum, illiniatur manè, & vesperi. Nam ad motum ac fermentationem provacatis succis immobilitèr stagnantibus, concoctionem, apertionem, vel insensibilem transpirationem, ac transudationem eis donabit.

Idem (sed aliquanto ignavius) butyrum antimonii, vel oleum mercurii operabitur.

Sed legitima curandi ratio exigit, ut externæ causæ frigidorum incrassatorum, stagnantium liquorum ante cætera tollantur. Victusque tenuis ad calidum, & humidum vergens instituatur.

Aer crassus, nebulosus vitetur. Vitetur prolixior somnus, otium, & tristitia. Vinum album, tenue lignis medicatum sit.

Dieta sudorifera lignis procurata super cætera fortè auxilia efficacior erit, cum pulveribus, & decoctis toties decantatis. Ac in usu mensæ ordinario bochetum, seu decoctum secundum pro 40. dies.

Celebratur usus martialium, tum vitriolatorum & potissimum salis vitrioli, tum panacea Ambaldina ex sale capitis mortui vitrioli.

Tum tinctura vitrioli, nec non tartari, longo tempore adhibita.

Vinum medicatum enula, bac-

cis juniperi. Salia in mensæ usu viperina volatilia, vel cornu cervini.

Adversus varii generis tumores, generalia, tum peculiaria auxilia.

AD ganglion, sufficere poterit ceratum de ranis Jo: de Vico, cum duplicata portione mercurii, & oleo viperæ. Adhibita desuper lamina plumbi.

Interiùs verò exhibeantur quæ fermentativa volatilia, fluiditatem humoribus conciliare valent, ut sunt decocta sudorifera lignorum cum pulveribus cornu cervi, viperini. Potus theæ.

Exterius verò decoctum calcis vivæ cum urina, & sale armoniaco. Tum vini spiritus canphuratus per modum vespertini fomenti.

His nisi ganglion cedat, cogitandum erit, ut admixta drach. ſ. balsami caustici mei cum vnc. ſ. butyri aliqua ratione solvatur, ac dissolvatur. In cujus loco butyrum antimonii, vel oleum mercurii subrogari poterit.

Talpam capitis, absque manuali operatione numquam benè sanatam vidi. Quare post incisionem factam, vel apertionem per balsamum causticum meum, aut butyrum antimonii, aut lapidem inferni, postmodum balsamum sulphuris terebenthinatum vsque ad finem sufficere poterit.

Nisi pro cicatrizando amplo vulcere oleo Hispaniolæ, vel balsamo Pervano uti velis.

Pro polypo extirpando narium, nullum vnquam aptius medicamentum mihi videre contigit balsamo caustico meo. Quo non solum radicibus eruitur. Sed ejus pessima fermenta relinqui solita averuncantur.

Optimum tamen consilium fuerit semper per decem, & ultra dies prius uti dieta sudorifera lignorum, etiam cum suo bocheto seu secundo decocto in mensa.

Atque cerebrum omni arte, theriaca, viperatis, & succinatis ab excrementis quantum fieri potest liberabis.

Talisque vivendi ratio instituatur, quæ humorum acrimoniam attemperet, eorum generationem inhibeat. Quare attenuans eligibilior erit.

Deinde si incommoda dolorifici auxilii vitare cupias, & mitiora tentare vellis, aqua aluminosa Fallopii uteris in qua mercurii dulcis copiam dissolvas.

Vel Ægyptiacum inspissatum, rectificatissimo vini spiritu dissolutum, cum portione præcipitati dulcificati per mixtionem salis saturni deflagrati.

Pro debellandis verò aquosis tumoribus, ante cætera ad intemperiem sanguinis salsam acrem. Seu potius ad serum albugineum nutritium nervorum, cum massa sanguinis circulantem, ad naturalem statum reddigendum te convertes. Quod potissimum peragetur decoctis lignorum salsæ chinæ consuetis.

Additis etiam viperinis, theriacalibus, succinatis. Nec non validioribus diaphoreticis salibus volatilibus cornu cervi, viperarum, succini.

Tum stybio diaphoretico, sale vitrioli, oculis cancri, & aliis, absorbentium titulo venientibus.

His etiam conferunt sorbitiunculæ

læ herbæ theæ, tum amarorum conservæ, & parata auxilia aromatica, cephalica, stomachica.

Quibus mediantibus humiditas ista serosa, seu serum nutritium nervorum impurum, etherogeneis salibus prægnans, simul cum lympha à capite potissimum proveniens, & à toto corrigi, & ad exitum disponi possit.

Ideòque ab humectantibus, & potulentis quantum fieri potest abstinendum erit. Atque dieta exiccanti utendum.

Topica deinde super partem affectam aquoso tumore erunt, aqua calcis cum spiritu salis armoniaci, ac spiritu vini canphurato.

Lixivium forte cum sulphure, oleo tartari, sale saturni, & canphura.

Per os verò tinctura tartari, vel stybii longo tempore adhibita efficax est. Tum cremor tartari, tartarus vitriolatus. Cum decoctis aperientibus, diureticis, diaphoreticis.

Quod si his non cedat affectus locus scarificandus, aut tubulo aquarum eductore (in paracentesi) liquoris hujus exitus procurandus erit.

Pro tumoribus tunicatis, seu cysticis ut atheroma, steothoma, melliceris.

Ferro aperiendi sunt, deinde mercurio præcipitato, dulcificato tentare debemus, ut cystis, seu folliculus integer abscedat.

Si autem patiens à ferro abhorreat, vel sit in loco periculoso, caustico nostro, vel aliis infradicendis aperiatur, deinde balsamo sulphuris terebenthinato integra mundificatio peragetur, & tandem balsamo Pervano cicatrix perficiatur, semper adhibito cerato de stybio desuper.

Pro tumoribus ficosis, mariscis, condilomatibus.

Attingantur gosipio madefacto in oleo caustico meo, deinde tribus sequentibus diebus solo butyro communi innungantur ad integram escaræ separationem. Postmodum vnguento de tutia uteris, vsque ad finem.

Qui oleo caustico balsamico meo caret utatur butyro antimonii, vel oleo arsenici, seu mercurii, & hac ratione pessima fermenta averuncantur, quæ per solam incisionem difficultèr avelluntur.

Quia verò lues Cæltica ut plurimum subest, ideò dieta sudorifera lignorum, & aliis recensitis luis alexipharmacis debellanda erit.

Sic enim sanguis crassior, impurus, stagnationibus pronus attenuari, volatilizari, & ad exitum disponi poterit, viperatis, succinatis, cornu cervino adhibitis.

Sic Vinum medicatum antedictis alexipharmacis diaphoreticis. Vel bochetum, seu decoctum secundum inservire poterit. Secus enim vina austera, tum crassarum partium alimenta, ac potulenta fugienda erunt.

Pro delicatulis verò, & illis qui levia incerta potius auxilia, sed non molesta, quam valida, & verè sanantia; sed dolorosa remedia amplectantur, suffitus ex cinabari per quatuor, quinque, vel amplius dies ten-

tentandus est, admixto antimonio, & sale decrepitato, donec salivatio apparere incipiat, quę purgante per inferiora exhibito illicò cessabit.

Deinceps super locum affectum fotus fiat, ex spiritu salis armoniaci cum calce viva, vel aqua calcis, & spiritu florum sambuci.

Epythemata etiam ex floribus camomelli, verbasci, baccis juniperi, sale tartari, & sale armoniaco tepidè applicita valebunt.

Verum levioribus non juvantibus (ut ordinariè fieri solet) ad fortiora accedendum ut diximus, videlicet ad balsamum causticum meum, vel ad oleum arsenici mercuriale, quibus nunquam palmam, ac horum pessimorum affectuum victoriam denegatam fuisse recordor.

Adversus flatuosos tumores, emphisimata Græcè dictos.

AER calidus, tenuisque eligatur. Cibi verò calidi, attenuantes, flatus discutientes, ut sunt carnes sylvestres assæ. Flatulenta, tum aromata vitentur.

Vigiliæ immoderatæ, & quæ calorem innatum, spiritusque animales prosternunt fugiantur. Imò ad calorem imminutum roborandum, cibi optimi succi offerantur. Et in potu vina, ac potulenta aromatica,

Fercula condimentis, ac speciebus aromaticis condiantur. Tinctura idcircò cinamomi, macis, oleum anisorum, essentia citri, cariophillorum, commendantur. Tum aqua fœniculi, in qua decoquantur flores camomelli, cum spiritus nitri guttulis. Sic tinctura corticum aurantiorum; vel florum camomelli.

Topica verò externa supra locum affectum erunt sacculi ex floribus camomelli, sambuci, seminibus anisorum in vino coctis, ac calidè impositis. Vel etiam forti lixivio incoquantur baccæ juniperi, summitates scordii Cretici, flores camomelli, semina cumini, & baccæ lauri, sacculoque inclusæ fervidę fotui inserviant.

Lixivium etiam ex cineribus vitis, vel simplicium cephalicorum aromaticorum, cum copiosa calce viva, spongia applicitum sufficere pro omnibus solet, si tumor superficialis sit.

Verum si profundus, extemporaneum auxilium magna cucurbitula applicita esse consuevit.

Pro ani procidentia auxilia.

SUperflui liquores serosi, icorosi hujus affectus causæ, dieta sudorifera lignorum, absumendi sunt.

Vel saltem validioribus diaphoreticis salibus volatilibus viperarum, cornu cervini, succini, & consimilibus. Validisque pugnandum exiccantibus, & potissimum balsamo caustico meo plurimo butyro admixto, sic enim ignis siccitatis vim imprimere, & non cauterizare locum poterit.

Sed in leviori affectu, ac recentiori, post repobtionem intestini recti digito indice, oleo mastichino, & pulvere mastichis illito, æger aliquo tempore supra ventrem jaceat.

Ut vero firmetur oleo hyperici il-

liniatur, pulvere gallarum, & florum hyperici conspersо.

Insideat etiam sacculo parato ex floribus, & foliis verbasci pulvere masticis, olibani, succini, atque in vino facta ebullitione, tepens adhibeatur.

Suffitus etiam ex olibano, mastice, gagate, thure, myrrha efficacitèr operatur.

Oleum mastichinum destillatum in quo verbasci flores incoquantur, cæteris auxiliis palmam surripere consuevit. Est enim flos verbasci, & ejus planta, pro intestini recti affectibus universis. Super cæteras plantas auxilium magis accommodatum, & specificium.

Ad venas varicosas auxilia.

ACidum incrassans, in sanguine delitescens eumque ponderosum, minusque mobile reddens, attemperandum. Et sic sanguinis coagulatio quædam, ac stagnatio impedienda, tum venarum dilatatarum tunica adstringenda, & quantum fieri potest earum circulares fibrillæ coarctandæ.

Acidum corrigentia, seu imbibentia huic negotio apta erunt cornu cervinum, lapides cancrorum, corallia, perlæ, & testaceorum omnium pulveres, tum boli præciosiores.

Sed in casu graviori ascendere licebit & ad sudorifera decocta lignorum, & ad pulveres diaphoreticos, salium volatilium; cornu cervi, viperarum, succini.

Topica sint exiccantia, terrestria, bolus armeni subacta cum succo granatorum & onphacio, & gallarum pulvere, mittillorum sumachiorum. Atque desuper imposita lamina plumbea, fascia apta deligetur.

Sed supra cætera solliciti sint ægri de recta victus ratione. In cibis tenuis, ac mollis substantiæ insistant.

Vino utantur lignis medicato. Omniaque tentent quæ massam sanguinis à particulis acidis, & viscidis liberare possint.

Adversus varias hernias auxilia.

IN hydrocele, seu hernia aquosa. Primò alimenta universa aquosa interdicantur, nec non potus largiores.

Dietaque sudorifera instituenda per decoctum lignorum sassafras lentisci, chinæ per 40. dies. Adhibito etiam bocheto, seu decocto secundo pro usu potulento in mensa.

Postmodum ad topica deveniendum, facto fomento ex lixivio sale communi, & cimino. Tum iis adhibitis, quæ pro tumoribus aquosis superiùs insinuavimus.

In enterocele seu hernia intestinali, quæ per quatuor dies nullis auxiliis intromitti potuit *Riverius Cent. 3. observ* 82. vocatus per fotum vini spiritus calentem per duas horas continuatum, ægrum restituit. Stagnantibus enim liquoribus circumstantibus, qua duritiei, ac tumoris erant causæ, motu procurato, & regressu in venas facto omnia sedata.

Si herniæ intestinalis recens sit prolasus in scrotum illicò curetur applicitis petiis in aqua frigidissima in-

intinctis, tum alia omnia quæ in dolore colico adhibeantur & felicissime repositio subsequetur ut ipse tribus vicibus vidi.

Si autem de curatione absoluta, peritonei lacerati, vel relaxati loquamur, in adultis ut plurimum irrita esse solent administrata auxilia, in pueris frequentèr felicitèr succedit, si morem gerere velint, atque subligaculis strictis ut opus est pareant.

Si itaque inveterata sit hernia, annitendum saltem erit ne perfecta evadat, cum intestini prolapsu in scrotum. Quod fiet accommodato cingulo gestato cum cerato meo sine oleis parato. Accipiendo pro uncia una lacrymæ abietinæ vnciam, & semis masticis pulverizati, & dracmas sex sanguinis draconis in lacryma, & & dracma una gariophillorum pulverizatorum, quæ ad ignem liquata miscentur, ac extenduntur super alutam applicandam.

Abstinendum etenim censeo ab omnibus oleosis à quibus nunquam bonam operam observare mihi contigit.

Caveant ægri hujusmodi, ab universis flatuosis, tum ab aquosis vinis, vel albis tenuibus, aut fæci proximis. Sed vina potent generosa vetera, austeriuscula, in bonis locis nata, non lapidosa, neque crassa, turbida, recentia musta.

Post cibum semina anisorum confecta summant, vel alia flatus pellentia alibi insinuata. Aer frigidus angue pejus vitetur, tum pedum frigus, quod herniæ est infensissimum. Multosque invenias ab ingenti pedum frigore, vei colicos, vel herniosos factos.

Moderata sint exercitia, nulla verò anhelosa, aut in quibus spiritus contineri debeat amplectantur. Sternutamenta fugiantur.

A tussi vehementi, à clamoribus, à fęcum violenta expulsione, a saltibus, ab onerum gestatione, & similibus abstinere debent.

Quando de sanatione spes est, longus in dorsum decubitus, & pedibus retractis fiat. Quæ de castratione, infibullatione cum anullis, & alia multa proponuntur, ut injucunda ab hoc loco expungimus, ac Norsinis relinquimus.

Monemus tantum quod ab actu frigidis, tum à rerum frigidarum assumptione semper abstineant. Unoque verbo, ab omnibus illis, quæ in peritoneum repentinum impetum facere possunt se contineant.

Sic ab omnibus acidis, austeris, frigidis, salinis, viscidis caveant. Spiritus tamen salis cum vini spiritu anisato ad guttulas mixtus propinatus, magnæ est efficaciæ ad intestini repositionem procurandam; flatus enim potentèr absumere valet.

Adversus cutis aliquas defœdationes & mala, cosmetica auxilia.

AD *thimos, verucas, seu porros extirpandos* par balsamo caustico meo auxilium non invenies. Vel saltem aqua regia optima in qua copiosum sal armoniacum dissolutum sit.

His mitius operatur; sed minori molestia sapo niger subactus cum alumine usto, & vitriolo rubrificato.

Vel Ægyptiacum igne inspissatum,

& multo mercurio præcipitato admixto. Aut etiam simplici spiritu salis armoniaci tangantur.

Postmodum aqua calcis fræquenter locus foveatur, ac abluatur. Deinde oleo de lateribus admixto pulvere sabinæ fiat linimentum.

Si vero ante hujus applicationem, locus foveatur petiis in lixivio intinctis, in quo copiosus sapo niger dissolutus sit, meliùs ages.

Validissima sunt sabinæ folia in vino macerata, & applicita. Vel oleum euphorbii, cum pulvere synapis, sulphuris, & salis. Postquam eosdem extirpaveris per aliquod tempus spiritu vini, admixto copioso saturno locus attingatur, ne fortè repullulare possint.

Pro fungosis, duris excrescentiis vbicumque ortis, aut cornibus dictis extirpandis, balsamum causticum meum valere poterit, vel oleum de arsenico, cum halonitro detonato, per deliquium collectum sufficiens erit.

Decocta interim exhibeantur sudorifera ex lignis, ut in lue Cæltica. Sunt etenim hujusmodi affectus adinstar tophorum venereorum. Ideoque & viperatis, & alexipharmacis pugnare optimum consilium erit, pro certa salute.

Post topicorum causticorum usum, sal saturni cum canphura, calce viva, tutia, succino pulverizentur, atque inspergantur, remota jam escara. Vel suffitus fiant ex succino, & sabina, deinde oleum mercurii illiniatur. Aut alia mercurialia in magis pertinaci usurpentur.

Adversus callos scisuras.

CAllos vbicumque locorum tollit talleola succi limonum apcita, tribus, vel quatuor noctibus repetita, factaque scalpro abrasione.

Vel sæbo, canphura, sperma cæti, sale saturni rigidiores fibræ emolliantur, deinde scalpello callus abradatur.

Adversus scisuras, pellemque duram, scabram sapo paretur, quo manus abluantur, ex sapone Veneto in lixivio forti dissoluto, amygdalis, benzuino, canphura, & cocto ad debitam consistentiam.

Ad callos verò tollendos procurabis, ut tubuli aperiantur, ampliores fiant, atque flexibiles reddantur, vini spiritu crocato, & canphurato. Vel gummi ammoniaco in spiritu vini dissoluto, atque iterum inspissato, & applicito.

Prius tamen immergantur manus vel pedes in decocto emollienti, ut calli postmodum abscindi possint.

Quod feliciùs obtinebis per saponem nigrum in lixivio ex cineribus, & calce facto, instar linimenti soluto, petiis excepto, & noctu applicito, expectata emollitione, ut abscindi ac extirpari possint.

Ego (ait Riverius) felicissimè eos curare soleo, callo profundè inciso, deindè oleo lini imposito gosipio imbuto, & hoc rarò fallit. Vel cum galbano, resinâ, pice, & sale armoniaco modico, fiat ceratum applicandum. Aqua verò calcis vivæ semper proficua est.

Alis

Aliis auxiliis nisi cedere velit affectus, ad butyrum antimonii, ad lapidem ignis, & nobiliora caustica accedendum erit, deinde post casum escaræ mediante butyro, balsamum sulphuris adhibeatur, demum sarcoticæ pulveres inspergantur.

Ex auripigmento etiam, sulphure, & nitro ana, cum cera, & ammoniaco ceratum molle paretur, & applicetur.

In callosis duritiebus communitèr post emollitionem tentatam sapone in lixivio soluto, & ad instar linimenti igne incrassato, callus inciditur, postmodum resina apponitur, vel amoniacum cum euphorbio, & nitro solutum.


Advetsus ranulam linguam, paganam dictam.

OPtimo oleo sulphuris bis in die tangatur inde os abluatur frequentèr vino granatorum in quo dissolutum sit sal, & alumen.

Adversus impetiginem, pustulas rubras, & alias minutas defœdationes cutis.

FRequentèr abluantur calcis vivæ decocto & hoc sufficere consuevit. Vel ex oleo tartari, canphura, cerusa, cinabari, & sale saturni linimentum efformetur, quo eundo cubitum patiens utatur.

Si his cedere nolint, cogitandum de decoctis lignorum, & viperinis, nam luem Cælticam subesse sanatiotionem impedientem suspicaberis.



Adversus maculas albas, & alias cutis nitorem tollentes.

VNguento rosaceo cum mercurio præcipitato canphura, cinabari, & balsamo Pervano pro linimento uteris. Semel verò in die oleo tartari per deliquium parato locum affectum ablues.

Vel efficacius lacte virginali inunges. Quod si pervicax affectus his cedere nolet, decocto calcis cinerum vitis, & floribus sulphuris, aqua Reginæ Hungariæ permixto per plures dies uteris.

Pro domicillis verò, & aliis delicatioribus, uteris vnguento pomatæ dicto, vel etiam florum aurantiorum, balneum florum dictum vnc. ij. sulphuris flores, nitri, salis armoniaci, mercurii dulcis ana drac. j. misce & cum speciebus diambra, nobile linimentum, ac efficacissimum ad omnes cutis defœdationes constitues.

Adversus escaras & repentinas in cutem efflorescentias.

MAssa sanguinis à salinis acribus particulis ante omnia per sudorifera, tum diuretica liberanda erit. Quod potissimum per lignorum decocta, & viperina impetrari consuevit; tum per cornu cervini præparationes, per tincturam tartari in aqua cardui benedicti, vel Saxoniæ.

Lotiones affectæ partis fiant lixivio, & nitro copioso soluto. Vel lixivio ex cineribus vitis, & calce parato, in quo stybium crasse contusum ebullierit.

Oleum tartari, oleo amygdalarum dulcium, & aquæ Reginæ Hungariæ, pro his affectibus nobile dat auxilium.

Cujus viribus par est illud quod paratur ex aqua plantaginis, saccaro Saturni, mercurio dulci, spiritu vini canphurato, aqua calcis, cum oleo tartari, & oleo amygdalarum admixtis.

Pro stygmatibus fœtui à matre inditis.

INter comedendum id quod fuit in causa stygmatis, saliva locus stygmatis frequenter, & longo tempore illiniatur. Elmontius verò jubet, ut locus tangatur manu demortui, longo tabifico morbo interempti, atque permittatur, ut frigoris sensus in eadem intromittatur.

Pro maculis hepaticis dictis quæ silicet inæquali rubore, tumore, vultum afficiunt. Optima instituatur dieta, ad refrigerans inclinans. Deinde in aqua florum sambuci, & aqua calcis bulliat lytargiri, & cerusæ ana vnc. j. facta colatura, in eadem dissolve canphuræ drach. ſ. qua manè, & vesperi pro ablutione vultus uteris.

Pro foveis, & maculis à variolis relictis. Inungantur balsamo saturni, facto ex sale saturni drach. j. & pinguedine viperæ, & ac oleo myrrhæ drach. ſ.

Adversus varos (& sunt veluti scabiosi exigui tumores faciei) manè post lotam faciem aqua communi, abluantut succo limonum, & aqua florum sambuci, vel decocto in quo solvatur tantillum aluminis.

Si validius remedium ex optes. In succo vnius limonis, solve drach. ij. mercurii dulcis, & drach. j. salis Salis saturni. Quæ cum vnc. ij. olei amygdalarum admiscebis.

Vel manè pars attingatur spongiola succo limonum, vel citri, & tartari admixto. Noctu verò eundo cubitum illiniatur facies unguento pomata dicto, vel etiam admixto vnguento florum aurantiorum, hac enim arte fiet alba facies, expolita, ac valdè nitida.

Adversus maculas, & defœdationes omnes sive faciei, sive manuum. Prædictum artificium inservire poterit, ex succo limonum, & oleo tartari. Vel lac virginale paratum ex aceto destillato lib. ij. in quo stet infusum litargyrum ad vnc. v. Quo uteris cum ana olei tartari per deliquium parati. Dum enim ei commiscetur candissimum lac constituit, cutem eximiè dealbans, & morbidam reddens.

Adversus scisuras manuum pedum. Pinguedo recens gallinæ, commixto sulphure pulverizato eundo cubitum, celeriter sanat.

Pro frigore læsis. Theriaca soluta in vini spiritu canphurato propinetur. Si pars verò de sphacello periclitetur, lixivio, vel urina tepida cum vini spiritu prius lavetur, deinde balsamus hyperici superponatur.

Adversus perniones (buganze vulgo dicuntur) Penès Italos vulgares proverbium invaluit eos medicos ignavos appellare, qui perniones curare caluerint. Cum tamen penès sollertes, & magni ingenii

viros,

viros, curandorum pernionum legitima ars, magni viri, ac judiciosi reputanda sit.

Ex Hippocratis itaque doctrina in lib. 5. Epid. elycimus, quod: *Perniones sunt tundendi, atque calefaciendi*. Cui sententiæ inhærentes, nos applicitis supra perniones hyrudinibus, factaque inunctione balsamica, & chyrotecis ex pellibus agninis propulsato frigore, voti compotes sæpiùs sanationis fuimus, potissimum si vesperi ante lecti ingressum per horæ quadrantem in balneo seu fomento ex symplicibus aromaticis, calefacientibus, balsamicis manus, vel pedes imponantur.

Intentiones præcipuę sunt, ut stagnantes coagulati præ frigore liquores, dissolvantur, & naturali suæ circulationi restituantur. Præ stagnatione verò acriores facti, demulciri, ac attemperari postulant.

Primò itaque leniter fricandi, ut calor, & motus iisdem liquoribus sensim restituatur.

Deinde validiora deobstruentia usurpentur, in quorum albo erunt vini spiritus canphuratus. Oleum terebenthinæ, vel juniperi. Quinta essentia rosmarini. Oleum seu potius liquor lumbricorum. Spiritus salis armoniaci. Balsamus Peruvanus. Oleum canphuræ.

Foveantur decoctione in vino albo facta, ex scordio, absynthio, radicibus brioniæ, seminibus anisorum, cum sale armoniaco, & tartaro, addendo in fine quartam partem vini spiritus.

Rapæ coctæ calidæ pernionibus vesperi applicitæ, vel earum decoctum pro fomento, vel balneo administratus efficax auxilium est.

Sapo niger cum æqua parte vitelli ovorum applicitus, pernionum exulcerationem prohibet, & repetita applicatione sanat. Anseris verò pinguedo à pernionibus præservat. Potissimum si cum oleo canphuræ admisceatur.

Suffitus verò ex cinabari, & resinis balsamicis, ac potissimum myrrha validissimus est.

Vlceratis autem pernionibus oleum terebenthinæ, & alia quę pro vulceribus superiùs proposuimus adhibenda sunt. Si potissimum dolor vrgeat, vini spiritus cum croco, & oleo terebenthinæ adhibeatur. Vel oleum succini pro omnibus sufficere poterit.

Sed his efficaciorem esse experieris vini spiritum canphuratum, crocatum, cum liquore lumbricorum sale armoniaco, & aqua calcis vivæ, quæ tepidè foveantur aliquandiù, tum applica relinquantur.

Toto autem curationis tempore, externus frigus quantum fieri potest arcendum est. Secus si locum aqua frigida humectaveris, & aeri libero exposueris, sanationem consequi posse desperabis, & reclamantis vulgi irrisioni subijcieris, ne quidem sanandis pernionibus utilem medicum te esse posse.

(?)

Can-

Causticorum auxiliorum præculiares præparationes.

NIhil est in arte Chyrurgica æquè desiderabile, ac auxilium, notitia, ac propria experientia accommodatum possidere, quo mediante in hoc valdè delicato sæculo, sectionum ac incisionum operationes terribiles, ac dolorosæ tollerabiles, & non admodum molestæ reddi possint. Potissimum in pueris, & in fœminis, & in his, quibus fortia pati insolitum est.

In hoc igitur postremo loco aliqua caustica auxilia concinabimus partim nostræ experientiæ, partim amicorum communicatione nota, quibus mediantibus absque scalpellis, & syringotomis universam fermè artem Chyrurgicam exercere possis.

Universis namque fermè intentionibus variis auxiliis admixta inservire poterunt confortando ressolvendo, mundificando, incarnando, cicatrizando, prava fermenta absumendo, omnia denique peragendo Quibus natura opus habet, & ars medica exigit. Quæ juxta Hippocratis sententiam in additione, & detractione consistit.

Alibi etenim de meo balsamo caustico naturam, modum ipsum conficiendi, & varias adhibendi formulas declarabo. Ut in usu positum dicta mea, Veritati correspondere per experientiam fateri possis. Interim isthec inutilia tibi futura non esse speramus.

Causticum ita sine dolore, quod cutè intra vigintiquatuor horas pervadit obtinebis, si locum primo aceto acerimo frices, deinde saponem subactum cum ana calcis vivæ applicaveris, modico acerimo lixivio priùs emollitum. Quod si lixivium, ex caulæ, brasicæ incinerato conficiatur, efficaciùs erit; ejusque sale.

Inter caustica maturantia, & absque multa mordicatione cauterizantia est stercus columbinum, cum sulphure, & prædicto lixivio subactum.

Numeratur & sapo niger cum ana caricarum subactus.

Septicam vim habent universi acidiores spiritus ut est oleum sulphuphuris, aqua regia & consimiles destillatione eliciti spiritus.

Carnes absumens, & excrescentias omnes absque dolore tollens auxilium est, pulvis summitatum sabinæ conspersus in casu levi. Sed si efficaciora exigantur, accipias cum dicto pulvere summitatũ sabinę vitriolum ustum, & alumen ustum cum unguento Ægyptiaco inspissato.

Vel alumen ustum in aqua vitæ solutum, & cum Ægyptiaco mixtum, atque ad ignem inspissatum ad crasciusculam consistentiam.

Fermentum acre, cum modico sulphure, atque columbino stercore, forti lixivio cinerum vitis subactum, indolens, & cum maturatione aperiens causticum est.

Lapidum infernalium varias descriptiones invenies. Quælibet suum patrocinatorem habentes. Nos quem magis facimus subnectemus.

Septica etenim alia acida sunt, alia alcalica fixa, quæ ex lixivio saponariorum, vel cinerum diversarum plantarum igneam vim magis continentium, vel ex similibus elyciuntur, quę

ideò

ideò penes aliquos, minus usualia sunt, quoniam facilè liquescendo, locum exulcerationis mutant.

Sed potius his auxiliis ad maturandos duros tumores, atque ad suppurationem promovendam utuntur.

Præferenturque acida, quorum tria præstantiora judicamus.

Primò cristalli lunares (ex quibus legitimus lapis infernalis dictus paratur. Secundò butyrum antimonii. Tertiò aqua regia in qua opium dissolutum sit.

Christallorum lunarium præparatio talis est. Accipias argenti vel æris quantum tibi sufficere videtur de aqua regia quadruplum & amplius ut argentum, & æs optimè solvi possit. Post solutionē abstrahatur per retortã aqua regia. Nam id quod in fundo remanet ad modum capitis mortui, cristalli lunares sunt, quos validiore igne exiccabis. Atque canphura consperfos loco cauterizãdo applicabis te præsente per dimidiam circitèr horam, ne vltra exigentiam vis septica diffundatur. Inde butyro applicito escaræ casum expectabis.

Butyri antimonii præparato, silicet ex antimonii pulvere, & mercurio sublimato adeò vulgaris est, ut superfluum sit eandem hoc loco recensere. Monemus tantum, quod id quod in collo retortæ hæret validior est. Sed si cum tenuiori parte liquescat in cælla, inde lento igne rectificetur, & parte magis volatili, ac aquciformi prius exeunte separata, id quod in fundo retortæ liquidum adhùc restat servetur, tunc nobile septicum, copiosa canphura admixtum obtinebis.

Aqua verò forti qui uti voluerit, addat singulis dracmis ejusdem, opii scrip.f. circitèr.

In mitiori hipersarcosi auxilia erunt alumen ustum, vel mercurius præcipitatus, vel Ægyptiacum in vini spiritu dissolutum & ad ignem inspissatum. Vel oleum mercurii. Pulvis sabinæ. Valet ad idem spiritus vini cum aqua calcis, sale saturni, viride æris & canphura, si locus sit partibus nervosis, ac dolorificis proximus.

Defensiva etiam auxilia dicta, quæ mihi magis accommodata visa sunt hoc loco subnectam duo: Accipias igitur cerusæ, stybii pulverizati, succi cancrorum, plantaginis, & tutiæ preparate portiones in molle linimentum adaptandas.

Vel succum ex floribus ebullorum, aut ex viridi mediana eorum cortice elicitum cum copioso sale saturni & ovi albumine.

Hęc pro nunc Laconicè à meo calamo exarata, grato animo accipias rogo, ampliora suo loco expectaturus, quando integram praxim meam evulgare datum erit à summa conditoris bonitate, qui in hoc sanè fluctanti universæ Europæ statu, meliori sorte vellificare jubeat, procul ab Euripo in quo voluntati meæ vim inferri singulis momentis persentio.

Te autem procul à procellis legentem Deus in littore sedere jubeat, tuaque vota fecundet, gratisque donet, vt me amare pergas.

FINIS.

INDEX

INDEX CONTENTORVM.

PARTICULA I.

De morbis mulierum.

PARTICULA II.

De morbis Capitis.

PARTICULA III.

De Affectibus Thoracis.

PARTICULA IV.

De Affectibus Abdominis.

Vol-

PARTICULA V.

PARTICULA VI.

De morbis ad Chyrurgiam spectantibus.

F I N I S.

RHZX

$ 125,00

3/GHA